JOH. FRID. WILH. DE NEUMANN,

in WOLFSFELD,

CONSILIARII BRANDENBURGICO-ANSPACENSIS,

DE

PROCESSU JUDICIARIO

IN

CAUSIS PRINCIPUM

COMMENTATIO.

FRANCOFURTI ad MOENUM,

Ex Officina REINHARDI EUSTACHII MOELLERI, 1753.

Conspectus Titulorum.

Tit. I. De voluntariis Principum judicibus seu arbitris.

II. de necessariis Principum judicibus.

III. de judice Imperatoris Romano - Germanici.

IV. de judice Statuum Imperii Germanici.

V. de jurisdictione.

VI. de actore, ejusque petito.

VII. de reo, ejusque exceptionibus.

VIII. de probatione.

IX. de probatione per testes.

X. de probatione per documenta, inscriptiones & Historicos.

XI. de probatione per juramentum, ordalia & S. Synaxin.

Tit. XII. de Sententia.

XIII. de remediis contra ſententiam;

XIV. de executione ſententiæ.

XV. de proceſſu criminali.

DE

DE

PROCESSU JUDICIARIO IN CAUSIS PRINCIPUM.

TITULUS I.

DE

Voluntariis Principum judicibus, seu Arbitris.

* *
*

Arbitri singulari litigantium compromisso constituuntur. Subditis compromittendi in arbitros facultas connivendo permittitur. In causis

causis tamen Principum Imperii compromissa excludere volunt Imperatores. Laudo arbitri naturali jure simpliciter est standum, ad civilia jura reductionem laudi ad boni viri arbitrium indulgent.

§. I.

Instituti ratio. Dum modos quibus jus suum Principes persequuntur, explicare aggredimur, nemo a nobis exspectet, ut vel jura belli, quod supremum liberæ gentes summique Principes agnoscunt tribunal, vel processum judicii Aulici & Cameralis, in quibus causæ Principum Imperii Germanici ventilantur, explicemus. Utrumque ab aliis jam dum præstitum, atque a præsenti instituto alienum, quo generalia saltem principia in disceptandis quibusvis litibus, sive coram arbitris voluntariis, sive coram judicibus necessariis ventilentur, observanda tradere, eorumque inter Principes usum & non-usum ostendere constituimus.

§. II.

Processus quid? Debitor, qui ad aliquid est obligatus, vel id, quod debet, præstat, & tunc obligatio est extincta, vel debiti solutionem nimium differt, & tunc ad eam est adigendus, quod quibus modis fieri debeat, infra ubi de executione agendum, commodius dicetur, vel denique debitum plane negat, atque tunc illud ad liquidum est deducendum. Instituta talis causæ dubiæ disceptatio *judicium*, modus, quo illa disceptatio fieri debet, *processus* * ipsa autem querela in judicio proposita *actio* vocatur.

* Extat Titulus in Codice de Ordine judicior. Procedendi vox de litibus usurpatur L. 16. C. de judiciis, ipsa autem processus vox litibus applicata ex jure Canonico repetenda videtur cap. 2. de immun. eccles. in 6. Alio sensu processus vox accipitur, ubi de

de extrahendis aut impetrandis processibus in Camera Imperiali est sermo. Tunc enim processus non ipsum ordinem necessarium denotat; sed literas Cæsaris, quibus reus vel parere vel comparere jubetur.

§. III.

In quavis igitur litis disceptatione adesse debet tum actor, sive is, qui aliquid ab alio postulat, tum reus, a quo quid postulatur, tum denique judex *, quia nemo in propria causa judex esse potest, nec per injuriæ confessionem ad pacem & reconciliationem veniri solet. Accipimus vero judicis notionem in sensu latiori pro eo, qui jus dicit seu litem decidit, adeoque comprehendimus tum voluntarium, seu conventionalem i. e. arbitrum, qui diserte *judex* compromissarius vocatur in L. 41. Dig. de receptis, qui arbitrium &c. tum necessarium publicaque autoritate constitutum, qui κατ' ἐξοχὴν judicis nomine venit. *Judex.*

* Horum munia in processu adeo sunt distincta, ut neuter alterius partes subire queat. Hinc nemo in eadem causa judex & advocatus esse potest. Imo ne advocatus quis in ea causa esse potest, in qua actum Notariatus exercuit. Talis enim Notarii testimonium redderetur suspectum. Neque idem Actuarius esse potest duorum judiciorum, inter quorum dominos lis intercedit, quia Actuarius est minister judicis.

§. IV.

Arbitrer est persona ab utraque litigantium parte unanimi consensu ad litem certam decidendam electa. Cumque talis arbiter ulteriorem potestatem non habeat, quam quæ ab ipsis partibus ei est collata, nec præcise imperio in easdem pollere debeat, eidem inter summos Principes pariter ac inter subditos locus esse poterit. At cum alia sit causa & finis, quare inter summos Principes, & alia, quare inter subditos ad arbitros devenitur, atque diversa hinc jura nascantur, de singulis seorsim erit dispiciendum. Principes quos inter controversia intercedit, ideo in arbitros compromittunt, ne statim ad arma provolentur. At inter media evitandi *Compromissarius seu Arbiter.*

tandi bellorum incommoda vix ullum compromiſſo commodius exiſtit. Dubio enim ac incerto ſortis ludentisque fortunæ eventui deciſionem committere, periculoſum *, ordaliis vero ſuperſtitioſum plane, vid. de delict. T. 13. §. 162. Quare antiquis pariter ac recentioribus temporibus compromiſſa placuerunt iis, qui communem judicem nullum habent.

* Imo ſubditorum vitam, pudicitiam, ſimiliaque, de quibus diſponendi plenum jus regi non eſt, ſorti ſubjici aliter non poſſe, quam ſi de malis minimum eligendum, graviter monet *Grotius* L. 3. c. 20. §. 42.

§. V.

Exempla. Antiqua exempla attulit *Grotius* de J. B. & P. L. 2. c. 23. §. 8. Conf. Reale Principum Jus L. 1. T. 13. §. 155. In recentioribus illuſtre eſt, quo Seculo XV. litigioſa Regni Arragonici ſucceſſio ab electis arbitris ſtabilita, qui ex trium Regni Arragonici provinciarum ſingulis terni fuerunt electi, ipſorumque ſententiæ ſtare Regni Candidati jurisjurandi religione ſe obſtrinxerunt teſte *Marian.* de Reb. Hiſpan. L. 19. in fin. & 20. pr. * Conf. de Heredit. §. 57.

Scoticum exemplum attigi ibidem §. 61. Pace Stetinenſi 1570. inter Suecos & Danos convenit: Trium coronarum inſignia uterque Rex incolumi ſingulis jurisdictione & imperio uſurpato, donec controverſia de illis, Cæſaris, Saxonis & Brandenburgici Electorum, Brunſuicenſis & Anhaltini Principum, in quos utrinque compromittant, interventu & cognitione utriuſque partis documentorum & quæ potiori jure nitantur, ad finem deducatur. Vid. *Loccen.* Hiſt. Suecan. L. 7. p. 386. Superiori Seculo cauſa Wildfangiatus per electos arbitros, Galliæ & Sueciæ Reges, horumque legatos, Honoratum Courtinum & Davidem Mevium laudo Heilbrunnæ d. 7. Febr. 1667. pronunciato fuit terminata. Adde exemplum Tit. 4. §. 72. allatum. Ac ipſa Auſtregarum inter Imperii Principes judicia voluntariis ſeu conventionalibus ejusmodi in arbitros compromiſſis originem debent, unde & gewillkührte rechtliche Austräge paſſim vocantur.

* Addit Mariana: Rem inauditam atque mirabilem paucorum ho-

minum

minum judicio amplissima regna dari auferrique . . . Nemo est, qui oblatam facultatem regnandi judicum arbitrio permittat, ut miraculi instar fuerit, Arragonia Comitia sine offensione sine sanguine prosperum cursum ad exitum tenuisse.

§. VI.

Constituuntur arbitri pacto, quo litigantes arbitri sententiæ se obtemperaturos, arbiter vero, bona fide sententiam se laturum, promittunt. Vocatur talis conventio compromissum, atque normam omni huic negotio præbet. Quemadmodum vero quævis pacta ab initio sunt voluntatis, ita cogi ad arbitros recipiendos nemo potest. Is tamen, cui arbitri optio relinquitur, talem dare, ni insignem causæ injustæ suspicionem præbere velit, vix renuere potest. Corcyrenses apud Thucydidem Corinthiis significant, paratos se disceptare controversias, apud quas illi vellent Peloponesi civitates. Idemque Thucydides recte ait: in eum, qui arbitrum accipere paratus est, nefas ut injuriosum ire. Sed num ipse arbiter delatum sibi a partibus arbitrium renuere & declinare potest? Ipso naturali jure ad illud suscipiendum obstrictus videri posset, quoniam ad officia humanitatis atque innoxiæ utilitatis pertinet. At cum arbitri officium periculi odiique sit plenum, facileque inimicitiis ansam præbeat, recte omnino recusabitur, quod & nota de Paride fabula confirmat. Addatur effatum Salvatoris Luc. XII. 14.

Constituuntur arbitri compromisso.

§. VII.

Palmarium arbitri requisitum est, ut neutrarum sit partium, nec cum litigantibus colludat, quoniam alias finis ex compromisso speratus, æqua nimirum sententia obtineri vix potest, quod adeo verum, ut nec cum utraque parte colludere arbitro liceat. Quamobrem vanum merito reputatur compromissum Maximiliani & Venetorum in Leonem X. Pontificem Romanum, dum singuli separatim & clam cum eo paciscebantur, ne laudum pronuntiet, in quod ipsi non consenserint. Tali quippe pacto simplex potius mediator, quam verus arbiter & judex conventionalis constituitur, quicquid species & verba externa præ se ferant.

debent esse neutrarum partium.

§. VIII.

nec in propria causa judices.

Multo minus arbiter litem in suam rem vertere, aut litis alienæ interceptorem agere debet: sed si ipse jus quoddam in rem, super qua litigatur, prætendit, abstinendum ipsi est ab arbitri officio, quia nemo simul judex & pars existere potest. Q. Fabius Labeo arbiter Nolanis & Neapolitanis de finibus agri a Senatu Romano datus, cum ad locum venisset, cum utrisque separatim locutus, ne cupide quid agerent, nec appeterent, atque ut regredi quam progredi mallent. Id cum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum. Itaque illorum fines, sicut ipsi dixerunt, terminavit, in medio relictum quod erat, populo Romano adjudicavit. Decipere hoc quidem, non judicare est, graviter monet *Cicero* de Offic. L. 1. c. 10.

§. IX.

Exempl.

Sic & *Livius* L. 3. circa fin. turpe vocat populi Romani de finibus sociorum judicium, quod sequentem in modum describit. Aricini & Ardeates de ambiguo agro cum sæpe bello certassent, multis invicem cladibus fessi judicem populum Romanum cepere. Cum ad causam orandam venissent, & populum inire suffragium oporteret, consurgit P. Scaptius, dicens, agrum de quo ambigitur, finium Coriolanorum fuisse, captisque Coriolis jure belli publicum populi Romani factum, mirari se, quonam more Ardeates Arcinique eum se a populo Romano, quem pro domino judicem fecerint, intercepturos sperent: sibi annum tertium & octogesimum agenti, exiguum vitæ tempus superesse, non potuisse se tamen inducere in animum, quin quem agrum miles pro parte virili manu cepisset, eum senex quoque voce, qua una posset, vindicaret: magnopere se suadere populo, ne inutili pudore suam ipse causam damnaret. At Consules Patresque Deos hominesque testantur, haud decere judicem, sibi controversiosam adjudicare rem. Sed plus cupiditas & auctor cupiditatis Scaptius valet. Vocatæ tribus judicarunt, agrum publicum populi Romani esse. Nec abnuitur ita fuisse, si ad judicem alium itum foret. Nunc haud sane quicquam bona causa elevatur dedecus judicii. Idque non Aricinis Ardeatibusque quam patribus Romanis fœdius atque acerbius visum.

§. X.

§. X.

In fœminam ejusque arbitrium, quo minus compromittatur, nihil quidem obstat. Apud *Diodorum Siculum* L. 4. Adrastus & Amphiaraus de regno disceptantes ita pepigerant, ut totius controversiæ arbitrium penes Euriphilem Adrasti sororem, Amphiarao nuptam esset. Hæc & Adrasto victoriam adjudicat, & viro necessitatem bellandi ad Thebas imponit. *Possunt esse fœminæ.*

§. XI.

Quamvis autem jure Romano jurisdictio ad virilia officia spectet, id tamen ad summos Principes nil attinet. Cumque apud Germanos & Gallos nobiles fœminæ jurisdictionis etiam capaces sint, quidni arbitri vices sustinere valebunt? Compromissi in Franciæ Reginam factæ meminit Innocentius III. Papa in cap. 4. X. de arbitris. Agnes Hungariæ Regina in arbitram electa fuit inter Albertum II. Ducem Austriæ & Tigurinos teste *Gerard de Roo* Histor. Austr. L. 3. fol. 104. item inter Bernates & Friburgos Helvetiæ civitates diuturno bello se vexantes, quod pace Agnes composuit 1341. teste *Michael Stettler.* Chron. Helvet. part. 2. lib. 2. p. 65. Elisabetham conjugem Ducis Bavariæ in contentione Ducis cum Præsule Frisingensi ex compromisso laudum tulisse & contra maritum pronuntiasse, ex *Hundio* refert *Jo. Paul Kress* in epistola adjecta dissertationi *Bacmeisteriana* de juribus fœminarum illustrium in Germania. *Exempl.*

§. XII.

Subditos a Principe in arbitros recte eligi, ex innumeris caussis discimus, quarum decisionem Reges ac Principes Procerum judicio submiserunt, atque quotidie adhuc submittunt. Ubi tamen sua sponte intelligitur, subditis, quibus tales caussæ committuntur, eo ipso tacite remitti obsequium & reverentiam Principi alias debitam, aut si mavis, reverentiam Principi debitam ad Principis commoda citra jus & fas promovenda haud pertingere. *Subditi.*

§. XIII.

In Anglia cum Rex Henricus VIII. a Catharina conjuge, vidua fra- *Exempl.*

tris Arthuri, divertere vellet, omnes Regni Proceres, judices etiam & JCtos & de ingenua plebe, quotquot adesse poterant 1528. convocari jussit. Visebatur ibi, Monarcham Potentissimum tum sibi dicta die intra ditionis suæ limites hac præconis voce: Henrice Anglorum Rex adesto in curia, citatum coram judicibus comparuisse ac respondisse: Adsum, ac suam ibidem orasse causam coram legatis Papalibus Wolsæo & Campegio. Vid. Annales Rer. Angl. sub Henrico VIII.

Cromwellus Angliæ Protector & Belgæ fœderati compromiserunt in privatos Eduardum Winsley, Jacobum Russel, Jan Bey, & Wilhelmum van der Cruysen, qui de navibus Anglicanis apud Danos detentis 1654. Londini laudum pronuntiarunt, quod habet *Londorp.* Act. publ. P. 8. p. 925.

§. XIV.

numero plures. Plures quoque arbitri valide assumuntur. Novem fuere in compromisso Arragonico, §. 5. memorato. In Agnetem Hungaricam frater ipsius Albertus Austriacus & Tigurini ita compromiserunt, ut Albertus duos, quos vellet, totidem Tigurini Assessores ex suis adjungerent, quod ipsi vel major eorum pars decerneret, id pro rato acciperent. Conf. §. 11.

§. XV.

qui si dissentiunt. Plures arbitri si pares sunt numero, paribusque votis inter se dissentiunt, alius, qui hos inter decidit, & superarbiter ein Obmann vocatur, a litigantibus adjungitur, cujus sententiæ & tunc standum, si neutri dissentientium arbitrorum parti accedit, sed novam plane, eamque diversam sententiam profert. Nec dubito, Principes valide in duos ita compromittere, ut si dissentirent, tertium assumant, quamvis tale compromissum non valere putet *Ulpianus* in L. 17. §. 5. Dig. de receptis, qui arbitrium receperunt, minus sufficienti addita ratione, quia in assumendo tertio possunt dissentire arbitri. Add. cap. 12. X. de arbitris. Sufficit enim, exitum sortiri arbitrium, si consentiunt in tertio eligendo arbitri. In casu dissensus vero nihilominus ad litigantium nominationem poterit recurri. In lite inter Electorem Palatinum & Ducissam Aurelianensem agitata, pace Rysvicensi art. 8. & articulo separato, eidem pace subjuncto, Impe-

Imperator & Rex Galliæ arbitri constituebantur, & in casum dissensus Pontifex Romanus superarbiter eligebatur. Cognita causa delegatus Cæsareus pro Electore Palatino, Gallicus pro Ducissa pronuntiabat, at delegati superarbitri sententiam Cæsaream, addita tamen declaratione confirmabant. Vid. *Lunig.* Syllog. Negot. publ. Tom. 3. p. 438.

§. XVI.

Perutilis est compromittendi ratio adhibita in controversia Nobilium Ducatus Cellensis cum Principe suo super jurisdictione mota 1620. ubi ab utraque parte ita compromissum: Articulos probatoriales utrinque esse formandos testes ab electis Commissariis examinandos, postea sine ulla jurium deductione illa attestata transmittenda esse ad duo Collegia Juridica, quæ si eodem calculo respondissent, decisionem illam observandam esse, sine ulla appellatione vel reductione, sin diverso, ad tertium collegium transmittenda esse acta, remotis prioribus responsis, & quod ab hoc pronuntiatum pro lege observandum esse. Vid. *Stryck.* de foro Principum & privatorum communi p. 55. *quid agendum.*

§. XVII.

Officium & potestas arbitri ex ipsa compromissi formula, unde illa omnis pendet, est metienda. Præcipuum arbitri officium, quod ei ex ipsa negotii indole incumbit, consistit in ferenda super lite sententia, quæ laudi nomine venit, quo ipso arbiter differt a mediatore seu conciliatore. Hujus quippe partes sunt, media saltem litis componendæ proponere ac suadere: arbitri contra decisionem liti imponere. Unde in memorata causa Palatina arbitri stylo judiciario ita decernunt: Prædictas arbitrales sententias prolatas a dominis delegatis Cæsareæ Majestatis & Regis Christianissimi in ea parte, in qua huic nostræ sententiæ & laudo sunt conformes, confirmamus, in parte vero contraria revocamus, perpetuumque silentium desuper utrique parti imponimus, & ita dicimus, decernimus, declaramus, pronuntiamus, laudamus, ac definitive sententiamus non solum promisso, sed & omni alio meliori modo. *Differunt a mediatoribus.*

§. XVIII.

An delegare possunt.

Circa quæstionem, num ipse arbiter causæ cognitionem peragere, sententiamque pronuntiare debeat, an hoc suum officium alii delegare possit, repeti velim ea, quæ de Juribus personar. illustr. L. 3. T. 17. §. 423. circa Commissarios monui. Si scilicet in specie arbitri fides & dexteritas electa, quod fieri videtur, quoties privatus arbiter constituitur, facultas alium substituendi exulabit. At si in Principem quendam compromittitur, non ipsius modo, sed & Consiliariorum ejus fides electa censetur, quare tunc, cui ministrorum voluerit, negotium committere poterit Princeps in arbitrum electus, prout in causa Palatino-Aurelianensi factum audivimus §. 15. & in causa Wildfangiatus §. 5.

§. XIX.

Reconventio & possessorium num ad arbitros pertineat.

Ultra compromittentium mentem vero & compromissi tenorem potestas arbitri non est extendenda. Unde nisi heredum clausula compromisso addita, ad compromittentis heredes compromissum non est porrigendum Conf. cap. 14. X. de arbitris. Porro hinc Pontifex concludit, coram arbitris reconventioni locum non esse, quia arbiter non habet potestatem judicandi ultra comprehensa in compromisso cap. 6. eod. Quæ ratio satis quidem stringit quoad reconventionem ex causa diversa instituendam. Sed quoad illam, quæ ex causis connexis datur, officium perdere videtur, conf. Tit. 7. §. 226. Certe inde ulterius velle inferre, arbitro, cui super petitorio judicium est commissum, super possessorio judicare haud esse integrum, plane videtur incongruum. Petitorium enim includit possessorium, & cui totius causæ disceptatio permissa, ei multo magis ejusdem pars, qualis est possessorii dilucidatio, competit. Alias dissentientium *Grotii* & *Feldeni* rationes destruximus in Reali Principum jure L. 4. T. 1. §. 454. sqq.

§. XX.

Modus procedendi coram arbitro.

Modus, quo procedere in commissa sibi causæ cognitione debet arbiter, ni peculiaris a compromittentibus ipsi præscriptus, jure naturali ab ipsius arbitri beneplacito pendet, unde & hoc jure ignoratur differentia arbitri

bitri ab arbitratore, quam jus civile in eo ponit, quod hic ex æquo & bono, prout libuerit, ille juxta ordinarium in judiciis receptum procedendi modum negotium tractare teneatur. Quod vero diximus naturali jure arbitrum pro lubitu causam cognoscere, sententiamque ferre, ad procedendi saltem modum pertinet, nec arbitrum a juris naturæ justitiæque regulis eximit, quas tam stricte observare tenetur, ut reo cujus forte adeo dura est fortuna, ut per debiti laudo adjudicati solutionem ad incitas ferme redigatur, misericordiam tamen facere, atque actori invito jus suum competens auferre nequeat.

§. XXI.

Laudum ejusque effectus.

Laudo, sive sententiæ ab arbitro prolatæ, litigantes naturali jure simpliciter stare debent, nisi ab arbitro dolus admissus, aut illicita vel inhonesta ab eodem præcepta, aliave nullitas admissa, ob quem alia quævis sententia esset irrita. At sub læsionis obtentu, utut forte enormissimæ, naturali jure a laudo recedere non licet. Eo ipso enim, dum super re litigatur, dubium existit, num alteri jus ullum sit, at quamdiu jus est dubium ac incertum, frustra læsio interseritur, sed sibi imputet condemnatus, quod in arbitrum compromiserit, hocque litem determinandi medium semel elegerit. Vid. *Grotius* L. 3. c. 20. §. 46. Si tamen compromisso pœna est addita, hanc solvisse sufficit, eaque soluta controversiam redintegrare licet, quia tunc compromissi obligatio est alternativa aut de laudo agnoscendo, aut de pœna solvenda, quarum alterutra liberat *. Jus & obligatio exequendi sententiam a se latam arbitro qua tali competere, aut incumbere non videtur. Si tamen ad id simul sit constitutus, vel ab altera parte ad suppetias sibi pro debito consequendo ferendas imploretur, id quoque ipsi integrum erit.

* In compromisso, quo 1298. Eduardus I. Angliæ & Philippus Pulcher Galliæ Rex in Bonifacium VIII. Papam, tanquam in privatam personam compromiserunt, promittunt Eduardi procuratores sub pœna centum millium marcarum argenti & obligatione omnium bonorum domini Regis rata & firma habere & inviolabiliter observare, quæ Dominus Papa tanquam privata persona definiverit apud *du Mont* Corps diplomatique Tom. I. P. I. n. 550.

Com-

Compromiſſo de 1475. inter Ludovicum XI. Galliæ & Eduardum IV. Angliæ Regem ſtatuta pœna 3000. Scutorum auri ab eo, qui laudo non ſteterit obtemperanti in fine trium annorum ſolvendorum ap. *du Mont* Corps Dipl. Tom. 3. P. I. n. 346.

Tigurini in compromiſſo, cujus §. 14. meminimus, ſedecim Optimates ex ſuis obſides Alberto Auſtriaco dederunt, donec lata ab Agnete Hungarica, in quam compromiſerant, ſententia executioni daretur. Nihilo ſecius hoc compromiſſum effectu caruit, & cum Agnes nihil efficere poſſet, utraque pars bellum redintegravit.

§. XXII.

A ſubditis Vidimus jura arbitrorum inter Principes receptorum, a quibus qua ratione differant aſſumti a ſubditis arbitri, paucis ſubjungendum. Cauſam, quare Principes in arbitros compromittunt, illam audivimus, quia alia ratione terminari ipſorum controverſiæ ſine bello nequeunt. Ceſſat hæc ratio in ſubditis, utpote quibus eſt judex, ad quem provocare poſſint. Nihiloſecius inter hos quoque, ſepoſito tantiſper judice, in arbitros compromitti cernimus, ut ſcilicet lites, quam fieri poteſt breviſſime, citra tædioſam proceſſuum judiciariorum longinquitatem, & absque ſtrepitu forenſi finiantur. Hi arbitri eo ipſo, quod judices voluntarii & conventionales ſunt, libere & citra neceſſitatem aut coactionem a litigantibus eligi debent *.

* Quare improprie arbitris annumerantur, quos rei ſibi judices ad vitanda partium ſtudia eligere a magiſtratu jubentur. Quorſum pertinet mos Romanorum, de quo *Cicero* pro Cluentio, neminem, ait, voluerunt majores noſtri non modo de exiſtimatione cujusquam, ſed ne quidem pecuniaria de re minima eſſe judicem, niſi qui inter adverſarios conveniſſet. Hodienum in Anglia rei nonniſi a ſui ordinis hominibus, quos ipſi eligerint, quosque juratos *the jury* vocant, judicantur. Apud Germanos paſſim litigantibus indulgetur, ut ſententia a quodam prudentum ſeu JCtorum collegio petatur, cujus rei origo procul dubio inde arcenda

cenda quod olim litigantes controversias suas collegiis extraneis, æquitatis fama præ ceteris insignibus, sponte submiserint, ac licet postea, judiciis in meliorem ordinem redactis, ad forum competens fuerint adstricti, id tamen reliquiarum ex pristino more remansit; ut post deducta causarum momenta judex ad partium petitionem sententiam ab extraneis requirere teneatur.

§. XXIII.

Dubitari omnino posset, num subditis integrum sit, in arbitros compromittere, cum hac ratione magistratui ordinario, cui juris dicendi est potestas, inferri videatur fraus & præjudicium. In matrimoniali vel criminali causa arbitros assumi non posse statuit cap. 9. X. de in integr. restit. Vulgo existimatur, compromissa forum vel separatam jurisdictionem non formare, nec proinde magistratui præjudicium creare, quo posito certe nec effectus judiciales, e.c. vis rei judicatæ post decendium, laudo talis arbitri tribui deberent. Facilius ejusmodi compromissa tolerantur, si in concives * compromittitur, quam si extra territorium arbitrandi vel juris dicendi facultas prorogatur. Cum superiori Seculo in causa Wildfangiatus Galliæ & Seciæ Reges arbitri assumerentur, ægerrime id tulit Imperator. Autor quidem rationum, warum Chur-Pfaltz in der Wildfangs-Sache die beyden Cronen Franckreich und Schweden zu ihren arbitris ernennet, in Diar. Europ. Contin. XII. in Append. p. 707. justitiam causæ Palatinæ tum a communi libertate, tum a competente Statibus fœderum cum Principibus extraneis jure arcet, verbis: es sey weder in jure communi noch in denen Reichs Constitutionibus verbothen, in extraneos zu compromittiren, welches, wie es privatis vergönnet, so viel weniger Churfürsten und Ständen des Reichs zu versagen, als welche vermöge Instrumenti Pacis pro sua cujusque conservatione ac securitate mit denselben gar in Confœderation tretten können. Nec tamen omnino expeditum, num privatis in extraneos compromittere liceat, nec valide satis a facultate fœdera cum exteris pangendi ad facultatem in eos compromittendi infertur. Certe Imperator non prius, quam reservato ipsi supremo arbitrio, die Obmannschafft, acquievit.

num compromitti in arbitros potest?

 * In

* In ipsum judicem ordinarium jure Romano per L. 9. §. 2. Dig. de receptis &c. compromittere non licet, quam tamen legislationem Germani nunquam receperunt ob contrariam juris Canonici dispositionem cap. 7. & 10. X. de arbitris, vi cujus validum est in judicem ordinarium compromissum, hoc quidem effectu, ut processus ambages rescindantur. Dissensionibus inter Eberhardum II. Ducem Wurtenbergicum & Ordines provinciales subortis in Maximilianum I. Imperatorem utraque pars interposito jurejurando compromisit, qui habito cum Electoribus Principibusque in Comitiis Friburgensibus anno 1498. congregatis consilio litem terminavit laudo Horbæ publicato vulgo Horber Vertrag. Exhibet hunc tractatum Horbensem *du Mont* Corps diplomatique Tom. 3. part. 2. fol. 388. Ordinatio Cameralis part. 2. tit. 26. iis, qui Austregarum jure gaudent vel primam instantiam in Camera sortiuntur, indulget facultatem compromittendi in judicem & Assessores Cameræ, adeo ut processus in alio a compromittentibus eligendo loco instruatur usque ad sententiam, & post factam conclusionem in partium eorumve mandatariorum præsentia inrotuletur, atque sub illorum sigillo ad Cameram deferatur, quæ non de solo jure respondere, sed ipsam sententiam definitive ferre debet, a qua revisioni non aliter locus nisi de enormissima læsione liquido constet. Olim frequentiora erant talia compromissa. Jam intra Seculi decursum nil de iis auditum.

§. XXIV.

an a Vasallo Vasallus num citra domini consensum libere compromittat, magno inter Doctores dissensu disceptatur, quorum comparatas inter se sententias vide apud *Engelbrecht* de servitutibus Juris publici p. 421. sqq. Maxime probabilis illa videtur sententia, quæ Vasallis compromittendi libertatem asserit vid. 2. feud. 15. 34. 46. ubi arbitrorum diserta fit mentio, adeo ut extraneus etiam arbiter eligi queat. Nec obstat 2. feud. 55. aliique textus, ubi per dominum controversia de feudo inter duos Vasallos terminanda dicitur. Si enim a competentia jurisdictionis ad compromissorum prohi-

prohibitionem inferre liceret, nullus plane compromissis locus foret inter eos, qui aliud forum agnoscunt. Utut autem valida Vasallorum agnoscamus compromissa, adeo ut iisdem stare debeant, sive juste sive injuste arbiter pronuntiarit, domino tamen directo eadem, tanquam res inter alios acta, non nocebunt.

§. XXV.

In causis Principum Imperii compromissum omne interdum excludere voluerunt Imperatores. Sabudiæ Dux cum Marchione Saluziarum de Imperii feudis litigans in Galliæ Regem compromittere prohibitus apud *Reinking* de Regim. Secul. & Eccles. c. 19. n. 130. Ita cum Albertus Brandeburgicus, Archiepiscopus Magdeburgensis de Burggraviatu Magdeburgensi litem intentaret Saxoniæ Electori, eoque nomine in arbitros compromitteretur, mox huic compromisso Cæsarea Majestas peculiaribus hanc in rem scriptis obluctabatur, quasi per sanctiones feudales tale quid absque domini directi consensu facere non posset Vasallus. Vid. *Hortleder.* de Caus. Bell. Germ. L. 5. c. 5. Postea ad JCtos interque eos *Hieronymum Schurfium* itum fuit, ut de jure hic responderet, qui, rebus omnibus probe expensis, pro Electore Saxonico ex hac potissimum ratione, quod in isto quidem casu inter duos Vasallos, rem feudalem ab eodem domino recognoscentes, lis vertatur, indeque nullum damnum aut præjudicium ipsi domino inferatur, respondere non dubitavit Cent. 2. Cons. 53. quem secutus postea fuit *Joannes Strauchius* diss. Jur. publ. XI. p. 313. Conf. *Jtter.* de feud. Imp. c. 25. §. 21. & *Horn.* de Burggraviis Magdeburgicis §. 28. *an ab Imperii Principe*

§. XXVI.

Ad compromissa judicesque voluntarios seu arbitros Principum Imperii passim referuntur Austregæ, qui quidem si in sua origine spectentur, meri erant judices voluntarii, a partibus libere assumti, indeque hodienum die gewillkührte rechtliche Austräge aliquando vocantur. Ex quo vero tum per conventionem, tum per leges expressas Austregæ ita sunt stabiliti, ac necessarii plane redditi, ut præteriri ipsorum instantia nequeat, facile patet, eos judicibus voluntariis annumerari amplius non posse, multumque proinde ab arbitris differre. Unde & a prohibita Austregarum jurisdi- *Austregæ amplius ad compromissa non pertinent.*

 ctione

ctione ad compromissorum prohibitionem valide haud infertur, cum compromissa locum inveniant in causis, a quibus Austregæ exulare jubentur.

§. XXVII.

Differentia arbitri ab arbitratore

Quoad modum procedendi in commissa sibi causæ cognitione differt arbiter ab arbitratore. Hic sine ambagibus eo, quo visum fuerit, modo litem componere jubetur, & vocatur ein Schieds-Mann, ein Schieds-Freund. Arbiter vero ordine in judiciis consueto procedere debet, & vocatur Schieds-Richter. Quæ distinctio cum supponat receptum ex civili quodam instituto certum procedendi genus, sponte patet, eam ad solos arbitros subditis constitutos pertinere, naturali autem jure eam ignorari, jam dum monui §. 20. In dubio arbitrator potius quam arbiter constitutus videtur, quoniam ad vitandam processuum longinquitatem in arbitros compromittitur.

§. XXVIII.

A laudo

Ad effectum pronuntiatæ ab arbitro sententiæ, vel laudi quod attinet, id extra dubitationem est positum, si dolose egerit arbiter, aut contra jus in thesi pronunciaverit, vel inhonesta jusserit, hoc ipsius laudum esse nullum, & impugnari posse, etiamsi partes laudo se staturas jurato promiserint. At si nihil dolose ab arbitro commissum, num ideo saltem, quod pars laudo se læsam putat, ab eo recedere liceat? proponitur. Si compromisso pœna est addita, eadem soluta, recte a laudo recedi, non ambigitur, eam tamen intra decendium solvendam, eoque elapso simpliciter rem judicatam obligare ex *Mevio*, *Lynckero*, *Hubero*, *Voetio* docet *Ludolf* de jur. Cameral. p. 388. At si nulla pœna addita, laudo simpliciter standum esse videtur. Ideo enim compromissum, ut citra ambages lis laudo terminetur, sive æquum sive iniquum fuerit dictum Conf. L. 27. §. 2. Dig. de recept. qui arbitr. Sane si ab arbitri laudo de novo ad judicem ordinarium esset deveniendum, satius fuisset, arbitro omisso, statim judicem ordinarium adiisse.

§. XXIX.

quando recedere licet?

Ne tamen hac ratione sententia partes lædantur, civilia jura disponunt, ut ab *arbitratoribus* electis non quidem ob solam unius pœnitentiam rece-

recedere liceat, ipsorum tamen laudum tunc, si læsio ultra dimidium probetur, ad arbitrium boni viri i. e. judicis (non arbitri, sed causæ) ordinarii intra 30. annos reducatur L. 76. Dig. pro socio * Ab arbitri vero laudo non homologato (i. e. quod partes nec expresse nec tacite approbarunt, nullum scil. remedium intra decendium interponendo) ob enormissimam læsionem ad judicem ordinarium intra decendium possit recurri * * Rec. Imp. 1594. §. 66. Quo ipso tamen finis per compromissum intentatus, maximaque ejus utilitas tantum non penitus intervertitur. Certe *Ludolf.* de jure Cameral. p. 2. plura, ait, adesse compromissorum exempla inter immediatos Imperii cives initorum ea lege, ut acta ad Academiam transmitterentur, at pauciora ubi controversia ea ratione fuerit terminata. Ne igitur compromittentes sperato compromissi fructu excidant, expedit, jurejurando illud munire, quo casu recedi ab eodem plane nequit cit. L. penult. C. de recept. arbitr. Ac licet Nov. 82. c. 11. per sacramentum arbitros assumere vetet, praxis tamen id non servat, & quidem, ut volunt, ob cap. 5. X. de arbitris. Eandem quoque vim esse compromissi sub fide principali facti, ac si sub jurejurando, in Camera Imperiali post gravem disputationem anno 1543. in causa Baden contra Baden decisum. Arbitris executionem non competere, nisi & illa diserte ipsis commissa, dicetur Tit. 14. §. 407.

* Nec obstat L. penult. pr. C. de recept. arbitr. Supponit enim illa nudo pacto (quod apud Romanos exceptionem, non actionem pariebat) compromissum esse constitutum. Si igitur pro reo talis arbiter pronunciarat, exceptio quidem dabatur, sin pro actore, tamen actio ei denegabatur, nisi partes laudum approbarint, tunc enim ob iteratum pactum velut ex constituto actio dabatur.

** Qui recursus suo sensu appellatio vocatur, licet non præcise ad superiorem, sed judicem ordinarium recurratur.

)o(

TITULUS II.

DE

Necessariis Principum judicibus.

* * *

Necessarii judices sunt, quos litigantes agnoscere in causis suis citra singulare compromissum tenentur. Regulariter Principes nullum, subditi vero imperantis judicium agnoscere tenentur. Ipsi tamen Principes haud raro alius se judicio pactis subjiciunt, quod omnino in causis, quæ Reipublicæ regimen non principaliter tangunt, salva Majestate fieri potest.

§. XXX.

Judex necessarius quomodo ab arbitro differat?

Judex necessarius est persona, ad quam litigantes causas suas ex debito deferre tenentur, & differt ab arbitro non tam eo, quod arbiter pacto ab ipsis litigantibus, judex autem lege a superiore constituatur. Nam Princeps, qui per leges fundamentales in certis causis coram Ordinibus provincialibus conveniri potest, hos quidem judices necessarios agnoscit, utut pacto a se ipso inito constitutos, cumque a pacto subjectionis imperantium potestas plerumque pendeat, facile apparet, ipsam quoque judiciorum constitutionem huic subditorum pacto initi. Quare discrimen arbitri a judice necessario in eo potius quærerem, quod arbitri in singulis saltem

ſaltem cauſis aſſumantur, in eosque quoad ſingulas cauſas compromitti, ſeu voluntas litigantium de eorum judicio agnoſcendo declarari debeat, cum exadverſo judex neceſſarius ad omnes certi generis lites emergentes ita ſit conſtitutus, ut eum litigantes præciſe agnoſcere teneantur, nec repudiare poſſint. Unde quoties Princeps in ſuis judiciis conveniri ſe ex libera voluntate patitur, adeo ut prohiberi poſſit, ne judices in hac illave cauſa cognoſcant, res propius ad compromiſſum accedit. Quamvis enim Princeps ſe declaraverit, quod in genere quoad cauſas ſuas privatas coram judicio provinciali conveniri velit, quia tamen exinde jus nemini eſt quæſitum, facile patet, in ſingulis cauſis a Principis voluntate pendere, num judicis arbitrium ſequi velit. Si vero Ordinum judicium Princeps in cauſis ſuis ob leges fundamentales declinare nequit, negotium magis judicii neceſſarii indolem imitatur.

§. XXXI.

Repugnat hæc judicem agnoſcendi neceſſitas primævo ac naturali libertatis & æqualitatis ſtatui, a quo quidem in ipſo etiam innocentiæ ac integritatis ſtatu recedi per pacta potuiſſe exiſtimo. Nam inter pios quoque caſus adeo dubii emergere poſſunt, qui judicis ac magiſtratus deciſionem omnino deſiderant. Negari tamen nequit, plerasque lites & controverſias hominum impietati & nequitiæ originem debere, hancque proinde judiciis anſam præbuiſſe, imo eorum coſtituendorum neceſſitatem ſuo modo impoſuiſſe. Militat interim pro libertate & primæva hominum æqualitate præſumtio tam diu, donec ab eadem fuiſſe receſſum probetur. Ubi vero de facta ſubjectione conſtat, in omnibus eadem facta cenſetur, adeo ut quicquid libertatis ſibi reſervare ſubditi voluerint, facti ſit, & probari debeat, pro imperante vero ejusque poteſtatis plenitudine præſumatur. Unde relinquitur regula, ſubditos neceſſario imperantis judicium, ſummos vero Principes aliosque, qui in naturali libertatis ſtatu vivunt, judicem nullum agnoſcere debere, ſed bello armisque ad debita præſtanda eſſe adigendos.

Principes nullum, ſubditi Principes judicium agnoſcunt.

§. XXXII.

Ad regulam hanc ulterius confirmandam juvabit, varios luſtraſſe caſus, qui pro diverſo litigantium ſtatu & conditione, prout vel ſubditi, vel li-

Si Princeps contra Prin

cipem agit. beri sive Principes sunt, contingere possunt. Primus est, si uterque litigans liber existit, e. c. Principes duo summe imperantes. Hi judicem nullum agnoscunt, quare si debitum negatur, nec ad arbitros bona voluntate venitur, quilibet sibi ipsi jus dicit, h. e. ea adhibet media, quæ juri suo obtinendo aptissima judicat. Talia sunt jus retentionis, denegatio alius debiti, denique vis armorum ac bellum.

§. XXXIII.

Si Princeps contra subditum? Alter casus existit, si actor est Princeps, reus autem subditus. Tunc si reus est subditus extraneus, hujus Princeps prius adeundus, qui si justitiam denegat, bello tunc demum ansam præbet. Sin reus actoris est subditus, superior, qui adiri possit, tali casu non datur. Judicavit Tiberius in causa servi sui Parthenii L. 41. Dig. de hered. instit. Antoninus de caducis L. 3. Dig. quæ in testam. del. Mavult bonus Princeps causa cadere, quam cum alterius injuria victoria potiri. De Ludovico XIV. Galliæ Rege refert *Menetrier* histoire de Louis le grand par les medailles p. 19. n. 6. l'afaire des maisons baties sur les anciens fossez de la ville ayant été portée au Conseil, les voix furent partageés. Et le Roy pouvant decider en sa faveur, donna sa voix en faveur des particuliers, & perdit ainsi sa cause par son seul suffrage. Unde numi cusi 1680. cum epigraphe: fiscus causa cadens.

Aliquando pactis potest judicium modusque procedendi determinari. Civitas Pomeranica Colberg in processu super reluitione census molendinarii ipsi ab actore seu Electore Brandenburgico, tanquam Duce Pomeraniæ & Principe Caminensi mota, provocavit ad forum Austregarum ob speciale privilegium ab Episcopo Caminensi Martino civitati indultum, de quo casu vid. *Brunneman.* Consil. 226. & *Stryck* de foro Principum & privatorum communi p. 61.

Pacta ubi deficiunt, nil impedit, quo minus subditus coram Principis judicio conveniatur. Omnis enim, quæ subesse posset, partium studii suspicio purgatur eo, quod non ipse Princeps, (hoc enim tyrannidem saperet) sententiam fert, sed eam vel ab extraneo JCtorum collegio, vel a Consiliariis suis requirit, quorum obsequium Principi debitum ad injuste pronuntiandum non pertingit. Imo in Saxonia & alibi passim, qui jurisdictio-

dictionem patrimonialem habent, utut ſuperiorem agnoscant, tamen ſuos ſubditos coram ſuis judiciis convenire ſinuntur, dummodo Actuarius præſtito in præſentia ſubditorum juramento conſtitutus ſit. Principum miniſtri cum regulariter ſint ſubditi, dominorum ſuorum forum declinare vix poterunt. Memini tamen, in Germania Principum miniſtros a commisſionibus, a Principe ipſorum delicta inquirendi cauſa conſtitutis, citatos comparere noluiſſe, remque ad ſumma Imperii tribunalia felici ſucceſſu ſtatim detuliſſe.

§. XXXIV.

Tertius caſus ſe exerit, ubi actor eſt ſubditus, reus autem Princeps, isque vel extraneus, atque hic mediante noſtro Principe ad ſatisfaciendum bello adigitur, vel actoris imperans, tunc ſi ſe coram ſuis tribunalibus conveniri patitur, compromittere in eadem videtur, ſi eadem declinat, ſeque iniquum præbet, in cauſis privatis ferendus, quia ſubditi per ſubjectionem omnem reſiſtendi facultatem abdicarunt, publicæ vero cauſæ Ordinum judicio non quidem per modum imperii, ſed naturalis defenſionis in tantum ſubjacent, quantum publica ſalus inde periclitatur. Omnis quippe imperantis poteſtas ex fine Reipublicæ metienda. Quare in ipſis etiam regnis patrimonialibus, licet imperandi jus a Rege citra populi conſenſum transferri in alium poſſit, ſi tamen illud in tyrannidem degenerare animadvertitur, non omnis reſiſtendi facultas populo deneganda. *Si ſubditus contra Principem.*

§. XXXV.

Quartus denique caſus is erit, quando uterque & actor & reus ſunt ſubditi, & quidem ejusdem Principis. Tunc hujus eſſe, orta inter cives diſſidia componere, dubio caret. Sin actor & reus diverſorum Principum ſunt ſubditi, rei Princeps, ejusque auxilium imploratur, quod ubi denegatur, actor, re ad ſuum Principem delata, literas promotoriales ab eo ad rei Principem impetrabit, quibus pariter ſpretis, actoris Princeps vel bello vel lenioribus, ſi fieri poteſt, mediis rei Principem ad iuſtitiam adminiſtrandam perducet. Imprimis eo conducunt repreſſaliæ, quippe quæ nihil aliud ſunt, quam actus, quo perſonæ vel res civium Reipublicæ *Si ſubditus contra ſubditum.*

extraneæ, quæ nostris civibus justitiam denegavit, publica autoritate tam diu detinentur, donec justitia fuerit administrata. *

* 1. In sensu generaliori repressaliæ accipiuntur pro actu, quo ei, qui nobis ingrata fecit, iterum ingrata facimus, ubi non præcise requiritur, ut injuria simus affecti, neque ut ii, quos repressaliis afficimus, sint membra ejus societatis, quæ nobis fecit ingrata. Exemplo res fiet clarior. Cum Seculo superiore Galliarum Rex Protestantes regno pelleret, Elector Brandeburgicus Fridericus Wilhelmus repressaliis erga Catholicos in suis ditionibus usus legitur apud *Puffendorf.* in Vita ejus L. 3. §. 25. Et Galliarum Rex & Elector Brandeburgicus, uterque suo jure utebatur, neuter alteri faciebat injuriam, neque cum Catholicis in ditionibus Brandeburgicis Galliarum Regi nexus ullus præter sacrorum communionem intercedebat. Et nihilo secius repressaliæ in sensu generaliori acceptæ exercebantur, quod licitum omnino, quamdiu nostro jure utimur. At injuria eum, qui societatis, quæ prius nos læsit, membrum haud existit, sub repressaliarum obtentu afficere, aut humanitatis officia ei negare non licet. Hinc ob denegatam dissentientibus in religione sepulturam retorsio in alios quam denegantes adhiberi nequit. Non enim unius religionis consortes corpus quoddam morale constituunt. Conf. *Titii* Jus publ. p. 331.

2. Hoc loco repressalias strictiori sensu accipi, ex definitione suppeditata apparet. Diximus eas esse *detentionem*. Nam sive belli speciem repressalias esse neges, sive affirmes, sive bellum imperfectum dicas cum *Grotio* L. 3. c. 2. sufficit nosse, quod cum bello conveniant eo, quod ob læsionem quandam, & quidem violenta manuum in res vel personas alienas injectione inferantur. Differunt autem a bello, quod intra modum detentionis debeant subsistere, neque occidi personæ detentæ possint, prout in bello licet. Quare quod Huguenotti in Gallia Seculo XVI. præsidia civitatum per deditionem receptarum trucidarunt, quoniam Catholici idem fecerant, rectius belli, quam repressaliarum

rum jure factum dicitur. Etiam contra datam de non retinendo fidem per modum repressaliarum detentionem esse licitam, apparuit 1695. quando Angliæ Rex Galliæ Mareschallum de Boufleur post solutam Namurci, cui præfuerat, obsidionem, datamque discedendi veniam, nihilominus detineri jusserat, quoniam Galli Capitulationem Dixmudiensem & Deinsensem prius fregerant. Vid. *Ludovici* de Capitulationibus Bellicis c. 4. §. 8.

3. Porro repressaliis detineri docuimus *personas vel res*. Personarum detentio ἀνδροληψία dicitur, rerum vero ἐνχυρασμὸς Detineri possunt personæ hoc in passu saltem non privilegiatæ. Jure gentium enim excipiuntur legati, & subditi temporarii, qui transeundi saltem causa adsunt, jure civili passim fœminæ, infantes, Clerici, literati, mercatores ad nundinas publicas proficiscentes. Res detineri solent mobiles plerumque, possunt tamen & immobiles e. c. si subditi Reipubl. quæ justitiam denegavit, apud nos immobilia possident, aut si pace inita fortalitia aliaque immobilia cessa, horum quippe evacuatio tam diu recte denegatur, donec pro iustitia denegata satisfactum.

4. Debent vero personæ vel res detinendæ esse civium *extraneorum*. In nostros enim cives eorumque bona arresta cadunt, repressaliæ autem in extraneos, qui si nostri simul sunt subditi aut Vasalli, non qua tales, sed qua extranei repressalias patiuntur, sive in nostra sive in extranea civitate frequentius versentur, quæ subtilis sed vana nimis est distinctio *Joannis Jacobi a Canibus* Tr. de Repress. n. 34. Tangunt vero repressaliæ extraneos utut *innocentes*, quo ipsi differunt a *talione*, quæ nocentem saltem ferit, & si ab ipso læso infertur *retorsio* audit. Vid. de pœnis T. 2. §. 231. Alii retorsionem ajunt supponere *jus* singulare e. c. quando magistratus Saxonicus Geradam extraneæ denegat, repressalias autem requirere *factum* notorium. Ratio autem, quare innocentium quoque res & personæ repressaliis sunt obnoxiæ, hæc est, quod illi sunt membra corporis mystici, quod prius nos læsit, cujus proinde facta præstare tenentur. Frustra igitur Gregorius

gorius X. cap. un. de injuriis in 6. repressalias æquitati naturali contrarias perhibet.

5. Causa, quare repressaliis locus sit, est justitia denegata, unde differunt a pignoratione, quæ fit ob possessionem turbatam. Ut vero de justitia denegata constet, requiritur, eam esse imploratam, & quidem super causa, quæ injusta extrinsecus haud apparet, sed justitiæ speciem ac præsumtionem hactenus pro se habet. Repressaliæ enim tanquam medium violentum in subsidium, & tunc demum adhiberi debent, ubi per media leniora & judiciorum viam jus consequi haud possumus.

6. Eandem ob causam, quia nimirum repressaliæ sunt medium violentum, nonnisi *publica autoritate* easdem adhiberi diximus. Subditis quippe ne quidem contra concives vis permissa, nedum contra extraneos, qui inde Rempublicam turbis implicandi ansam facile arripere possent. De cetero nil refert, sive per publicos ministros, sive per ipsum læsum, cui denegata est justitia, repressalias exerceri Princeps permittat, sive ipse eas permittat, sive per magistratus, quibus tamen rarius hæc potestas relinquitur. Carolus IX. Galliæ Rex jus concedendi repressalias, quod antea penes præfectos erat provinciarum & summæ Curiæ Regni, ad se revocavit. Vid. *Choppin.* de doman. Franc. lib. 3. tit. 25. n. 1.

7. Finis repressaliarum est, ut per illas adigatur Princeps extraneus ad justitiam administrandam, ut scil. debitum solvatur, damnumque datum reparetur. Unde & repressaliæ *tamdiu* saltem durare debent, donec sequatur satisfactio, qua præstita res vel personæ detentæ reddi debent. Quo nomine recte a Commentatoribus reprehenditur *Grotius* L. 3. c. 2. §. 7. ubi jure gentium ipso facto dominium rerum captarum ad summam debiti & sumtuum acquiri contendit.

8. Num Imperii Germanici Principibus repressaliæ sint licitæ? passim disceptatur. Contra exteros cum ipsis belli jura sint integra, multo minus de repressaliis dubitandum. At quoad Con-

Status

Status dubium movet Instrumentum Pacis art. 17. §. 7. vim & arma inter eos prohibens, & super controversiis jure experiri præcipiens. At cum repressaliæ saltem sint medium subsidiarum deficientibus judiciis competens, cessare inter Status debebunt. Autor quidem Meditationum ad Instr. Pac. h. l. legem de non persequendo jure suo vel vi vel armis, annumerat abrogatis. Sed bene monet *Engelbrecht* de servitutib. Jur. publ. ab abusu ad abrogationem juris non protinus esse concludendum. Interim exceptionem dicta regula patitur iis casibus, quibus judicia inter Status cessant. Sic causæ religionis non ad tribunalia sunt deferenda, sed sola amicabili compositione terminandæ. In iis igitur omnino repressaliis erit locus it. si per litem ad tribunalia deferendam alter moras saltem nectere intendit, ex quibus alteri præjudicium insigne nasci, breviori autem modo per repressalias causa maturari posset, repressaliæ iterum non erunt illicitæ. Sola quippe bella offensiva statibus sunt interdicta, defensiva autem omnino permissa. Hæc autem si licent, multo magis repressaliæ licebunt, tanquam medium omni bello lenius & mitius. Dissentit *Schweder* Jur. publ. part, spec. Sect. 2. c. 14. §. 10. *Rhet.* L. 2. T. 10. *Struv.* Syntagm. Jur. publ. c. 26. §. 35.

9. Nec obstat Capitul. Caroli VI. art. 16. n. 4. ubi repressaliæ & arresta diserte prohibentur, sed NB. *lite pendente.* Quamdiu enim per modum judicii controversia terminari potest, repressaliis locum haud facimus, at ubi metuendum, ne judiciorum vim alter eludat, minimum sane, quod adhiberi poterit medium, repressaliæ constituunt. Et ni vehementer fallor, repressaliarum vox in dicto textu latiori ambitu accipitur pro armorum vi in lædentis territorium translata. Vim enim Principi in suo territorio illatam vi, utut ferali repellere quis prohibitum dixerit. At mitius longe violenta tali repulsione medium sunt repressaliæ, quibus Princeps detinet saltem, & quidem in suo territorio res extraneorum tam diu, donec satisfactio sequatur. Conf. *Brunneman.* diss. de fortalitiis. Ducit *Gribnerus* de præjud. Princip. Imp. ex abus. Jur. Justin. c. 2. in fin. argumentum

pro repressaliarum inter Status Imperii justitia a jure de non appellando, cui tamen vix fidendum. Constat quippe ad casum denegatæ justitiæ, qui in repressaliis semper supponitur, jus de non appellendo haud pertingere.

10. Ipsi Imperatori facultatem repressalias nomine Imperii contra exteros sine Statuum consensu exercendi denegat *Vitriarius* Inst. Jur. publ. L. 3. T. 3. §. 6. cum repressaliæ sint species belli, cujus jura cum Statibus communicata.

§. XXXVI.

Si judicis copia deest, etiam subditus sibi jus dicit.

A regula quam modo deduximus, quæque Principes nullum, subditos vero omnino judicem agnoscere ait, datur certis casibus exceptio tum inter subditos, tum inter ipsos Principes. Fallit illa inter subditos, quoties judicis copia fieri nequit, quod in justitio tum continuo, tum momentaneo, ubi periculum est in mora accidit. Atque tunc quilibet sibi ipsi jus dicere, seque, qua potest, ratione tueri finitur. Cave tamen, ne idem licere asseras in casu denegatæ aut nimium protractæ justitiæ. Hoc enim si admitteremus, non leve Rebus publicis ipsarumque quieti periculum immineret. Equidem lites nimium protrahere, quid quæso est aliud quam justitiam ex parte denegare? Hæc ubi denegatur, judicis sane copia deficit. Hac deficiente ad statum naturalem, ejusque media suum ab invito consequendi, vim & decertationem venitur. Ita si rationes inire velimus, deficeret pro hodierno rerum statu tantum non in plerisque controversiis judicis copia. Eo quippe proh dolor! deventum est, ut solamen ex judicis auxilio non supersit, postquam litium sumtus & diuturnitas spem suum ab invito consequendi penitus evertunt, quæ non omnino injusta est querela *Beyeri* in Jur. Germ. L. 3. c. 6. pos. 14. Ideo tamen ad vim privatam velle prolabi, ac summa imis miscere, fini rerumpublicarum repugnaret. Quare tum demum judicis copia deficere intelligitur, si juvare non potest. Si vero in voluntate ipsius defectus residet, iniqua etiam, si de bonis solis disceptatur (nam si de vita & libertate, secus forte sentiendum) ferenda, ne ob causam privatam publica detrimenti quicquam capiat.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Econtra Principes ſe judici poteſt ſubmittere.

Inter Principes regula, qua eos judicem haud agnoſcere diximus, fallit, quoties doceri poteſt, quod ſe judici ſubmiſerint. Ante omnia igitur diſpiciendum, an ſummus Princeps judicem ſpeciatimque neceſſarium habere queat? nam de conventionali non ambigitur. At judicem neceſſarium habere, plerique repugnare exiſtimant Majeſtatis indoli. Hanc igitur penitius ſcrutemur. Eſt autem Majeſtas nihil aliud, quam ſumma Rempublicam regendi poteſtas.

§. XXXVIII.

Salva Majeſtate.

Eſt *Poteſtas.* Nam de ſola Majeſtate titulari, quæ dignitatem ſine poteſtate tribuit, qualis & Regum uxoribus competit, hoc loco non eſt ſermo. Porro debet eſſe poteſtas *ſumma*, independens, non agnoſcens ſuperiorem * h. e. talem, qui ipſius actiones ſub examen vocare, judicare, annullare poteſt. Jam vero ſi nemo Principis actiones ſalva ipſius Majeſtate judicare poteſt, ſequitur, quod nec judicem agnoſcat. Sed obſervari velim, Majeſtatem eſſe quidem ſummam poteſtatem, ſed non in omnibus & abſolute ſummam tantum NB. *Rempublicam* regendi poteſtatem. In Reipublicæ regimine Princeps a nemine debet pendere (alias enim publici ſtatus miniſter eſſet, non ſummus imperans. Hoc illud eſt, quod ſibi vult Antoninus Philoſophus Imperator apud *Xiphilinum* in Vita ejus: nemo niſi ſolus DEUS judex Principis eſſe poteſt. Quoties igitur a Rege aut Principe datur appellatio ad ſuperiorem, cui non modo Principis ſententiam reformandi, ſed & ſententiam reformatam exequendi jus eſt, tunc certo concluditur, talem Principem Majeſtate non gaudere.) At in cauſis Rempublicam non præciſe tangentibus, e. c. privatis ſuis negotiis, imo in ipſo ſucceſſionis litigioſæ paſſu nil obſtat, quo minus ſalva Majeſtate Princeps a poteſtate aliena pendeat, judicemque agnoſcat. Plerique Reges in cauſis ſuis Eccleſiaſticis Pontifici Romani autoritatem & judicium agnoſcunt **; multique eorum excommunicationis fulmen ſunt experti. Poloniæ Reges lege fundamentali fuiſſe obligatos ad cauſas divortiorum ſuorum Ordinum judicio ſubmittendas, dictum eſt de Matrimon. §. 515. Andreas Hungariæ Rex anno 1222. ſe ſuosque ſucceſſores Procerum judicio ſubmiſit, quibus tamen Majeſtatem propterea denegare nemini facile veniet in mentem.

Ab

Ab Angliæ Regibus Pontifices Romani & Vasallagium & homagium quondam exegerunt ***. Denique probe notandum, Majestatem saltem comprehendere jus rempublicam *regendi*, non perdendi. Quare ex iniquitate, duritie vel abutendi facultate Majestas perperam æstimatur.

* *Superior* cum *potentiore* non confundendus. Potest quis esse summus Princeps, nec superiorem agnoscere, bene tamen potentiorem, & quidem talem, quocum ipsi fœdus inæquale, clientelare, nexusque feudalis intercedit, hic enim ad fidelitatem saltem obligat, subjectionem vero non præcise involvit, & independentiæ non magis officit ejusdem a domino directo facta concessio, ac illa, quæ fit per pactum & collationem subditorum. Sic Neapoleos Regnum Pontifici hodienum est clientelare. Plura exempla habet *Furstener.* de Suprematu c. 31. Neque etiam summæ ac independenti potestati repugnat, esse *revocabilem*, *temporariam*, ad annos certos, aut conditiones certas concessam. Sufficit enim, quod durante illo tempore regimen alterius judicio non subsit. Rerum quippe moralium indoles non ex duratione, sed operationibus metienda. Nec denique Majestati summitas potest negari, etiamsi sit *limitata* certis in passibus, dummodo ea, quæ Principi sunt relicta, aut reservata, a solo ipsius arbitrio pendent, nec alieno arbitrio sunt obnoxia.

** Ita tamen, ut per Pontificis delegatos causa apud partes cognosci debeat. De Gallia scribit *Perefixe* histoire d'Henry de le grand p. 300. La cause (du divorce du Roi) rapportee au Consistoire, le Pape donna Commission a des Prelats de la juger sur les lieux selon les droits de cette Couronne; qui ne souffrent point que l'on traduise les Francois pour pareille nature d'afaires de la les Monts, ou il leur seroit presque impossible de faire aller les temoins & les preuves necessaires. Causa divortii Henrici VIII. Angliæ Regis cum Catharina Hispanica a delegatis Papalibus Wolsæo & Campegio Cardinalibus tam diu Londini tractabatur donec pro parte Reginæ appellatio facta, juramentoque perhorrescentiæ præstito causa Romam evocaretur, donec Henricus tandem a Romana Ecclesia prorsus secederet.

Conci-

Concilium Tridentinum Seſſ. 22. cap. 5 in genere ſtatuit: diſpenſationes quæ gratioſe conceduntur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi prius ab ordinariis tanquam delegatis Apoſtolicis ſummarie de iis cognoſcatur, quod ſub vel obreptioni non ſubjaceant.

*** Angliæ & Hiberniæ Reges 1212. ſe Vaſallos ſummi Pontificis conſtituerunt & tributarios. *Blondus* L. 6. Dec. 2. Anno 1340. Rex Angliæ Regnum Pontifici in uno Sterlino pro quolibet foculario ſuppoſuit, quæ pecunia D. Petri nuncupata fuit. *Auguſt. Steuchus* Bibliothec. Papæ in L. 2. de donat. Conſtant. p. 138. Rex Joannes ut homicidii in Artum minorem commiſſi remiſſionem impetraret, novi cenſus annui mille Marcarum Sterlinorum die Michaelis ultra pecuniam Petri, ſolutionem promiſit conſenſu Ducum, Comitum & Baronum, *regni homagium* eccleſiæ jurans, ſeque Innocentii III. ſubditum faciens coram Archiepiſcopo Cantuberienſi, cujus bulla authentica habetur in Vaticano, idque præſtitum fuit, uſque dum Henricus VIII. eo, quod Papa matrimonium Bolenæ ex depreſſa conditione oriundæ legitimare noluerit, ſe debito ſubtraxerit 1534. At fidem bullæ quæ de homagio ab Angliæ Rege Pontifici præſtito teſtatur, haud abs re ſagaciores in dubium vocant. Vid. *Sprenger.* de Prætenſ. illuſtr. p. 168. Et Denarium S. Petri non tributi genus, ſed eleemoſynam Regis, Regis largam benignitatem, qua Anglis pauperibus Romæ degentibus ſuccurreretur, in antiquis diplomatibus vocari docet *Schwederi* Theatr. prætenſ. *a Glafejo* ſupplementum Lib. 3. Sect. 1. cap. 14. p. 598.

§. XXXIX.

etiam in abuſu Majeſtatis.

Habet Rex Majeſtatem, ſummamque poteſtatem, ſi tamen eadem ita abutitur, ut in tyrannidem degeneret, a populo poteſt deponi, non quidem per modum judicii ſed defenſionis. Imo Majeſtatis ſummitati non officit etiamſi Rex proceribus permittat facultatem annullandi injuſte a ſe facta, quæ utut manifeſta ſint, tyrannidem tamen & Reipublicæ everſionem non protinus inferunt. Sola juſta Reipublicæ adminiſtratio Majeſtatis objectum conſtituit. Abuſus & injuſtitia extra ſphæram Majeſtatis ſunt poſita, quo-

rum licet judicium regulariter subditis ob translata sua in principem jura haud competat, cedi tamen ipsis aliisve a Principe potest. Moraliter quidem sunt impossibilia *Grotii* aliorumque de universali gentium tribunali consilia, quoniam gentium in illud consensus sperari nequit. Sed finge eum interponi. Subsistere posset tale tribunal salva Regum Majestate, si nimirum ea saltem ad illud deferantur, quae a quopiam eorum ita sunt patrata, ut pro manifeste injustis reputentur. Quodsi vero de injustitia non satis constat, sed causae cognitio desuper instituenda, tunc in administratam a Rege justitiam velle inquirere, nihil foret aliud, quam ipsam regni administrationem, Majestatisque circulos turbare.

§. XL.

Potentior debilioris judex haud est.

Summa dictorum eo redit, posse Principem salva Majestate in caussis privatis, & abusu publicae potestatis judicem habere, in ipso Reipublicae regimine non item. Posito igitur atque evicto, quod Princeps possit habere judicem, proximum est, ut videamus; quomodo ille constituatur? Frustra sunt, qui sibi aliisque persuadent, DEI voluntate finitimis gentibus id esse injunctum, ut in regendis gentis impotentioris actionibus universi generis humani judicisque munus expleant. Ostendi divina illa voluntas nequit, nec apparet, qua ratione potentia sola jus tribuere possit? Quae hodie de Anglia aequilibrium inter Europae gentes moderante passim afferuntur, quorsum & spectant sequentia Autoris Angli du projet pour faire une paix generale 1712. c'est une opinion communement reçue parmi nous, que la grande Bretagne *doit* toujours tenir la balance, & qu'en tenant les grandes puissances de l'Europe en equilibre, nous devenons les arbitres du monde: haec inquam rectius de eo quod fieri ex capite prudentiae possit ac soleat, quam quod fieri aut admitti ex necessitate quadam debeat, accipienda videntur.

§. XLI.

nec Pontifex Principum.

Nec meliori fundamento nituntur, qui Pontifici Romano DEI in terra vices concreditas perhibent, hocque nomine Reges Principesque Pontificis jurisdictioni obnoxios cupiunt. Conf. Clementina Pastoralis de Sent. & re judic. c. 1. in fin. Extravag. Commun. de Major. & Obed. c. un. Extra-

Extravag. Commun. de Consuetud. c. 2. de sentent. & re judic. in 6. ubi superciliosa satis a Pontificibus jactari videas. At fictus hic est Pontificis Vicariatus fictaque innixa eidem jura, quod cum ab aliis abunde satis ostensum sit, fusius hic deducere, supervacaneum putamus.

§. XLII.

Populo etiam in Regem judicium a Monarchomachis frustra vindicatur. Rex enim ad populum, non populus ad Regem judicandum est constitutus, quod adeo verum, ut ne quidem de successione Regni judicare possit. Causa quippe successionis nec Regi subjecta est, quippe qui lege nulla successorem obligare potest, nec populo, qui omnem a se jurisdictionem in Regem & Regiam familiam transtulit, qua durante nullas ejus habet reliquias. Attamen si de primæva populi voluntate dubium incidit, non abs re erit populum, qui nunc est, quique idem cum eo, qui olim fuit, censetur, suum super ea re sensum exprimere, (quod nostra memoria in Suecia & Russia factum, cum apud Suecos Ulrica Eleonora, apud Russos Anna rerum potiretur,) qui sequendus erit, nisi satis certo constet, olim aliam fuisse populi voluntatem, & ex ea jus quæsitum. Vid. *Grotius* de Jur. Bell. & Pac. L. 2. c. 7. §. 27. Pariter si de eo quæritur, num filius Regis per delictum successione se reddiderit indignum, nec patris nec populi proprie erit judicium. Si tamen pater populi judicio rem committit, quale exemplum attuli de patria potest. Tit. 10. §. 208. ipsius sententia non quidem erit judicialis, nec filio præjudicabit in persequendo jure, quod sibi quæsitum asserit, id tamen operabitur, ut pater ab odii intempestivi suspicione liberetur, ac majori juris specie vim filio inferre queat. Ubi vero super successione disceptantes in populi Procerumve arbitrium compromittunt, qualia exempla in Annalibus satis frequentia occurrunt, hi non tanquam superiores proprio suo, sed delato sibi a litigantibus jure, tanquam arbitri litem componunt. Si denique per pacta & leges fundamentales populo aut proceribus jus super litibus in Regia familia de successione obortis judicandi est quæsitum, id quidem per dicta §. 9. Majestatis indoli non repugnabit; successio enim ab ipso regendi jure est distincta, nec sub jure imperii, vid. *Grotius* l. c. extraordinarium tamen erit, ac tale quod communi Regnorum naturæ non inest. Hinc conciliari quodammodo aut emendari Doctorum circa gravissimam hanc materiam sententiæ poterunt

nec populus.

terunt. *Huberus* de Jur. Civit. L. 1. Sect. 7. c. 7. §. 52. sqq. solum ferrum & bellum judicem agnoscit. *Gronovius* ad Grotium L. 2. c. 7. §. 27. Principi jus tribuit de futura successione litigiosa decidendi *Hertius*, *Kulpisius*, *Barbeyrac*, *Kestnerus* aliique populi judicium fundatum perhibent, quod *Boehmerus* in Jure publ. universal. p. 641. tunc demum admittit, si neuter competentium in regni est possessione, per possessionem autem (talem nimirum, quam populus e. c. homagio agnovit,) eundem amittere judicium.

§. XLIII.

Sed solo pacto inter Principes judex constituitur.

Nos Principibus judicem solo ipsorum pacto *, quod in legem plane fundamentalem quandoque transit, constitui existimamus. Neque est, quod nobis objiciatur, talem judicem, qui pacto propriaque Principis voluntate constituitur, voluntarium esse, non vero necessarium, de quo hic agitur. Characterem enim judicis voluntarii non in eo, quod litigantium voluntate constituitur, sed in eo esse quaerendum, quod voluntarius judex repudiari in singulis causis possit, necessarius non aeque, ostendimus §. 30. Exempla Regum, qui ad agnoscendos necessarios ejusmodi judices fuerunt obligati, adduximus §. 38.

* Supervacaneum duco, de *foro originis* quicquam addere, quod olim tantae autoritatis erat, ut nec mutari potuerit L. 4. C. de municip. nec declinari etiamsi quis alibi domicilium constituisset L. 6. C. de Incol. Glossa ad L. 6. §. 1. Dig. ad municip. sequentia habet: Nota quod filius suam propriam originem sequatur, quam nec mutare potest, item & patris sui, & etiam illam non potest mutare, quod accipe in eam, quam pater habuit ex se, non ex origine sui patris: alioquin oporteret nos quaerere ubi natus fuit Adam, sive agrum Damascenum. Cui difficultati *Stryckius* de foro Principum & privatorum communi p. 41. ita vult mederi, ut respondeat autori glossae: non procedere ut forum originis ab eo incipiatur qui ante introductionem omnis fori a jure civili factam vixit. Hodie cum nulla fori originis ratio ne inter privatos habeatur multo minus Principibus illud applicandum. Conf. dicta de Ministris §. 408. Idemque de foro *communi Urbis Romae*, tanquam patriae communis, dicendum

dum judicat Stryck. L. c. Ridicule forum Urbis Romæ applicaretur ad Viennam aliamve Imperatoris ſedem, quaſi ibi Roma, ubi Imperator: imo ne quidem ad Principum reſidentias quaſi quilibet Princeps ſit Imperator in ſuis terris. Hoc enim inſtantiarum legibus fundamentalibus ordinatarum confuſionem pareret. Quoad Catholicos autem forum Urbis Romæ in eccleſiaſticis hodienum vigere dicetur Tit. 4. §. 68.

§. XLIV.

Neque vero ſolo pacto expreſſo, ſed & tacito Principes alterius ſe *utut tacito.* udicio ſubmittunt. Is, qui ſibi immobilia alius imperio ſubdita comparat, eo ipſo bonorum illorum intuitu eidem ſe ſubjicit. Unde oritur *forum rei ſitæ*, cui ſe ſubmittere tenetur illius poſſeſſor, utut ipſe alibi ſummus imperans ſit. Boruſſorum Rex in Hollandia bona poſſidet, quorum intuitu tanquam ſubditus per campanæ ſonitum ad Curiam Hagenſem citatur, quod cum ægre aliquando ferret, reſponſi loco accepit, ita ferre bonorum illorum indolem, neque aliter rem fuiſſe obſervatam cum Guilielmus Arauſionenſis Anglorum Rex eadem bona poſſideret. Si & ratione bonorum feudalium, quæ forte ſummus imperans poſſidet, curiam feudalem agnoſcere tenetur, quod tamen ad alias cauſas regulariter non extendendum.

§. XLV.

Dico *regulariter.* Quibusdam enim in locis, ut in Saxonia Vaſalli eo *an & feudum recognoſcendo?* ipſo ſimul ſunt ſubditi, & in cauſis quoque non feudalibus coram domino directo conveniuntur. Contra Joannem Angliæ Regem tanquam Vaſallum Regni Franciæ Pares Galliæ de parricidio cognoverunt teſte *Matthæo Pariſienſi* (quam primam Parium Regni mentionem eſſe putat *Arniſæus* Relect. Polit. p. 1090.) quod quo jure factum ſit, viderint alii. In Curia provinciali Jenenſi conveniebatur aliquando Comes Waldeccenſis ex chirographo 6000. thlr. Excipiebat hic de foro incompetenti, neque aliter ſe coram illo judicio ſtare, quam ratione Dynaſtiæ Tonnæ, quæ feudum eſt Saxonicum. At rejiciebatur hæc exceptio, quia Vaſallus Saxonicus ſimul eſt ſubditus. Vid. *Ludewig* von Mängeln und Verbeſſerung des Teutſchen

Lehn-Rechts p. 32. Add. Assertio und Fürstellung der auch in den Hoch-löbl. Chur- und Fürstl. Hausse Sachsen und desselben Landen vor undenck-lichen Zeiten beständig und unverruckt gewesenen hergebrachten und exercirten Landsasserey, und daß die Herrn Grafen zu Waldeck, welche von dem Fürstlichen Hausse Sachsen Altenburg die Herrschafft Tonna zu Lehn tragen, in Krafft und zu Folge, neben der Lehenspflicht geleisteten Juramenti Subjectionis, und ihrer ausgeantworteten Reversalien vor desselben Lands-Regierung und gesamte Hofgericht zu Jena auch in nicht lehnrüh-rig persönlichen und dinglichen Sprüchen zu stehen schuldig und verbun-den. Altenburg 1665. 4. cujus Auctorem Acta Regiminis Coburgensis B. Consiliarium *Dreherum* perhibent. Summa quoque Imperii Germanici tribunalia nonnunquam cognoscunt de actionibus, quas Imperii Status non quidem qua tales, cum imperii tamen detrimento & præjudicio suscipiunt. Camera aliquando contra Regem Daniæ, tanquam Ducem Holsatiæ, mandata sine clausula decrevit de relaxando, cum Hamburgensium naves NB. *in Norwegia* detinuisset. Vid. *Blum.* Proc. Cam. tit. 33. n. 27. ex eoque *Rhet.* Inst. Jur. publ. L. 4. T. 14. §. 4.

§. XLVI.

commorando in alieno territorio.

Num vero summus imperans intrando alienum territorium, in eoque commorando, se ipsius Principi tacite subjiciat, non immerito quæritur. Certum est, inter privatos domicilii electionem fori competentiam * operari, adeo ut etiam transeuntes pro subditis temporariis reputentur, & apud exteros contrahentes, vel saltem ibi solutionem facere promittentes, si ibi deprehenduntur, *forum contractus* agnoscant, vel quia contrahentes sunt subditi temporarii. Vid. *Grotius* L. 2. c. 11. §. 5. vel quia civitas actionem denegat in negotiis quæ suis legibus non sunt conformia, vid. *Puffendorff* de Jur. Nat. & Gent. L. 3. c. 6. n. 5. Addantur, quæ diximus de pactis L. 1. T. 6. §. 226. At dispar Principum hic esse conditio videtur. Privatum extraneum Princeps in suum territorium non tanquam hospitem, sed ut subditum, ac sub conditione loci legibus actiones suas attemperandi admittere censetur, quoniam alias turbæ & confusiones innumeræ orirentur. Principem vero extraneum imperans regulariter, & nisi intrandi veniam diserte denegaverit, tanquam hospitem manifeste recipit,

neque

neque eos inter alius quam hospitii nexus intercedit, nullus certe jurisdictionis, quæ subjectionem supponit, hæc vero in facto consistit, adeoque non præsumitur, sed probatione eget. Lex quæ delinquentem in alterius territorio pro privato haberi, ibique forum sortiri præcipit, ceteris hominibus, non Regibus extra commune hominum commercium a DEO in sublimi dignitate constitutis, posita, ceu bene monet Regis Galliæ Orator coram Elisabetha Angliæ Regina, pro Maria Stuarta Scotiæ Regina intercedens apud *Thuan.* Histor. L. 86. p. 158. Ineptus ille quorundam error est, qui sibi ex veteribus quibusdam næniis persuadent, Principem in alterius territorium sine venia intrantem ejus fieri captivum, graviter scribit *Furstenerius* de Suprematu c. 25.

* Forum domicilii alii existimant locum, ubi reus habitavit tempore contractus L. 2. C. de jurisdict. omnium judic. alii ubi habitat tempore actionis, quod & verius. Sola domus possessio, quæ in aliena civitate comparatur, domicilium non facit L. 17. §. 13. Dig. ad municipalem.

§. XLVII.

Galliæ Reges sæpius aliis Regibus exulibus in suo Regno domicilium indulserunt, nunquam tamen ideo ad subditorum classem retulerunt, aut domicilii forum inde exsculpserunt. Christina Sueciæ Regina etiam post factam abdicationem independens mansit. In Germania Saxoniæ Elector Duci Holsatiæ Wiesenburgico castrum & Præfecturam Wiesenburg in feudum jure allodii concessit, reservata sibi superioritate territoriali, sed disserte simul declaravit: daß Sr. Liebden ausser denen Sachen, welche das Amt Wiesenburg concerniren, sonst vor ihre Person in unsern Gerichten zu erscheinen nicht schuldig seyn sollen. Vid. *Ludolf.* de Introd. Jur. primog. p. 99. *Neg.*

§. XLVIII.

Ex eodem principio, & quod solum domicilium inter Principes fori competentiam haud operatur, regulariter nec uxorem Principis, nec liberos, nec reliquos propinquos, utut apanagiatos pro subditis esse habendos, alibi monuimus. Porro exinde quod subjectio, & quamdiu alia conjectura *Unde uxores, liberi, Apanagiati regulari-*

ra

ter non sunt subditi. ra suppetit, non est præsumenda, sequitur, quod Nobiles, item Principum ministri, in civitate habitantes domicilii forum coram magistratu oppidano non consequuntur, etiamsi per decennium & amplius ibi commorentur. Add. *Myler* Hyparcholog. p. 471. Quos Rex vel summus imperans ad extraneos mittit ministros seu legatos eandem ob rationem gentium jura non foro domicilii, ubi actu versantur, sed Principis, qui eos misit subjiciunt, adeo ut Princeps, ad quem mittuntur legati, hos jurisdictionem exercere sinat in comites ac domesticos suos, si vero ipsi legati delinquunt, vim tamen ipsis haud aliter inferat, quam si hostilia contra Rempublicam machinentur, ob alia vero delicta eos suis Principibus judicandos remittat. Quod vero Princeps, ad quem mittuntur legati, oborta inter eos de præcedentia lite eandem decidit, nullam ipsi in ea jurisdictionem tribuit, sed inde arcendum, quod inter liberas gentes summosque Principes omnes sibi censentur æquales, adeoque ei, penes quem versantur, pro lubitu alterum alteri præferre licet.

§. XLIX.

an delinquendo. Delinquendo delinquens ei, cui damnum per delictum infert, ad illud reparandum se obligat, pœnam vero proprie sic dictam nonnisi superior sumere potest. Quare quod locus *delicti* vel *deprehensionis forum* competens præbet, ex civili est instituto, nec ad liberos Principes applicandum, in quos pœna proprie dicta haud cadit. Privatus loci, ubi delinquit *, subditus, utut forte temporarius omnino existit, & merito proinde ibi judicatur. Sin inde aufugit, alibique moratur, ibi tanquam in foro deprehensionis punitur, quia Princeps lege declaravit, nolle se facinorosos tolerare, utut neminem in suo territorio læserint, sed alibi forte peccaverint **. Cumque judex loci deprehensionis actu possideat delinquentem, merito præfertur judici loci delicti commissi, adeo, ut ubi delinquentes remitti videmus, id omne vel humanitatis sit, vel pactis inter magistratus desuper initis nitatur ***. At Princeps, utpote qui subditus non est, nec delinquendo talis fit, ac licet ad damnum delicto datum reparandum teneatur, per modum judicii tamen coerceri aut puniri nequit, neque in loco ubi deliquit, neque ubi deprehenditur. Ad exempla contraria e. c. quod Conradinus Sueviæ Dux Neapoli, & Maria Scotiæ Regina in Anglia capite multati

tati, facilis est responsio. Prius quippe exemplum apud omnes fere male audit, posterius autem non per modum judicii, sed defensionis factum, quoniam Elisabetha Angliæ Regina superstite Maria salva esse ipsiusque machinationibus evadere non poterat. Conf. dicta de pœnis. T. 1. §. 217.

* Si in uno loco delictum inchoatum, e. c. virgo rapta, in alio consummatum, & vis ei illata, locus consummati præfertur. At si quis in alio loco vulnus accepit, in alio ex eodem decessit, prior pro loco delicti habetur. L. 15. & 51. Dig. ad L. Aquili. Si occisus in confinio deprehenditur, nec ubi cædes patrata constat, ad utrumque judicem spectat cognitio, nec loci ubi caput jacet potior ratio præcise habenda.

** Regulariter deprehensionis forum in solis criminalibus obtinet, ex debito autem ad carcerem nonnisi coram judice domicilii agitur L. 2. & 5. Cod. de Jurisd. omn. jud. L. fin. C. ubi in Rem. act. In Saxonia tamen per Ord. Proc. Recogn. Append. §. 12. magistratui loci deprehensionis hæc facultas concessa.

*** In Germania delinquentem profugum in continenti in alienum territorium persequi licet Handhab. des Landfried. 1495. Rubr. von Nacheilen zu frischer That. R. J. 1559. §. 22.

At in transitu cum delinquente jam dum apprehenso bey Durchführung der Maleficanten moribus invaluit, ut venia domini, per cujus territorium transitur, prius impetretur, quæ reversalibus datis non facile denegatur.

Duellantes quoque judici domicilii seu commissi delicti tradi jubentur in der Kaiserl. Resolution auf das Reichs-Bedencken in puncto duellorum de 19. Sept. 1668.

§. L.

Quare nec domicilii, nec contractus, nec delicti commissi, nec deprehensionis, nec aliud ullum forum contra Principes erit fundatum, quam cui pacto se subjecerunt, at cum hoc pactum in facto consistat, in dubio

ſemper pro Principum libertate erit præſumendum, adeo ut etiamſi conſtet, Principes ſæpius ſe coram Ordinibus, judiciis provincialibus, aliisve conveniri paſſos fuiſſe, hæc tamen judicia voluntaria potius, quæque pro lubitu repudiari ac ſperni a Principe poſſunt, quam neceſſaria præſumantur. Quorſum ſpectat id, quod nonnullis dicitur, liberalitati Principis eſſe imputandum, quando debita ſolvit etiam perfectiſſima, item quod potentia debitoris jus impediat.

TITULUS III.

DE

Judice Imperatoris Romano-Germanici.

* * *

Tum Pontifex Romanus, tum Concilia, tum Proceres Germaniæ nonnunquam in Imperatores judicium exercuerunt, ipſi etiam Imperatores quondam Palatinis cauſarum ſuarum cognitionem libere permiſerunt, quod licet Electores Palatini poſtmodum in neceſſitatem convertere voluerint, temporis tamen tractu exoleviſſe videtur, adeo ut hodie cauſarum, privata Imperatoris debita tangentium, cognitio ex libera ipſius voluntate penes judicium

dicium Aulicum exiſtat, cauſæ vero publicæ nec non feudales ad Comitia, ſpirituales denique & matrimoniales ad Pontificem Romanum deferantur.

§. LI.

Ea, quæ in genere de Principum judice diximus, ad Germaniam applicaturi, primo de Imperatore diſpiciemus, num & quem judicem agnoſcat? *Bodinus* de Republ. L. 2. c. 6. exiſtimat, cum Majeſtate Imperatoris conſiſtere non poſſe, quod judicem habeat, indeque Imperatorem Majeſtatem non habere, ſed Imperium Germanicum Ariſtocratiam eſſe infert. Sed judicem ſalva Majeſtate quem habere poſſe, ſuperiori titulo oſtendimus. Alii ut *Vitriarius*, *Struvius* & plerique Publiciſtæ Imperatoriam Majeſtatem criminali ſaltem legi ſubeſſe non poſſe contendunt, quod itidem ex dictis Tit. præc. §. 39. refellitur, ubi ad injuriarum licentiam Majeſtatis ambitum haud pertingere diximus. Poteſt igitur in criminalibus quoque Imperator alius judicio ſe ſubjicere. At cum omne, quod in Imperatorem aliumve Regem cadere poteſt, judicium ſolo ipſius pacto conſtituatur, vitam autem & corpus ſuum abdicare nemo poſſit, facile patet, capitale judicium in Imperatorem nullum quadrare, ſed omne, quod cadere in eum poteſt, ipſius ſaltem bona atque fortunas tangere, ſuper quibus judicem eum habere poſſe, ex dictis ſaltem colligitur.

Imperator judicem habere poteſt.

§. LII.

Alia autem quæſtio eſt, an reapſe habeat judicem? Atque hæc facti eſt, nec prius aſſerenda, quam probetur, quod Imperator in talem conſenſerit. Quanto ſpiritu Pontifices Romani jurisdictionem in Imperatores affectarint; & exercuerint, videre eſt ex textibus Tit. 2. §. 41. citatis. Inprimis memorabile eſt cap. 2. de ſententia & re judicata in 6. quo Innocentius IV. Fridericum II. deponere non dubitavit. Similes fuere Gregorii VII. contra Henricum IV. conatus. Conſtantienſe Concilium imploravit Ericus Dux Saxo Lauenburgenſis contra Sigismundum Imperatorem, quo

Pontifices & Concilia jurisdictionem in Imperatorem affectarunt.

 hic

hic Electoratum ad Fridericum Bellicosum transtulerit. At publico edicto nullitatem provocationis deduxit Sigismundus Imperator Ulmæ in Comitiis 1434. Vid. *Geldast.* Constit. Imp. T. 3. p. 440. In causa divortii Lotharii cum Thietberga Synodus Metensis anno 864. judicavit. Vid. dicenda Tit. 4. §. 67. Moguntina in causa repudii Henrici IV. cum Bertha teste *Lambert.* Schafnab. ad an. 1066. Si, quo jure hæc facta quæras in causis spiritualibus & matrimonialibus quidem Imperatores ex Pontificiæ, quam profitentur, religionis principiis Pontificum & Conciliorum auctoritatem agnoscere tenentur, in aliis non item.

§. LIII.

Comitia. Comitia congregatosque in iisdem Germaniæ Proceres deposuisse quandoque Imperatores, vel solo Wenceslai exemplo docemur. Factæ etiam ab Imperatoribus alienationes & concessiones Comitiali Principum sententia revocatæ leguntur e. c. Ottonis M. apud *Crus.* Annal. Suev. P. 2. p. 138. item permutatio monasterii Ratisbonensis inferioris & superioris, Episcopo a Friderico II. Imperatore facta apud *Andr. Ratisbon.* in Chron. Bavar. p. 86. it. concessio telonii super Rheno Comiti Gelrensi ab eodem Friderico II. 1215. facta apud *Hedam* Histor. Ultraject. p. 196. Speculum Suevicum c. 23. de fundato Comitiorum contra Imperatorem foro ita fert: Den König mag niemand an den Leib gesprechen, ihm werde das Reich verurtheilet mit der Fürsten Urtheil. Uber des Königs Leib und über seine Ehre mag niemand Urthel gesprechen, denn die Fürsten, und kriegt er mit jemand um Guth, oder um andre Dinge, das des Reichs ist, da sollen über sprechen die Fürsten und Graffen, die Freyen und des Reichs Dienst-Mann.

§. LIV.

proprie jurisdictionem in Imperatorem non habent. Quæ de Imperatore imperio privando afferuntur, per sana Juris publici universalis principia vid. Tit. 2. §. 38. restringenda sunt ad casum mutati imperii in tyrannidem, atque tunc depositio non per modum judicii, sed defensionis fit. Similiter ubi post factam legitimam imperii privationem de novo hostilia suscipiuntur, vita quoque auferri poterit per modum belli, non vero judicii. Absona vero sunt, quæ de fama Imperatoris

Prin-

principum judicio submittenda adduntur. Infamiam enim in summos Principes plane non cadere, sed mere civilem esse delictis certis impositam pœnam ostendimus de Jure person. illustr. L 2. T. 5. Quod denique Imperatoris super bonis & juribus Imperii lites, Ordinibus dirimendæ asseruntur, inde arcendum, quod Imperatores, ubi concessiones a se factas ob vitium ipsis adhærens revocandas censuerunt, ne inique hoc fieri videatur, causæ cognitionem ad Comitia sponte detulerunt, e. c. in memorata permutatione Ratisbonensi, per quam monasteriorum moniales indebite gravatas ipse Imperator fatetur apud *Andream Ratisbonens.* l. c. At per modum judicii necessarii invitus Imperator ad Comitia vocari vix poterit. Unde hodienum, quoties gravamina oriuntur, eadem submisso Imperatori proponuntur, utque iisdem pro singulari sua clementia & justitia remedia afferat Imperator, humillime rogatur.

§. LV.

Obortis vero contra Imperatorem eo tempore, quo nulla habebantur Comitia, querelis super causis, quæ non præcise res & Jura Imperii, sed privatas ipsius obligationes respiciebant, ut ibi quoque omnem a se iniquitatis suspicionem amoveret, earum cognitionem Imperator Comiti Palatino, tanquam supremo in Curia Imperiali judici sponte permisisse videtur. *Goldastus* in Rational. Const. Imp. p. 99. hoc jus Rudolpho Palatino circa an. 1250. communi Principum consensu collatum perhibet. Cum vero jus Provinciale Saxonicum L. 3. art. 52. alſo iſt auch der Pfaltzgraff über den Kaiſer Richter, & Speculum Suevicum L. 1. c. 20. der Pfaltzgraff iſt zurecht Richter über den König & c. 30. it. L. 2. c. 43. ejusdem tanquam rei satis notæ mentionem faciat, altius erit ascendendum, neque tamen ante Henrici IV. tempora hujus judicii vestigia occurrere, observat *Struv.* Syntagm. Jur. publ. c. 24. §. 2. *nec Comes Palatinus*

§. LVI.

Vero admodum est simile, hoc judicium certe ab initio mere voluntarium fuisse. Ordinatio antiqua de Officio Comitis Palatini apud Goldastum Tom. 3. Constit. Imper. p. 403. ita fert: Quodsi quando differentia seu discordia inter Regem & Regnum oriri forte contingeret, Palatinus *cujus judicium primitus mere voluntarium*

nus ex officio debet esse mediator, & se interponere, atque illos abhibita omni diligentia, cura, studio & sollicitudine fideliter componere. Si bona aliqua donantur per Regiam Majestatem, & contradictores apparuerint, causabunturque injuste per suam Majestatem fuisse donata, debent Palatino conqueri, & ille ad aures Regias hujusmodi querelas quamprimum referre tenetur. Si vero Rex abesset, nihilominus accepta querela tenetur illi quamprimum significare, & similiter rogatum facere, quo Majestas sua præfigat terminum & locum, ubi & quando ipsa querela videatur, discutiatur, & definiatur. Vides, omnia Imperatoris arbitrio & voluntati relinqui. Unde & adducta Speculi Saxonici & Suevici loca de judice voluntario explicanda videntur.

§. LVII.

nec A. B. necessarium factum.

Necessarium tamen hoc Palatini in Cæsarem judicium factum creditur per Auream Bullam tit. 5. §. 3. his verbis: Et quamvis Imperator seu Rex Romanorum super causis, pro quibus impetitus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Rheni Sacri Imperii Archidapifero Electore Principe respondere: illud tamen judicium Comes ipse Palatinus non alibi, præterquam in Imperiali Curia, ubi Imperator seu Romanorum Rex præsens extiterit, poterit exercere. Unde *Ludewig* ad A. B. p. 568. hodienum in omnibus causis hoc Palatini judicium fundatum contendit. Sed dubitanter & relative Aurea Bulla loquitur verbis: *sicut de consuetudine introductum dicitur*, ac proinde sub conditione hac de re disponit, atque id sibi vult, si illa consuetudo vera & legitima sit, atque probetur, Imperatorem habere coram Palatino respondere, quod tunc in Curia Imperiali illud fieri debeat. Taceo, vocem *habere* idem quod *velle* sæpius sonare. Vid *Cangii* Glossar. V. habere. Certe inde ab A. B. temporibus nullum exerciti hujus juris exemplum suppetit. Ac ubi hodie Imperator super causis privatis se conveniri passurus est, vero longe est similius, illud coram judicio suo Aulico factum iri, in quod hodie eadem quadrat ratio, quam movisse quondam Imperatores diximus ad controversias Palatino submittendas. §. 56.

§. LVIII.

Sed repudiatum

Equidem contra Albertum I. Electores ad Palatinum appellarunt, sed

fortiter

fortiter restitit Imperator. Vid. *Henr. Steronis* Chron. Altahense ad an. 1300 p. 412.* Fridericum Burggravium Noribergensem a sententia Caroli IV. ad Rupertum Palatinum appellasse, huncque appellationem recepisse, sententiamque ab Imperatore latam reformasse perhibent Consiliarii Palatini im Bedencken, ob die Churfürstl. Pfaltz in causis gravatoriis des Kaisers Richter seyn könne, quod prodiit 1602. 1610. recusum 1614. im kurtzen Gegenbedencken und Bericht von der Churfürstl. Pfältz. Vicariats Gerechtigkeit & in *Martini Meyeri* Londorpio suppleto & continuato Frf. 1666. fol. nec non in *Lunigii* Europæischen Staats Consiliis part. I. n. 100. Sed bene monet *Henr. Christian Senckenberg* in pererudito scripto, quod fabulam judicii Palatini inscripsit c. 7. §. 3. omnem hanc narrationem sola niti fide Autoris des Bedencken, cum eaque & stare & cadere. Ipsam sententiam nemo produxit, imo ignorarunt *Freherus* & *Schilterus*, qui tamen integrum Archivum Palatinum excusserunt. Sed fac arrogasse sibi Palatinum hoc judicium, non tamen inde sequitur, Imperatorem illud agnovisse. Pone porro, Imperatorem illud agnovisse, potuit tamen illud agnoscere per modum compromissi, tanquam voluntarium, nec præcise ut necessarium. *ab Imperatoribus.*

* Verba *Steronis* hæc sunt: Eodem anno circa festum Beati Michaelis Dux Rudolfus & Comes Palatinus Rheni præfatus ab Electoribus Imperii Moguntinensi, Coloniensi & Trevirensi Archi-Episcopis vocatus fuit ad Rhenum contra præfatum Regem Albertum. Unde iidem Principes contra ipsum Albertum conspiraverant, eligentes ipsum Rudolfum pro judice: & asserentes, ad Comitem Palatinum pertinere, quod sit officium Palatinæ dignitatis ex quadam consuetudine de causis cognoscere, quæ ipsi Regi moverentur. Quare contra Regem proposuerunt, quod dominum suum proprium scilicet Regem Adolphum occidisset, ideo Rex esse non posset. Et ad depositionem ipsius cogitabant. Quod audiens Rex Albertus, iratus & comotus fortiter fuit, & maxime contra præfatum Ducem Rudolfum, cujus avunculus extitit, quia sororis suæ filius erat, jurans, quod omnia, quæ ab Imperio obtineret, alienaret ab eo, videlicet Suevicum Werd, Novum forum &c. quod & fecit post hæc vadens contra præfatos Electores.

§. LIX.

§. LIX.

Exempla. Fridericus III. Imperator privilegia Helvetiorum rata habere nolens, causam aut coram præfecto prætorii Rhenani, ubi omnes Imperatoris causæ controversæ decidi soleant, aut coram aliis arbitris decidendam proposuit apud *Gerardum de Roo* Histor. Austr. L. 5. Sed manifestum, loqui Imperatorem de solo judicio voluntario, quod ne quidem tunc exitum cepit. Rudolphum II. Imperatorem suo judicio obnoxium reddere cupiebat Palatinus, hocque obtentu sententiam ab Imperatore in causa Donawerdica latam evertere, sed ita restitit Imperator, ut Palatinos hujus judicii pigeret. Vid. *Senckenberg* l. c. §. 6. Cumque Fridericus V. Palatinus Ferdinandum II. Imperatorem ob motus Bohemicos in propria causa ad suum judicium vocaret, tam male res pro Palatino cessit, ut fortunis privatus exul mortuus sit, nec postea amplius libido hujus judicii prætendendi Palatinos Electores ceperit. Certe Carolus Ludovicus Elector Palatinus eruditissimus, & in omni historia versatissimus Consiliario, quocum hac de re sermones sparserat, dixisse legitur im Europæischen Herold T. 1. p. 300. Ihr seyd nicht klug, daß ihr meynet, daß aus der privat Doctorum Büchern mir dieses zukomme. Weiset mir ein Exempel und die pratique.

§. LX.

An & ad criminalia pertineat. Quare cum ita sint, cumque nunquam aliud præter voluntarium Palatino in Imperatorem judicium competierit, facile patet, vanas atque inanes esse controversias de hoc judicio a Doctoribus passim agitari solitas. Plerique in solis causis civilibus judicio Palatini locum faciunt, alii ad criminales pariter extendunt. Juris Weichbild. L. 1. art. 8. ob tres causas, si sedem Imperii destruere vellet, infidelibus auxilio esset, legitimam uxorem dimitteret, Imperatorem judicari a Palatino perhibet, eique caput amputari aurea securi ex eo, quia ipse gladium secularem habet, seu ut Glossator ait, man soll ihn das Haupt mit einer goldnen Barten abhauen über eines Schildes Rand, und das soll thun der Pfaltzgraf von dem Rhein, der dem Land zu einem Richter über den König gegeben ist. Sed ad largas nugas atque ineptias merito id refert *Freher* ad *Petr. de Andlo* L. 2. c. 10. p. 195. *Arumæus* ad A. B. disc. 3. th. 45. p. 174. ad criminalia quidem

Palatini judicium extendit, ſed ita ut directorium ipſi ſaltem competat, Statuumque conſenſus accedere debeat, cum exadverſo in cauſis civilibus ſolius Palatini cognitionem ſufficere exiſtimet. Unde in ipſis Jmperatorum exauctorationibus non Moguntino ſed Palatino directorium tribuit. Et Adolphum Regem, Saxone vice Rudolphi Palatini (qui ſe rebus ſocerum tangentibus miſcere noluerit) fungente depoſitum narrat *Aventinus* Annal. Boj. L. 7. p. 451. quodſi verum eſt, (utut vocari in dubium poſſit) conſtat tamen, & alia tunc turbide nec ad juris amuſſim fuiſſe acta. Certe in exauctoratione Wenceslai Moguntinus directorium geſſit.

§. LXI.

Pontifici Romano ſi fides habenda, etiam ad diſcordias ſuper Imperatoris electione ortas Palatini judicium pertingeret. Sic enim Urbanus IV. ad Richardum electum Romanorum Regem ſcribit 1263 apud *Bzovium* Annal. T. 3. ſi votis Principum, ad quos ſpectat eligere, ad eligendum convenientium diviſis duo in diſcordia eligantur, vel alter electorum per potentiam obtinebit, vel an prædictum Comitem Palatinum, tanquam ad hujusmodi diſcordiæ judicem eſt recurſus habendus, niſi forſan ſuper electione vel coronatione hujusmodi ſuborta diſcordia per appellationem vel querelam prædictorum Principum ad examen ſedis Apoſtolicæ, quo caſu ipſius eſt in tali caſu cognitio, deferatur. Hæc Urbanus. Non quidem deſunt exempla diſcordiarum in electionibus ortarum, nullæ tamen Palatini judicio compoſitæ, ſicut nec ad Pontificem tali caſu appellabitur. *ad diſcordias ſuper electione.*

§. LXII.

Coccejus in Jurispubl. prud. c. 16. §. 14. Palatini judicium ad cauſas publicas reſtringit, in privatis vero Imperatorem judicem non habere aſſerit, ſed has cauſas ultro ſubmittere Principes ordinariis judiciis, uti & cauſas ſuas feudales paribus Curiæ. Speculum Suevicum c. 20. in caſu denegatæ ab Imperatore inveſtituræ Palatini judicio locum facit, quod & in genere de cauſis Imperatoris feudalibus aſſerit *Sixtinus* de Regal. L. 1. c. 8. n. 53. Alii ut *Aegid. Boſſius* in var. Tract. tit. de for. compet. n. 170. Imperatorem ſibi ipſi in cauſis feudalibus jus dicere contendit, notatus propterea *Limnæo* de Jurepubl. L. 3. c. 9. n. 49. qui rectius paribus Curiæ *ad cauſas feudales.*

riæ ſive Comitiis judicandi his in cauſis facultatem tribuit, quorſum facit textus Spec. Suev. §. 53. citatus it. 2. feud. 55. in fin. it. Conſtitutio Friderici III. Imperatoris ſub tit. libri Pacis Conſtantiæ compoſitæ juri feudali ſubjuncta. Jungi poſſunt literæ Sigismundi Imperatoris ad Conradum Electorem Moguntinum de 1426. apud *Buxtorff.* ad A. B. c. 5. ibi: Nachdem wir auch vermeynen Recht zu denen Niederlanden zu haben, und in unſrer eignen Sache nicht wohl Richter mögen ſeyn, und wenn die Sache des H. R. R. treffl. Lehn anrühret, ſo haben wir Fürſten, Graffen und Räthe darinn gehabt und meynen, daß billig ſey, daß die Sache vor des H. R. R. Mannen ausgetragen werde. Si cauſa Imperatorem, non qua talem, ſed qua Imperii Principem e. c. Archi-Ducem tangit, nil impedit, quo minus coram judicio ſuo aulico conveniatur. Quorſum ſpectat formula: Wir Carl Röm. Kaiſer entbiethen dir Carln Ertz-Hertzog zu Oeſterreich apud *Buxtorff.* l. c. Concl. 64.

§. LXIII.

An locum habet ſi Imperator agit.

Si Imperator actorem agit, cauſas pariter ad Palatini judicium trahi poſſe, ſententia eſt *Hornii* in Jurepubl. c. 34. §. 7. p. 270. & *Ludewigii* ad A. B. p. 595. Nam licet verba Aureæ Bullæ: *impeditus fuerit* de caſu, quo Imperator reus exiſtit, loquantur, parem tamen rationem noſtro quoque caſu ſubeſſe exiſtimat. Sed contrarium merito placet *Buxtorfio* ad A. B. th. 82. ſq. & *Coccej.* Jur. publ. c. 16. §. 14. Nulla quippe apparet ratio idonea, quare nec hic actor rei forum ſequatur.

§. LXIV.

num in Comitiis an in Aula Imp.

Locus judicii peragendi in A. B. *Curia Imperialis* vocatur, quam *Limnæus* L. 3. c. 9. n. 77. de Comitiis explicat, at *Schützius* diſſ. 7. th. 21. *Vitriarius* L. 3. T. 12. §. 19. aliique de Aula Imperiali. *Ludewigius* ad A. B. poſteriorem ſententiam in cauſis levioribus, priorem in gravioribus admittit. Actionem etiam & proceſſum non in ipſum Imperatorem, ſed ejus ſaltem fiſcalem dirigendum præcipiunt alii. Jus exequendi latam ſententiam Palatino denegant omnes. In eadem autem ferenda *Limnæus* ad A. B. c. 5. §. ult. obſ. 7. & *Schweder.* part. ſpec. Sect. 2. c. 5. §. 22. requirunt, ut Palatinus ipſe in perſona judicium exerceat, nec Plenipotentiarium aut

ſub-

ſubſtitutum admittendum cenſent. JCti autem Saxonici Saxoni Electori Palatini vices tribuunt, deficiente vel impedito Palatino, vid. §. 60. it. ſi Palatinus Cæſarem in jus vocat, aut Curia Imperialis eſt in Saxonia. Quidquod alii mallent, concurrere Saxonem cum Palatino. Conf. *Bodin.* de Republ. L. 2. c. 6. p. 351. ubi ſcribit: Apud Saxoniæ Ducem & Comitem Palatinum queri potuiſſe Henricum II. Galliæ Regem de Carolo V. Imperatore & Rege Ferdinando, quod literas Regis Henrici ad Imperii Ordines ſe interceptas reddi prohibuerint.

§. LXV.

An in causis Augustæ & Regis Rom.

Dantur, qui Palatini judicium etiam ad Auguſtam, item liberos Auguſti ac Regem Romanorum extendunt. *Schützius* diſſ. 7. th. 21. lit. d. Regem Romanorum Palatini, Auguſtam vero & liberos ſuo Auguſti judicio ſubjicit. *Limnæus* ad A. B. c. 5. §. ult. Obſ. 3. contra eximit Regem Rom. a Palatini judicio, circa Auguſtam vero diſtinguit, an ab Imperatore, an alio conveniatur. Hoc caſu judicium ad Imperatorem ſpectare, illo rem aliis ab Imperatore ſuſpicionis vitandæ cauſa demandandam cenſet. Ad liberos Imperatoris judicium Palatini extendit *Schilter.* Inſt. Jur. publ. L. 1. T. 8. §. 6. Quæ noſtra de judice uxoris & liberorum Auguſti ſit ſententia dixi de Matrimoniis Tit. 25. & de patria poteſtate Tit. XI.

Regem Romanorum per factam electionem a ſubjectione & foro, cui antea forte ſuberat, liberari, & licet collata ei poteſtas in certum eventum ſit ſuſpenſa, quoad libertatem tamen eum ſummis imperantibus æquiparari, exiſtimo. Certe Aureæ Bullæ textus ad Regem Rom. parum quadrat, quippe qui in ſenſu hodierno, quo deſignatum Imperatoris ſucceſſorem denotat, tempore Aureæ Bullæ nondum erat cognitus.

TITULUS IV.
DE
Judice Statuum Imperii Germ.

* *
*

In causis Ecclesiasticis & matrimonialibus Status Catholici Pontificis Romani, Protestantes nullius agnoscunt judicium. In publicis causis Imperii Status contra subditos refractarios sibi jus dicunt, a gravatis autem subditis in summis tribunalibus conveniuntur. In Criminalibus ab Imperatore, & si ad bannum agitur, in Comitiis judicantur. De feudo regali in petitorio ad judicium Aulicum cognitio spectat. In possessorio autem & si de feudo non-regali in petitorio agitur, Camera concurrit. In reliquis causis Austregæ tum conventionales tum testamentarii tum legales primam, judicium Aulicum & Camerale vero supremam instantiam præbent.

§. LXVI.

In causis Ecclesiasticis. Statuum Imperii tanta quidem cernitur potestas, ut ab illa Regum summorumque imperantium parum distare videatur, interim cum eos tum

intuitu

intuitu privatorum ſuorum negotiorum, tum illorum, quæ ipſam ditionum ſuarum adminiſtrationem tangunt, in jus vocari, ab eorumque judiciis ad ſuperiora appellationes interponi animadvertamus, quos quibusque in cauſis judices agnoſcant explanandum erit. Sunt cauſæ aliæ Eccleſiaſticæ aliæ Seculares. Utræque regulariter ſummæ in Republica poteſtati ſubſunt. Ex quo vero Pontifices Romani cauſarum ſpiritualium cognitionem ſibi vindicarunt, eidem in illis Reges Principesque, qui ipſius dogmata amplectuntur, libere ſe ſubjecerunt. Quæ res cum tam bene Pontifici ceſſerit, in ampliandis hujus jurisdictionis partibus nil fecit reliqui, & quoque cauſas matrimoniales, quæ in ſe ſpectatæ ſpirituales haud ſunt, iisdem ſub ſacramenti obtentu annumeravit.

§. LXVII.

Hinc Pontifex Romanus leges matrimoniales pro lubitu præſcribit, matrimonia intra certos gradus jure Canonico definitos prohibet, circa eosdem pro lubitu iterum diſpenſat, imo in ipſis gradibus jure divino prohibitis diſpenſandi facultatem ſibi arrogat. Vid. Concil. Trident. ſeſſ. 24. Can. 3. & 7. 12. & cap. 6. X. de Majoritate & obedientia. Exempla ſuo loco affatim adduximus. Hinc porro de controverſiis inter conjuges ortis cognoſcit, easdemque pro arbitrio nunc componit, nunc ipſa matrimonia ſolvit. Obtemperantur ei in matrimonialibus ipſi Imperatores & Reges. Documento ſint Henricus IV. Imperator & Philippus II. Galliarum Rex, qui uxores ſuas repudiatas, ille Bertham ſuam, hic Ingeburgem Danicam Pontificum juſſu receperunt. Lotharius II. Auſtraſiæ Rex repudiatam ſuam uxorem Theutbergam (a qua ſub conſanguinitatis nimis propinquæ prætextu conſentientibus Archiepiſcopis Trevirenſi & Colonienſi Synodoque Aquisgranenſi anno 862. divortium fecerat, & aliam quandam Waldradam duxerat) a Nicolao I. Pontifice recipere cogebatur, poſteaquam Synodo Metenſi anno 863. prius divortium pro nullo erat declaratum.

Matrimonialibus.

§. LXVIII.

Quemadmodum igitur ipſi Imperatores & Reges cauſas ſuas matrimoniales Pontifici Romano ſubmittunt, & quoties uxores intra gradus jure Canonico prohibitos ducunt, Pontificis diſpenſationem anxie & ſollicite

Reges & ſtatus Pontificii

 ſatis *Pontifici*

se submittunt. ſatis requirunt, ita idem ab Imperii Ordinibus, qui Romana Sacra profitentur, fieri videmus. Olim quidem Imperatores in matrimonialibus Ordinum cauſis judicandi facultatem haud immerito ſibi vindicarunt. Legi hanc in rem meretur *Hahn.* ad medii ævi mores p. 10. ſqq. ubi hæc adducit exempla. Ludovicus Germanicus teſtibus *Annalibus Bertinianis* ad an. 865. reſcidit matrimonium, quod filius Ludovicus Saxo cum filia Adalardi contraxerat. Carolus Calvus Imperator a Ludovici Balbi conſortio Ansgardam, interpoſito jurisjurandi ſacramento ſeparavit, licet jam duos ex ea liberos ſuſcepiſſet, teſte *Reginone* Chron. L. 2. ad an. 878. Uta, Arnulphi Regis conjux, adulterii nomine ſuſpecta, purgare ſe marito debebat in publicis Regni Comitiis, interveniente ſolenni 72. Principum jurejurando apud *Hermannum Contractum* ad an. 899. Conradus I. in cauſa matrimoniali Henrici Saxonis cum Hatteburgi Moniali judicium exercuit, quicquid contradiceret Sigismundus Epiſcopus Halberſtadienſis. Vid. *Ditmar.* L. 1. p. 325. & *Leuckfeld* Antiq. Halberſtad. ad an. 912. p. 101. Forte & huc pertinet divortium Henrici Leonis cum Clementia Conradi Zæringiæ Ducis filia, quam 1147. duxit, & 1162. propter cognationem repudiavit, id quod Conſilio Imperatoris factum fuiſſe ſcribit *Conradus Urſpergenſis* ad an. 1162. Et *Chronicon Montis Sereni* ad an. 1163. p. 32. ita rem effert: Divortium inter Ducem & ipſius conjugem propter conſanguinitatem factum eſt, hoc ipſum Imperatore juramento firmante.

Porro *Goldaſtus* de Regn. Bohem. L. 4. c. 9. num. 12. Primislaum Ottocarum propter repudium uxoris ab Imperatore judicatum perhibet. Adde dicta de *Matrimon.* Tit. 37. §. 503. Ludovicus Bavarus Imperator in cauſa divortii inter Joannem Bohemum & Margaretham Tirolenſem, vulgo Maultaſchiam, ſententiam dixit, dictæque Margarethæ ſecundas nuptias cum filio ſuo Brandeburgico, mediante diſpenſatione ſuper tertio affinitatis gradu permiſit, ceu publicæ teſtantur tabulæ apud *Goldaſt.* Monarch. Imp. T. 2. p. 1343. Add. *Freher.* Scriptor. Rer. Germ. Tom. 1. p. 620. & *Schilter.* de libert. eccleſ. Germ. VI. 3. 7. ac *Leibniz.* in Cod. Jur. Gent. Diplom. num. 82. p. 156. Qua occaſione *Guilielmus Occam* ſcripſit de Jurisdictione Imperatoris in matrimonialibus. Confer dicta de Matrimon. Tit. 14. §. 193.

§. LXVIII. b.

Hodie vero id ſibi non ſumit Imperator, nec aliter ſinit ſumma Imperii

perii

perii tribunalia in talibus causis cognoscere, aut Commissarios dare, quam si incidenter quæstio oritur e. c. in mota status quæstione, aut si de successione *, sævitia, dotalitio aut alimentis principaliter agitur. Conf. *Oldenburger.* Limn. enucleat. L. 4. c. 73. §. 45. Sic Comitissam quandam Catholicæ religionis maritum suum Comitem immediatum itidem Catholicum de sævitia incusasse, & ab Imperatore Commissionem, qua ipsi de alimentis prospectum, impetrasse testatur *Jacob Bernhard Mulz* in Repræs. Maj. Imp. part. 2. c. 33. §. 2. num. 105. Quod autem in Ord. Jud. Aul. tit. 1. §. 2. tit. 5. §. 22. dicitur, daß geist- und weltliche Sachen vor den Reichs-Hof-Rath gehören, accipiendum est de casibus, ubi de possessione vel facto est controversia e. c. an quis spoliatus beneficio ecclesiastico, turbatus in possessione decimarum?

* Sed & hic cautius incedere Cameram, apparet ex dictis de Matrimon. §. 275. Nimirum cum lis esset de successione Ysenburgica, & illa a quæstione præjudiciali penderet: num matrimonium Comitis Antonii cum fœmina inæquali, Catharina Gumpelia, fuerit legitimum? Camera non audebat desuper cognoscere, sed rem ad judicem competentem remittebat, cumque dubium videretur, quis judex sit competens? Comitialem declarationem desiderabat, quæ tamen ne nunc quidem est secuta.

§. LXIX.

Status Imperii Protestantes cum jugum Papale penitus excusserint, in causis ecclesiasticis speciatimque matrimonialibus absoluta potestate & libertate utuntur, adeo ut licet in secularibus superioritas eorum ab Imperatore & Imperio dependeat, in ecclesiasticis tamen omnia libere agant. Vid. Instrum. Pac. art. 5. §. 52. adde tamen §. 54. atque tum circa propria sua, tum subditorum, utut Pontificiorum matrimonia pro arbitrio disponant. Sic Fridericus Wilhelmus Elector Brandenburgicus Decano & Clerico Mindensi Sch. Romanæ religioni addicto veniam uxorem ducendi indulsit, eumque adversus conatus Pontificis Romani in possessione officii & beneficii tuitus est. At si contingit, Statum Protestantem in cognitione causa-

Protestantes autem

causarum matrimonialium ab Officiali Pontificio turbari, mandata & processus in Camera impetrari, docemur exemplo memorabili in causa Dortmund contra Officialem Coloniens. de 1589. Vid. *Textor.* de jure Episcopal. in terris Stat. protest. th. 66. & *Henr. Bodin.* de illicita a Principib. Protest. provocatione in causis ecclesiasticis §. 36.

§. LXX.

nec Pontificis

Sane Pontificis Romani nullæ in causis Principum Protestantium matrimonialibus partes esse poterunt, quippe cujus jurisdictionem haud agnoscunt Protestantes, publica ac fundamentali hoc in passu lege suffulti. Vid. Instrum. Pac. art. 5. §. 48. ibi: Jus diœcesanum & tota jurisdictio ecclesiastica suspensa esto.

§. LXXI.

nec Imperatoris

Imperatori quidem nonnulli ex ipsis Protestantibus Doctoribus hodiernum jus tribuunt cognoscendi etiam de Principum Imperii Protestantium causis matrimonialibus, in quibus & est *Jacob. Carol. Spener* in Jur. publ. Germ. L. 4. c. 5. §. 15. Not. c. Sic & *Textor* ad R. J. 1654. disp. 1. th. 74. judicium Aulicum competens forum esse putat, ubi inter Principes Protestantes de matrimonio agitur. *Blumius* rem decidendam esse putat per Commissarios Lutheranos, quos Cæsar nominaverit. At impediuntur Imperatores per religionis, quam profitentur placita, quo minus de causis matrimonialibus, tanquam ecclesiasticis & spiritualibus cognoscere queant. Vid. Concil. Trident. Sess. 24. Can. 12. ibi: si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit. Quare Imperatores sponte a talium causarum cognitione abstinent. Ipse laudatus modo *Spenerus* alibi in dissertatione de jure repudiorum §. 5. fatetur, Jurispublici Doctores, qui reservatum aliquod Imperatoris jus circa Principum sponsalitia & matrimonialia litigia assignant, quid juris esse poterat, commode docuisse, facti vero propemodum probasse nihil.

§. LXXII.

Quæ enim in contrarium exempla passim adducuntur, si rite examinentur, docebunt, non in ipsis causis matrimonialibus, sed secularibus

e. c.

e. c. ſuper ſævitia, dotalitio, alimentis &c. Commiſſarios fuiſſe datos. Sic adverſus Conſiſtorium Auguſti Ducis Saxonici, coram quo Dux Megapolitano-Sverinenſis Chriſtianus conjugem ſuam, Chriſtianam Margaretham Guſtrovienſem ex cauſa deſertionis convenire intendebat, inhibitio Cæſarea ob notoriam incompetentiam emiſſa legitur in *Diario Europæo* P. XI. p. 547. & Imperator antea NB. non de ipſo vinculo matrimonii ſed de ſolo ſævitiæ puncto, de qua Duciſſa conquerebatur, & paraphernalibus Commiſſarios cognoſcere juſſerat. Adde §. 78. & de Matrimon. §. 358. ſqq. Carolus Leopoldus Megapolitanus & Sophia Hedwig. Naſſovica conjuges cum 1710. in Conſiſtorium Gryphiswaldenſe compromiſiſſent hocque ex capite impotentiæ divortii ſententiam tuliſſet, Duciſſa ſuper nullitatibus commiſſis conqueſta & alimenta petens Cæſarem adibat qui Commiſſionem Duci Gothano & Landgravio Caſſellano 1712. detulit. Vid. *Struv.* Syntagm. Jpbl. c. 24. §. 21.

§. LXXIII.

nec Auſtregarum judicium in eccleſiaſticis & matrimonialib.

Ad Auſtregarum forum matrimoniales Principum Proteſtantium controverſias pertinere exiſtimant *Limnæus* Jur. publ. L. 4. c. 8. n. 96. & *Mylerus* de Princ. & Stat. Imp. c. 20. n. 70. quibus tamen obſtat Ord. Cam. part. 2. tit. 2. ubi Auſtregæ vi Commiſſionis Cæſareæ, tanquam Commiſſarii Cæſarei, officium ſuum peragere dicuntur. Qui itaque quæſo Commiſſarii Cæſarei arrogare ſibi poterunt poteſtatem, quam ne ipſum quidem Imperatorem ſibi arrogare modo audivimus. Accedit, quod dictus Ord. Cam. textus luculenter ſatis innuit, illas ſaltem cauſas ad Auſtregarum forum pertinere, ob quas ad ſumma Imperii tribunalia appellari poteſt. Hæc vero in matrimonialibus fundatam jurisdictionem non habere, ex ſuperioribus patet.

§. LXXIV.

nec Conſiſtorium univerſale

Larvatus quidam *Heydenus Boromæus Riccruntus*, ſub quo Huldericum ab Eyben latere perhibent, in not. ad Animadverſ. ad Guil. Ignat. Schutzii Manual. pacif. in fin. Rubr. de Jurisdict. Eccleſ. p. 188. & *Linckius* de immed. Imper. Prot. for. in cauſ. matrim. Sect. 2. n. 28. nec non *Schweder.* de foro illuſtr. §. 43. e re Principum Evangelicorum fore

putant, si peculiare aliquod Consistorium unanimi consensu constituerentur, Præside & Assessoribus, vitæ integritate religionisque candore conspicuis, partim Theologis, partim JCtis, inprimis ex Consiliariis judicii Aulici Imperialis & Assessoribus Cameræ Wezlariensis Protestantibus solis assumtis, qui stato tempore certo in loco convenirent, Principumque ad se delatas causas Ecclesiasticas juxta praxin nostræ Ecclesiæ exerceant, & autoritate circa modum sententias latas exequendi a Statibus ita sint muniti, ut victores de executione contra contumaces securi esse possint. Sed hæc consilia moraliter esse impossibilia, & de unanimi in tale judicium consensu merito esse desperandum, jam dum ostendit *Jacob. Frid. Ludovici* de judice in causis Principum Protestantium matrimonialibus §. 37. sqq.

§. LXXV.

Sed judicem plane nullum agnoscunt.

Quare nihil est reliquum, quam ut Principes Protestantes in causis matrimonialibus judicem plane nullum agnoscere dicamus. Etiam nobiles Imperii immediatos ad pronuntiatum Collegii Juridici sine ulteriori judicii forma se existimare posse a vinculo matrimonii solutos, evincit *Lyncker.* Resp. XIV.

§. LXXVI.

Sed in arbitros compromittunt.

Sponte plerumque Principes conjuges Protestantes in arbitros (Catholicis hoc non est integrum cap. 9. X. de in integr. restit.) compromittere solent, quod fit dum Theologis & JCtis suis talium rerum judicium committunt. Joannes Casimir Saxoniæ Dux per Consistorium Coburgense divortii sententiam pronuntiari curavit 1593. apud *Ludolph.* de jur. fœm. illustr. p. 15. Anno 1690. Wilhelmus Ernestus Dux Vinariensis ab uxore sua Charlotta Maria separari se curavit mediante sententia, lata a Præside & Assessoribus judicii compromissorii constituti ex Theologis & JCtis Jenensibus, quibus utraque pars hoc negotii dederat, remissa ad hunc actum fide & juramento quibus alias tenebantur. Ipsam sententiam exhibet *Ludolf.* de jur. fœm. illustr. Append. 3. lit. Z. p. 439. Georgius Ludovicus Hannoveranus, postea Angliæ Rex, cum ab uxore sua Sophia Dorothea Zellensi divortium faceret, sententiam a Consistorio suo ferri curavit d. 28. Dec. 1694. Leopoldus Eberhardus Dux Mompelgardensis ab uxore sua

Morga-

Morganatica Comitiſſa a Sponeck anno 1714. per Conſiſtorium Montisbelligardenſe ſeparari ſe curavit, reſervata utrique parti aliud matrimonium ineundi facultate.

§. LXXVII.

Quodſi una pars ab altera ad compromittendum invitata compromittere renuat, peti & impetrari quidem poteſt in ſummis tribunalibus mandatum de compromittendo pœnale. Si tamen pars contumax porro compromiſſum detrectat, non quidem metuenda eſt pœnæ declaratio: Sufficit interim eandem hoc ipſo cauſæ ſuæ diffidentiam prodere, ac ſi altera pars ex conſilio prudentum poſtea ad divortium pergit, non modo in conſcientia erit tuta, ſed nec altera pars habebit de quo conqueratur. Cum Philippus Albertus Comes in Limburg Gaildorf Dorotheam Mariam Hohenloicam ex qua quinque ſuſceperat liberos repudiaret, nec Comitiſſa ut Conſiſtorio cuidam cauſa cognoſcenda committeretur obtinere poſſet, impetravit hæc in Camera mandatum: Bey poen 10. Marck lötigen Goldes, ſo fern du gegen deine Ehegemahlin einige erhebliche Beſchwerung zu haben vermeineſt, daß du dir darin nicht ſelber Recht ſprecheſt noch de facto verfahreſt ſondern deswegen Rechtens entweder vermittelſt eines einhelligen Compromiſſes auf ein gewiſſes Wohl conſtituirtes unpartheiiſches Conſiſtorium oder mit einhelliger Beſtellung eines abſonderlich eigenen Conſiſtorii dich gebraucheſt und des rechtlichen Ausſchlags, jedoch alles auf deine Koſten erwarteſt. At Comes hæc inſuper habens Pontificia ſacra amplexus diſpenſatione obtenta ad ſecunda vota tranſiit.

§. LXXVIII.

Quid in lite inter diverſæ religionis conjuges juſtum

Quæ cum ita ſint, cumque Principes Imperii Proteſtantes nullum in matrimonialibus judicem, Pontificii vero Curiam Romanam pro foro competente agnoſcant, quæri poſſet, num quis, & quinam judex eſſe debeat in caſu, quo lis ſuboritur inter conjuges, Imperii Principes, quorum una pars Pontificiis, altera Proteſtantium ſacris eſt addicta? Extitit ille ſuperiori Seculo in domo Mecklenburgica, cum Chriſtianus *Ludovicus* Sverinenſium Dux Chriſtianam Margaretham Guſtrovienſem duceret, & poſtea, litibus interea ſubortis, Pariſiis Pontificia Sacra amplecteretur. Atque

tunc quidem Dux controverſiam, quæ ipſi cum conjuge intercedebat,* ad Curiam Romanam detulit, & matrimonium hoc per Cardinalem Barbarinum, tunc Pariſiis commorantem 1663. ſub prætextu conſanguinitatis in ſecundo gradu annullari ac dirimi curavit, ſuperinducta poſtmodum Iſabella Angelica Montmorancia, Luxemburgici Ducis ſorore, vidua Ducis de Chatillon. Quæ omnia confirmavit Imperator 1664. ac proli futuræ circa ſucceſſionem proſpexit, proteſtautibus deſuper tum Duciſſa derelicta, tum proximo agnato, Guſtavo Adolpho, tum etiam corpore Evangelico. At cum Dux poſtea ſine liberis decederet, lis omnis ceſſavit.

* Initium controverſiarum non erat ſuper matrimonii vinculo, ſed ſuper ſævitiis & bonis paraphernalibus. Duciſſa deſuper impetraverat Commiſſionem a judicio Imperii Aulico. At Dux ſeparari ab ea cupiens rem defert ad Conſiſtorium Saxo Lauenburgicum. Sed ob notoriam incompetentiam obtinebat Duciſſa ab Imperatore mandatum caſſatorium & inhibitorium. Dux igitur ex ſuis Conſiliariis formabat judicium, quod pariter detrectabat Duciſſa, & quoniam coram eodem non comparebat, judicium hoc in contumaciam divortii ſententiam pronunciabat. Tandem cum Dux Pontificia ſacra amplecteretur, cauſa demum ad curiam Romanam delata.

§. LXXIX.

diſtinctim exponitur

Nobis ſi hac de re qualecunque noſtrum judicium ſubjungere licet, diſtinguendum videtur inter actorem & reum. Reus quidem ſi Pontificius fuerit, & ab uxore coram curia Romana conveniatur, forum hoc declinare non poterit, quamdiu religionis ſuæ principiis inſiſtit. Actor autem invitus hoc forum præciſe ſequi, & in judicis, cujus poteſtati & imperio nunquam ſe ſubjecit, arbitrium compromittere non tenebitur, id quod tamen feciſſe videtur, quoties reum ibidem convenit. Quodſi vero reus Proteſtantium ſacris utitur, tunc iterum diſtinguo, utrum maritus an uxor rei partes ſuſtineat? Priori caſu abſurdum ſane foret, ſi uxor, quæ ipſa potius mariti forum ſequi tenetur, maritum ad forum ſuum trahere vellet. Poſteriori vero caſu ubi ſcil. maritus Pontificius contra uxorem

rem ſuam Proteſtantem agit, qualis erat propoſitus ille Mecklenburgicus, anceps magis eſt res. Cum enim uxor Principis Imperii mariti ſui forum ſequatur. Vid. de Matrimon. T. 25. §. 319. hic vero ſi Pontificius eſt, in matrimonialibus illud in Curia Romana ſortiatur, primo intuitu videri poſſet, ac ſi uxor quoque idem agnoſcere teneatur. Verum enim vero quoties diverſæ religionis homines matrimonium ineunt, regulariter, & niſi aliud fuerit expreſſum, utrinque integram religionis ſuæ libertatem per omnia reliquiſſe ſunt cenſendi. At cum Proteſtantium religio, ex Pontificiorum ſententia matrimonia metiri, dijudicare non ſinat, verius omnino eſt, uxorem Proteſtantem mariti ſui Pontificii forum in matrimonialibus invitam ſaltem ſequi non debere. Accedit quod tempore contracti modo memorati matrimonii Mecklenburgici, ambo contrahentes Lutheranam profeſſi ſunt religionem, adeoque ejusdem principia pro matrimonii ſui norma agnoverunt, quam poſtmodum alterutra parte invita mutare, vix erit integrum.

§. XXC.

In cauſis publici regiminis Principes ſubditos tum in ſummis tribunalibus convenire

Progredimur ad cauſas Principum Imperii ſeculares, quæ vel publicæ ſunt, vel privatæ. In publico ditionum ſuarum regimine vi acquiſitæ, & in Inſtrumento Pacis art. 8. §. 1. confirmatæ ſuperioritatis ea Principes pollent poteſtate, ut leges ſubditis non modo ferant, ſed & contra eosdem exequantur, ac in contumaces & refractarios vi coactiva utantur. Ferendæ non ſunt anguſtiæ ad quas Principes noſtros redactos cupit *Gothofredus* ad L. un. C. ne quis in ſua cauſa judicet, dum iis ne quidem coram ſuis Conſiliariis ſubditos convenire, nedum vi coercere integrum eſſe, ſed in Camera Imperiali ſubditos a ſuis Principibus præciſe conveniendos eſſe cenſet. Poſſe Principes ſuos ſubditos in ſummis Imperii tribunalibus convenire non negamus. Conf. Capitul. Caroli VI. art. 15. in fin. Sed hoc nonniſi ab iis fieri, qui vires non habent, ſe tuendi adverſus impetum plebis, bene monet *Ludolf.* de jure Cameral. p. 134. ubi exemplum addit, in cauſa Hildburghuſana mandati inhibitorii ſine clauſula contra ſubditos ſeditioſos decreti & promtiſſime deciſi 1717. Oſt - Friſicum pariter in vulgus notum eſt. Qui vero Principes mediis coactivis pollent, ipſi ex natura & indole ſuperioritatis territorialis ſubditos coercent, adeoque in propria cauſa contra ſubditos ſibi jus dicunt, ita tamen, ut ſi

tum ſibi ipſi jus dicere poſſunt.

 ſubdi-

subditi se gravatos intelligant, his liberum sit, querelas suas ad suprema Imperii tribunalia deferre, quæ quidem per Capitul. Carol. art. 15. & 19. n. 4. non facile & sine prævia informatione recipiuntur, at ubi causa ipsarum probabilis invenitur, experientia docet, in jus desuper Principes vocari, inhibitiones, mandata & commissiones contra eos decerni. Habuerunt aliquot abhinc annis Principes Anhaltini Commissionem Cæsaream ob exactas nimias contributiones & præstationes, Dux Mecklenburgicus ob sævitiam exercitam. Ad regimen Electorale Dresdense Camera Imperialis mandata dedit de administranda justitia anno 1672. Vid. *Ludolf.* de Jur. Cameral. p. 259. Et quem fugit, appellationes in Camera pariter ac judicio Imperii Aulico recipi contra sententias ab Imperii Principibus latas, nisi jure de non appellando gaudeant.

§. XXCI.

In causis criminalibus Status Imperatoris judicio subsunt

Privatæ Principum causæ vel criminales sunt, vel civiles. In causis Principum Imperii criminalibus nullum eos judicem agnoscere, sed si pacem publicam turbant, tanquam fœdifragos bello peti, reliqua autem delicta impune ferre, *Furstenerii* aliorumque est sententia, quos excitavimus de pœnis §. 221. Admitti illa poterit in iis Statibus, qui regna & territoria independentia simul possident, adeoque nonnisi respectu territoriorum pro subditis haberi possunt. In reliquis vero communior & verior eorum est sententia, qui non modo in fractæ pacis, sed aliis etiam delictis Imperii Principes Imperatoris judicio obnoxios pronuntiant. Confirmant hanc sententiam non modo Land-R. L. 3. art. 55. Uber der Fürsten Leib und ihren Gesund (super illustrium, vitam & eorum sanitatem) mag niemand Richter seyn nach Rechte, denn der König Jung. Spec. Svev. c. 24. & Ord. Pol. de 1548. & 1577. tit. 1. §. 6. ubi contra Status in causa blasphemiæ criminaliter agendum præcipitur: sed & exempla Principum ab Imperatoribus judicatorum, quorum multa satis in Tr. de delictis & pœnis adduximus.

§. XXCII.

qui proscriptio-

Ac licet Imperatores sententias contra Principes plerumque in Comitiis prævia Ordinum deliberatione ferre consueverint, qualia exempla magno

gno ſatis numero congeſſit *Hyppol. a Lapide* de Rat. Stat. part. 1. c. 10. Sect. 3. & *Struv.* Syntagm. Jur. publ. c. 24. §. 6. 7. indeque nonnulli Principum jus * das Fürſten-Recht adſtruxerint, vi cujus Imperator in cauſis criminalibus & feudalibus Ordinum conſenſu Principes judicare teneatur, ſupra tamen L. 4. T. 1. §. 23. demonſtravimus, ex libera Imperatorum voluntate hunc conſenſum olim in criminalibus fuiſſe adhibitum, nec deeſſe exempla, ubi Imperatores ſoli graviſſimas Principum cauſas judicarint, donec in Capitul. Ferdin. III. art. 30. in proſcribendo Imperii Statu Electorum & in Caroli VI. art. 20. n. 3. Comitialis Statuum conſenſus fuerit requiſitus, ſimulque cauſas adduximus, quare rariores hodie criminales contra Imperii Status proceſſus & pœnæ exiſtant. *num cauſas ad Comitia defert.*

* In imperantis arbitrio regulariter eſt poſitum, num ſubditos ſuos ipſe an per conſtitutos ad id judices judicare multoque magis, quos judicii Aſſeſſores conſtituere velit. In Germania olim tales aſſumi ſolebant judicii Aſſeſſores, qui reo in generatione erant æquales, die ihnen ebenbörtig e. c. Principes in cauſis Principum, imo nonnunquam plane reorum conſanguinei vel ex eadem qua ipſi provincia orti. Sic cum Otto Dux Bavariæ ab Henrico IV. Majeſtatis damnaretur, *Lambertus Schafnaburg.* ad an. 1070. ſcribit, Regem Saxoniæ Principes, *quod ex his oriundus eſſet Otto*, ſententiam ſuper eo rogaſſe. Id quoque Principum dignitati dabatur, ut ex trina, quæ adhibebatur, citatione, prima per alium Imperii Principem inſinuaretur. Ita ad inſtantiam Henrici Palatini Ludovicus Bavariæ Dux a Sigiſmundo Imperatore citatus eſt per Marchionem Badenſem. Hæc omnia poſtmodum ad neceſſitatem trahere voluerunt Principes. Poſtulata & gravamina eorum inprimis inde a Sec. XVI. interpoſita vid. ap. *Hyppol. a Lapide* part. 1. c. 10. Sect. 3. p. 178. Sic & antiquioribus temporibus Henricus Leo injuſte de ſe judicatum fuiſſe affirmabat, dicens ſe de Svevia oriundum, & nullum proſcriptione poſſe damnari non conventum in terra nativitatis ſuæ apud *Arnold. Lubec.* L. 2. c. 24. Henricus Bavarus exceptione non legitime factæ citationis ſe tuetur apud *Londorp.* Act. publ. Tom. 2. L. 1. p. 22. quod non per Principem quendam, ſed homi-

homines longe inferioris ordinis fuerit citatus. Sed contradixisse & restitisse Imperatores his Principum postulatis, patet tum ex iis, quæ ipse *Hyppol. a Lapide* hanc in rem disserit part. 2. c. 7. Sect. 5. tum exemplis sententiarum a solo Imperatore contra Principes latarum vid. L. 4. T. 1. §. 23. Accedit, quod nec A. B. nec Imperii Recessus hujus Principum juris mentionem injiciant, ipseque Saxoniæ Elector in literis ad unitos Principes de dato Dreßden 10. Febr. 1610. apud *Hyppol.* p. 188. fateatur, er wisse von solchen Fürsten-Rechte nichts, habe auch nicht erfahren können, an welchen Ort dasselbe beschrieben, oder auf welcher Reichs-Versamlung ein solch Recht jemahls gefaßt, beschrieben, publiciret, und authentisiret. Urget quidem *Hyppolitus* der Chur und Fürsten Gesetze zu Basel mit Kayser Sigmunden gemacht, wie ein Fürst den andern für das Röm. Reich laden soll. Sed ipse fatetur, hanc Constitutionem Recessuum Corpori haud esse insertam. Quomodocunque interim antiquioribus temporibus se res habuerit, certe per art. 20. Capitul. Caroli VI. Statuum consensus in proscriptionum causis requiritur.

§. XXCIII.

Nec dominus territorii, in quo Status delinquit fundatam jurisdictionem habet.

Quod Imperatori in Principes delinquentes judicium modo vindicavimus nonnulli ita limitant, ut tum demum ei locum faciant, si Principes vel in proprio suo, vel in immediato Imperii territorio delinquunt. Quodsi enim in alius Principis territorio delinquant, hujus, utut forte inferioris, jurisdictionem esse fundatam, contendit *Mylerus* supra a nobis citatus de pœnis T. 1. §. 221. *Linckius* vero de Comitibus Principibus part. 2. §. 9. inferiores quidem a superiore in loco delicti commissi posse judicari & puniri e. c. Comitem a Duce, at parem in parem jurisdictionem exercere volentem sine injuria contemni. Nos jam Tit. 2. §. 46. ostendimus, nec delicti nec deprehensionis locum inter Principes forum fundatum præbere, a qua regula tantum abest, ut in Germaniæ Principibus exceptio doceri queat, ut potius, quoties sibi Principes in subditos Imperii immediatos, tanquam in loco delicti commissi, jurisdictionem arrogant, serio ab Impera-

peratoribus contradici animadvertamus. In utramque partem citari solet R. J. Ratisb. 1594. §. 68. Ebenermassen ibi: Wenn eine eintzige Person sonderlich die mit Mittel dem Reich unterworffen auf freyer Landstrassen einen bößlich erschiessen oder eine dergleichen Mißhandlung thät, soll er vor den ordentlichen Richter, da er die That begangen, verklagt werden. Ubi quæritur, an particula sonderlich immediatos includat, an excludat?

§. XXCIV.

Herbipolensis Episcopus in Nobiles Imperii immediatos, in suo territorio delinquentes, criminalem quidem jurisdictionem sibi arrogavit, sed re a nobilibus ad Imperatorem delata, in judicio Aulico conclusum d. 24. Jan. 1710. in causa Reichs-Ritterschafft in Francken Orth Röhn und Werra contra Würtzburg das Cent-Amt Carlstadt und den von Lehrbach betreffend. Fiat petitum Mandatum sine clausula de non eximendo nobiles immediatos a jurisdictione Cæsarea in criminalibus, & primæ instantiæ in civilibus sub pœna 10. Marcarum auri & termino 2. mensium &c. it. eod. die in causa Schenck von Schweinsburg contra Würtzburg 1) fiat mandatum de relaxando captivo sub pœn. 10. Marc. auri & termino 2. mensium 2) fiat Commissio auf den Herrn Churfürsten zu Mayntz als Bischoffen zu Bamberg, & rescribatur eidem cum inclusione exhibitorum, diese unter unmittelbahren Reichs Ritterschäfftlichen Mitgliedern vorbeygegangene und veranlaßte schwere Thathandlung autoritate Cæsarea genau zu untersuchen, und darüber mit Gutachten zu berichten, inzwischen aber dahin zu sehen, damit die hierin interessirte Personen autoritate Cæsarea geschützet werden 3) cum notificatione hujus rescribatur an Herrn Bischoffen zu Würtzburg: Ihro Kayserl. Majestät wären zwar nicht gemeynet, seine hergebrachte jura Centenæ auf einige Weise zu kräncken, nachdem aber nicht zu befinden, wie aus denen angezogenen Ursachen und præjudiciis, so allenfals incompetenter und ohne Vorwissen Ihro Kayserl. Majestät geschehen, diese unter personis immediatis vorbeygegangene Thathandlungen von Deroselben allein zustehender Judicatur ab und zu seiner Centbarkeit gezogen werden könne; also solte der Herr Bischoff denen hierin ergangenen Kayserl. Verordnungen eine völlige Parition leisten, und zu Beförderung der Inquisition die vor seinen Cent-Gericht

quod prætorio judiciis confirmatur

ergangene Acta der heut ergangenen Kayserl. Commission extradiren. Similia prostant judicii Imperialis Aulici præjudicia in causis

Melusinæ de Horneg in puncto incestus 1644.
de Leonrod in puncto fratricidii contra Brandenb. Culmbach 1678.
de Neuhaus in puncto fratricidii contra Regimen Oenipontanum 1682.
de Guttenberg 1716. & 1717.
de Kunsperg contra Brandenb. Culmbach & Comitem de Giech.
de Eyb in puncto criminis falsi 1718.
Kraft Hannibal de Creilsheim in puncto fratricidii contra Brandenb. Onolzbach 1737. & 38. Qua occasione Marchio impressam consignationem actuum a sua domo inde a Sec. XV. contra immediatos nobiles puncto jurisdictionis Criminalis exercitorum judicio Aulico distribui curavit.

§. XXCV.

& ampliatur

Prona hinc est conclusio, si ne quidem in Nobiles immediatos delinquentes territorii domino jurisdictio competit, multo minus in Principes aliosve Imperii Status. Porro si ne quidem Princeps extraneus in Principem extraneum delinquentem jurisdictionem exercere potest, multo minus Princeps poterit in uxorem, fratrem, aliosve apanagiatos, ubi major nimii nunc favoris nunc odii suspicio subesse potest, quam in extraneum Principem cadit. Christophorum Durlacensem, cum in territorio immediatæ Imperii civitatis cursorem publicum occidisset, nec a judicio dictæ civitatis, nec a Durlacensi, sed ab Imperiali Aulico judicatum fuisse, monuimus de patria potestate §. 233. Ad exempla contraria respondimus in delictorum doctrina §. 224. Conf. Elect. Jurispubl. Tom. IX. p. 651.

§. XXCVI.

Ad Austregas causæ criminales non pertinent.

Ad Austregas plane non pertinent criminales Principum causæ, quia illæ demum causæ Austregis subsunt, in quibus ad Cameram Imperii potest appellari. At in Criminalibus (excepto crimine fractæ pacis) nulla Cameræ jurisdictio R. J. 1530. §. Item als jetzt Ord. Cam. part. 2. tit. 28. §. item nachdem. Dissentit *Limnæus* Jur. publ. L. 9. c. 5. n. 63.

§. XXCVII.

§. XXCVII.

Cauſas Statuum feudales olim Imperatores libere ad Comitia detulerunt

Inter civiles Principum cauſas eminent feudales, in quibus pariter Principum jus, quod §. 82. memoravimus quondam obtinuiſſe, easque coram Paribus Curiæ tractari debuiſſe, plerique Doctorum perhibent. Facilius illud in feudalibus, quam criminalibus obtinere potuit. Criminales enim cauſæ ſubjectionis nexum involvunt, quem per reſtrictam judicandi facultatem laxari haud facile patiuntur imperantes, feudales econtra Vaſallitium ſaltem fidelitatis nexum ſupponunt. Neque tamen indiſtincte in omnibus cauſis feudalibus Principum jus, ſive judicium Parium Curiæ obtinuiſſe exiſtimo, ſed tunc demum, ſi inter Imperatorem & Vaſallum lis vertebatur. Textus huc facientes, & propriam Sigismundi Imperatoris confeſſionem excitavi Tit. 3. §. 62. Tunc quoque, ubi Vaſalli inter ſe ſuper feudo litigabant, Imperatores ſæpiſſime coram paribus Curiæ, & rogata eorum deſuper ſententia judicaſſe, complura docent exempla allata ab *Hyppol. a Lapide* de Rat. Stat. part. 1. cap. X. Sect. 3. & *Struv.* Syntagm. Jur. publ. c. 24. §. 22. Hoc tamen ſolius ſolennitatis cauſa, & ex libera Imperatorum voluntate factum eſſe, contraria evincunt exempla ſententiarum feudalium, a ſolo Imperatore latarum, in cauſa Juliacenſi, Lauenburgica, Haſſiaca Luneburgica Megapolitana, Badenſi, Coburgenſi, Rombildenſi aliisque, quarum pariter meminerunt *Hyppol. a Lapide* part. 2. cap. 7. Sect. 5. & *Itter.* de feud. Imp. c. 25. §. 9. *Struv.* l. c. §. 23. Pro jure Principum pugnant *Hyppolitus*, *Limnæus*, *Klockius*, *Conringius*, *Bitſchius*, *Strauchius*, *Schottelius*, *Textor*, *Mylerus*, *Oldenburger*, *Itterus &c.* Pro Imperatore *Arumæus*, *Buxtorfius*, *Carpzovius*, *Wurmſerus*, *Sprengerus*, *Schutzius*, *Stamlerus*, *Reinkingius*, *Henniges* aliique.

§. XXCVIII.

Hodierna praxis

Hodierna Imperii praxis ita fert, ut quoties de integro feudo Regali in petitorio agitur, ſo einem Theil gäntzlich und endlich abgeſprochen werden ſoll, lis coram judicio Imperatoris Aulico ventiletur. Vid. Ord. Cameral. part. 2. tit. 7. Si vero de feudo non regali, aut de Regalis ſaltem parte, * vel totius poſſeſſorio ** agitur, Camera quoque Imperii concurrentem cum judicio Aulico jurisdictionem exerceat, ad Comitia autem

tem ubi ejusmodi causæ deferuntur, eædem ad fora sua ordinaria remittantur, nisi super lege imperii interpretanda dubium oriatur. In caussa Reinsteinensi cum Borussorum Rex ad Comitia recurreret, quasi de interpretanda pace Westphalica in eadem agatur, per Conclusum Comitiale illa ad judicium Camerale fuit remissa. Vid. *Struv.* Syntagm. Jur. publ. c. 25. §. 43. In causis feudalibus, quarum cognitio ad Cameram non pertinet, nec Austregis locum esse, patet ex §. 89. Quamdiu autem domino directo e. c. super divisione feudi per compromissum nullum affertur præjudicium, Austregarum forum in feudalibus fundatum multi perhibent.

* Sic causa Comitissæ a Pöttingen contra Burggravium de Kirchberg super *tertia parte* Comitatus Hachenburgensis in Camera ventilata, cumque a judicio Aulico avocaretur, re ad Comitia delata, per Conclusum Imperii ad Cameram remissa, quia saltem de parte Comitatus, neque ea mere feudali agebatur. Ceteroquin fateor, verba Ordinationis Cameralis gäntzlich und endlich, ex quibus sibi de parte feudi Regalis cognitionem Camera arrogat, in se spectata non tam de parte feudi, sed de sententia definitiva esse accipienda.

** Causam possessorii in feudis Regalibus Camera quidem sibi vindicat, contradicente tamen judicio Aulico. Vid. *Itter.* de feud. Imp. c. 25. §. 5.

§. XXCIX.

Causæ Statuum civiles ad Austregas pertinent.

In reliquis Principum Germaniæ causis Austregæ primam, judicium Aulicum aut Camerale vero alteram sive supremam instantiam præbent. Austregæ a voce Austragen, quæ idem ac definire, decidere sonat, dicuntur, & in masculino genere de judicibus, in fœminino de ipso judicio seu instantia prædicantur. Sunt igitur Austregæ prima instantia immediatis Imperii subditis ex privilegio in causis civilibus concessa*. Primam quidem Austregarum originem si spectes, illæ non ex privilegio sed conventione ortum ceperunt. Durante quippe magno interregno cum deficerent judicia, in quibus Principum lites terminarentur, pacto & conventione inter

inter nonnullos convenit, ut controversias suas velut ex compromisso coram nominatis quibusdam judicibus terminarent, qui propterea gewillkührte rechtliche Austräge vocantur. Cessante cum interregno causa horum judiciorum & ipsa cessare debuissent. Siquidem subditis integrum haud est, in præjudicium imperantis jurisdictionem prorogare aliique committere. At perdurarunt nihilo secius, donec tandem lege publica firmarentur, a qua proinde merito ipsorum robur & validitas arcetur. Vid. Ord. Cam. part. 2. tit. 2. Capitul. Caroli VI. art. 18. n. 2.

* *Prima* inquam *instantia.* Ita vocatur in Ord. Cam. part. 2. tit. 4. §. 14. Tit. 6. §. 1. Tit. 8. §. penult. R. I. de 1654. §. 105. 116. 168. Hinc causæ, quæ unica instantia debent absolvi, it. quæ per appellationem ad summa tribunalia devolvi nequeunt, ad Austregas non pertinent. Competunt Austregæ *immediatis*, nam in mediatis ratio cessat, quippe qui jam dum duplici instantia gaudent, & si quando in Austregis conventionalibus mediatorum mentio occurrit, extraordinarium est, atque ad exceptiones a regula pertinet. An fœminis & Apanagiatis Austregæ competant vid. §. 96. *Ex privilegio* eas competere in reorum favorem, patet ex R. I. 1654. §. 116. ubi Imperator se in posterum talia privilegia non facile daturum promittit.

Differunt hinc ab aliis Imperii judiciis subordinatis, quale est Rothwilense, horum enim instantia non in reorum favorem est concessa. Denique saltem in *causis civilibus* Austregas obtinere dixi. Ecclesiasticas enim, matrimoniales, criminales, feudales eo non pertinere ostendi. §. 73. 86. 88.

§. XC.

Ratio confirmatorum horum judiciorum in eo est sita, ne Principes immediati deterioris conditionis existerent, quam Mediati, quorum causæ cum pluribus instantiis ventilentur, iniquum videbatur, illas immediatorum unica terminari. Quæ ratio cum ad omnes immediatos quadraret, non modo iis, qui conventionales Austregas sibi constituerant, eædem sunt confirmatæ, & testamentariæ conventionalibus exæquatæ, sed & iis, qui *qui triplices sunt.*

 Au-

Auſtregis conventionalibus aut teſtamentariis deſtituebantur, legales ſeu Ordinationis conceſſæ. Unde triplicis generis Auſtregæ oriuntur, conventionales, teſtamentarii & legales. Conventionales vocantur & particulares gemeine ſonderbahre it. gewillkührte rechtl. Austräge, legales ſeu Ordinationis vero Imperiales Reichs-Austräge. De ſingulis ſeorſim.

§. XCI.

Conventionales. Conventionales, ſi inter extraneos, qui ejusdem familiæ membra haud ſunt, obtinent * κατ᾽ἐξοχὴν conventionales, bedingte Austräge, ac ſi inter fœderatos ** Bunds-Austräge, ſi denique ſpeciatim inter Ganerbios vigent, *** Burg- und Gan-Erben Austräge audiunt: Sin Auſtregæ inter membra ejusdem familiæ conſtituuntur, vocantur gentilitii Stamm-Austräge, qui vel temporarii ſunt, vel perpetui ſeu hereditarii Erb-Austräge. ****

* Tales ſunt inter Reges Bohemiæ & domum Saxonicam, item inter Reges Bohemiæ & Marchiones Brandeburgicos, it. inter Marchiones Brandeburgicos & Duces Pomeraniæ, quorum lites coram Conſiliariis utrinque deputatis ventilantur. Vid. *Schubhard.* de Auſtreg. c. 8. Tales quoque ſtabilitæ in unione Electorali de 1521. ubi lites oriundæ per unanimia Electorum vota decidi jubentur.

** In fœdere Suevico de 1488. apud *Datt.* de Pac. publ. L. 2. c. 8. conventum, ut ab actore ex civitatum Præfectis communis arbiter eligeretur, coram quo & adjunctis a qualibet parte Conſiliariis lites diſceptarentur & finirentur.

*** Im Speckfeldischen Burgfrieden zwischen Graff Linharten zu Caſtell und Schenck Fridrichen zu Limpurg de 1414. Epiſcopus Herbipolenſis ejusque Conſiliarii ad controverſias intra 2 menſes diſceptandas arbitri conſtituti leguntur apud *Lunig* im Reichs-Archiv. Spicil. 2. 1ſten Theils 3ten Abſatz num. 16. fol. 63. Conventione inter Ganerbios de Riedeſel 1586. jurato inita

inita pariter Auſtregæ ſunt conſtituti it. in Tannenſi de 1557. it. in Ganerbinatu Boineburgico 1712. ab Imp. Carolo VI. confirmato.

**** Wilhelmus & Balthaſar fratres Landgravii Thuringiæ 1387. ſunt pacti, ut litibus ortis ab actore ex rei conſiliariis ſuperarbiter eligatur, cui a qualibet parte unus Conſiliarius adjungatur, & hi tres litem 4 ſeptimanis dirimant apud *Lunig* im Reichs-Archiv part. ſpec. Contin. 2. der 4ten Abtheilung andrer Abſatz. n. 18. fol. 195. Fridericus & Wilhelmus fratres Duces Sax. 1448. convenerunt, ut actor ex rei Conſiliariis ſuperarbitrum, cui a quolibet duo Conſiliarii jungerentur, ad rem 14 diebus decidendam eligeret *Lunig* l. c. num. 36. fol. 236. Adde pactum inter Joannem Electorem Saxoniæ & Agnatum ejus Ducem Georgium de 1531. ibid. num. 47. fol. 260. Vid. *Schrœteri* diſſ. de Auſtregis Conventionalibus domus Saxon. Inter Haſſiæ Landgravios nominantur quatuor nobiles & quatuor Deputati Civitatum, quibus Aſſeſſor judicii Aulici ein Gelehrter vom Hoffgericht, & JCtus Marpurgenſis jungitur, qui omnes intra 6 ſeptimanas poſt actoris petitionem nominandi.

§. XCII.

Conſtituuntur Auſtregæ conventionales pacto & conventione. At cum paciſci cuilibet regulariter ſit integrum, videri poſſet, tales Auſtregas a quolibet pro lubitu pacto poſſe conſtitui. Verumtamen cum tali pacto agatur de jure tertii, imperantis nimirum, cujus intereſt, juriſdictionem in ſubditos ab aliis haud exerceri, facile apparet, ad validitatem talis pacti imperantis conſenſum ac confirmationem eſſe neceſſariam. Vid. *Schilter* Inſt. Jur. publ. L. 4. T. 7. in fin. Eſt quidem in ſubditorum arbitrio poſitum, num litigare velint, nec ne? At ubi ad litigandum ſe determinant, judicis optio in ipſorum arbitrio haud eſt, ſed competens præciſe adeundus. Hinc Auſtregæ poſt interregnum usque ad ſecutam earum in Ord. Cam. confirmationem toleratæ magis, quam legitimæ dicendæ ſunt. Facit huc, quod Imperator in Rec. Imp. 1654. §. 116. & Capitul. Carol. VI. art. 18. n. 4. promittit, ſe non facile privilegia Auſtregarum conceſſurum, quæ promiſ-

Pacto Imperatoris conſenſu firmato conſtituuntur.

ſio

ſio vana & inutilis foret, ſi quilibet pro lubitu Auſtregas conſtituere valeret. Porro cum ab Auſtregis ad ſumma Imperii tribunalia appelletur, & proinde in caſu quo Auſtregæ applicantur perſonis, quæ jam dum aliam primam inſtantiam agnoſcunt e. c. judicium Rothwilenſe, aut ſenatum Equeſtrem den Ritter-Rath, Ritterſchafftl. Orths Inſtanz, ordinarium tale judicium per Auſtregas excludatur, hujus quoque conſenſu ad talium Auſtregarum validitatem opus videtur.

§. XCIII.

Salva appellationis inſtantia.

Denique ipſa indoles Auſtregarum, utpote quæ primam inſtantiam conſtituere debent, dictitat, per tale pactum alteram inſtantiam interverti non poſſe. Unde colligere licet, quid ſentiendum ſit de clauſula admodum ſolenni ac frequenti pactis & teſtamentis, quibus Auſtregæ conſtituuntur, addi ſolita, ut *remota appellatione* in Auſtregarum ſententia acquieſcatur. Scilicet non aliter exitum ſortietur talis clauſula, niſi & illa NB. ſpeciatim ab Imperatore ſit confirmata. Equidem L. 1. §. 3. Dig. a quibus appellare non licet L. 29. C. de pactis L. 5. §. 6. C. de temporib. & reparationibus appellationum valide appellationi renuntiari docent, ſed hoc de renunciationibus in ſingulis cauſis facta accipiendum. Alias enim & ſi univerſim appellationibus renuntiare liceret, eo ipſo jus judicis ſuperioris interverteretur. Cumque in Germania ne quidem ſtatui Imperii integrum ſit, ſubditis ſuis appellationes ad ſumma Imperii tribunalia prohibere, multo minus familiæ pacto tale quid licebit. In plerisque familiæ pactis quibus Auſtregæ ſtabiliuntur, appellationis prohibitio reperitur, quæ ſi exitum ſortiretur, actum ſane foret de appellationibus ab Auſtregis.

§. XCIV.

cui univerſim renuntiari nequit.

Hinc judicium Imperatoris Aulicum 1719. d. 17. May in cauſa Rechberg contra Rechberg fideicommiſſum concernente pronuntiavit, daß Ernſt von Rechberg fideicommiſſariſchen Diſpoſition nicht könne nachgegangen werden in mehrerer Erwegung, daß demſelben keinesweges gebühren wollen, zum præjudiz der Kayſerl. allerhöchſten jurisdiction den Recurſum an die höchſte Reichs-Gerichte zu verbiethen, ſothane diſpoſition auch von Kaiſer Rudolpho II. glorwürdigſter Gedächtniß keineswegs confirmiret

ret worden. Imo pacta Ganerbiorum Tannensium licet juramento a Ganerbiis sint firmata, atque ab Imperatore confirmata, tamen additam appellationis prohibitionem sustinere haud valuerunt. Prostant enim complura præjudicia, ubi ab Austregalibus hujus familiæ sententiis appellatum. Sic 1654. Austregalis sententia confirmata. At 1709 reformata. Atque iterum ubi super admittenda appellatione a sententia Austregali acriter disceptaretur, anno 1724. in judicio Aulico decisum, daß iedweden durch der Austregen gerichtl. Ausspruch sich beschwert befindenden Theile die in den gemeinen Rechten sowohl als Reichs-Constitutionen versehene remedia juris zu gebrauchen, und an Ihro Kayß. Majest. den allerunterthänigsten Recurs in denen dazu qualificirten Fällen zu nehmen, ohne alle Einschrenckung frey und allerdings vorbehalten seyn solle. Conf. *Elias Frid. Heitmann* de Austregis conventionalibus Ganerbiorum Nobilitatis immediatæ Erford. 1728. §. 49.

§. XCV.

Austregæ testamentarii ultima voluntate constituuntur, & a conventionalibus solo modo constituendi differunt. De cetero confirmationem Cæsaream pariter requirunt, & quoad effectum cum conventionalibus conveniunt Exempla Austregarum testamentariorum passim sunt obvia. Spectat huc, quod Philippus Hassiæ Landgravius testamento 1562. condito §. Da GOTT vor sey disposuit, ut discordiæ inter filios orituræ per undeviginti arbitros, quorum sedecim ex nobilitate & civitatibus, & duo ex supremo dicasterio, qui Doctores sint, ab utraque parte pari numero, & unus ex universitate Marpurgensi communi consilio electi fuerint, dijudicentur, quod testamentum filii ejus 1568. familiæ pacto confirmarunt, & *Lunigius* inseruit dem teutschen Reichs-Archiv Part. spec. Contin. 2. 4te Abtheilung 8ter Absatz num. 6. fol. 776. Joannes Senior Comes de Nassau Cazenelnbogen testamento de 1597. cavit, ut ortæ inter filios heredesve lites deferantur ad quosdam familiares, Landsassios juratosve Vasallos, qui amicabilem compositionem tentent, qua deficiente ad executores testamentarios, etiam his frustra tentantibus amicabilem compositionem, ad aliquos proximos agnatos, aut si utilius esse putarent, ad omnes Comites Wetteravicos, qui pro gravitate causæ, adhibito Consilio JCtorum, summarium processum instituant, sententiamque ferant, *Testamentarii.*

remota appellatione, aut si partes nec his contentæ essent, acta ad judicium Camerale transmittantur, quod um die Gebühr sententiam ferat. Vid. *Lünig* Reichs-Archiv. Spic. sec. 1sten Theils 28. Absatz num. 29. fol. 665. Georgius Dux Brunsuicensis 1641. testamento disposuit, ut controversiæ inter Principes regentes a Consiliariis & Ordinibus constituto Præside & superarbitro provincialibus pari numero electis, præstito ad hunc actum juramento, deciderentur, salvo parti gravatæ remedio supplicationis & adjunctionis duorum, quod testamentum Principes regentes corporali juramento firmare jubentur. Exhibet illud *Stryck.* Cautel. Testam. n. 6. Joannes Georgius I. Elector Saxoniæ 1652. testamento ab Imperatore confirmato posterorum suorum controversias decidi jubet a Consiliariis Vasallis & subditis pari numero ab utraque parte electis, qui si discordes sint, ad impartialem universitatem sorte electam acta transmittant. Inseruit illud *Sprengerus* Opusculis Juris publici p. 147.

§. XCVI.

Legales Austregæ quibus competant?

Legales Austregæ, quando illegalibus opponuntur, illas denotant, quæ ob deficiens quoddam sui requisitum e. c. confirmationem Cæsaream, sunt invalidæ h. l. autem ubi legales conventionalibus opponimus, illas innuimus, quæ citra conventionem præviam ex lege sola competunt, atque alias ordinationis Reichs-Austräge vocantur. Vid. *Schilter* Inst. Jur. publ. L. 4. T. 7. §. 3. Nescio tamen, num recte huc trahat sententiam Cameralem d. 12. Oct. 1612. in causa Chur-Pfaltz contra Pfaltz Veldenz puncto Erbfoderung: daß diese Erbfoderungs-Sache vor die Reichs- und nicht Stamm-Austräge erster Instanz gehörig sey & num ne potius hæc sit mens sententiæ, causam non ad Austregas sed summa Imperii tribunalia in prima instantia pertinere. Concessum est hoc Austregarum legalium beneficium omnibus immediatis Imperii subditis (etiam nobilibus immediatis, qui conventionalibus carent. Ord. Cam. part. 2. tit. 3. solis civitatibus exceptis, quæ iisdem non regulariter, & ex generali privilegio gaudent, sed tunc demum, si speciali privilegio hoc ipsis indultum. Uxoribus Principum aliisque fœminis immediatis, Principibusque Apanagiatis Austregarum privilegium pariter competere videtur. Hos enim Ordinatio Cameralis innuit per vocem Fürstenmäßige. Dissentit *Titius* Specim. Jur. publ. L. 7. c. 3. §. 8.

§. 8. p. 700. aliique, qui Apanagiatos primogeniti ſubditos interſerunt, ibique eos primam inſtantiam ſortiri exinde concludunt. Capitulum ſede vacante Auſtregis frui vix poteſt, quia hoc privilegium perſonale, nec territorio cohæret. Conſentit præter *Gailium* & *Gylmannum Ludolf* de Jure Cameral. p. 40. Diſſentit *Coccejus* Jurispubl. prud. c. 32. §. 34. & de Auſtregis qu. 4. p. 24. & *Arumæus, Limnæus, Rumelinus, Schubartus* aliique *Coccejo* citati.

§. XCVII.

Iis, qui Auſtregarum privilegio gaudent, tunc demum illud competit, ſi a Germano ſive mediato ſive immediato conveniuntur, non ſi ab extraneo. Olim enim tunc demum competebat, ſi immediatus ab immediato conveniebatur, poſtea extenſum quoque ad caſum, ſi immediatus a mediato qui ipſius non eſt ſubditus conveniendus. Ord. Cam. de 1500. tit. 10. Hæc vero extenſio ulterius ad plane extraneos contra mentem & indolem privilegii non porrigenda. Vid. *Coccej.* de Auſtreg. §. 24. Diſſentit Rumelin. ad A. B. part. 2. diſſ. 1. th. 4. Ipſe Imperator immediatos coram Auſtregis convenit. *Coccej.* l. c. qu. 6. *quibus casibus.*

§. XCVIII

Cauſæ quæ ad Auſtregarum forum ſpectant, licet in Ord. Cam. part. 2. tit 4. generaliter determinentur per verba: warum oder aus was Urſach das wäre, pro ſubſtrata tamen materia ex ratione & fine introductarum Auſtregarum, ut ſcilicet duplici immediati pariter gaudeant inſtantia, ſolæ eſſe deprehenduntur cauſæ civiles litigioſæ & appellabiles. Quare ad Auſtregas haud pertinent 1) negotia voluntariæ jurisdictionis e. c. tutoris datio, inſinuatio teſtamenti &c. 2) quæ magis imperii ſunt, quam cognitionis judicialis, ut reſtitutio in integrum, relaxatio juramenti, immiſſio in bona it. cauſæ in quibus mandata ſine clauſula petuntur, quales ſunt α) notorie injuſtæ, ut pignorationum β) in quibus ſubeſt metus armorum, vel γ) alias periculum in mora vel δ) irreparabile damnum, tunc enim a præcepto ſeu executione inchoatur, quam Auſtregis non competere, mox dicetur. 3) ad Auſtregas haud pertinent cauſæ inappellabiles, quæve unica inſtantia terminantur, vel ſeparatum forum agnoſcunt, quales ſunt cauſæ re- *quibusve ex causis.*

 ligionis

ligionis, matrimoniales * criminales ** (excepta causâ spolii, quod non ad pacem publicam pertinet. Vid. Ord. Cam. part. 2. tit. 8.) feudales vid. §. 21. addunt nonnulli pupillares & viduarum, quia his supremam instantiam statim adire indulgetur. Reconventio coram Austregis regulariter quidem potest institui, exceptis casibus, quibus actor coram solis adversarii sui Consiliariis agere cogitur. Ord. Cam. part. 2. tit. 4. §. antepenult. Cum enim actor jam agere coram adversarii sui ministris cogatur, nimis grave esset, si etiam coram iis reçonveniri deberet. Conf. *Coccej.* de Austregis §. 13.

* Austregarum privilegium in causa dotalitii locum non habere tradit *Andler* L. 2. tit. 15. num. 17. & tit. 17. num. 19.

** In Austregis conventionalibus passim prostant exempla paciscentium etiam in criminalibus & feudalibus se Austregarum decisioni subjicientium. Sic in pactis Ganerbiorum de Geyso & Wechmar legitur, alle und jede Verbrechen unsers Burgfriedens, die von denen Herrn Ganerben entweder selbst, oder durch ihre Adeliche Familie, sie seyen civil oder criminal, sollen von denen Herrn Erkohrnen und Burg-Richtern untersucht, und nach deren Erfinden die Straffe erkannt werden. Pariter in pacto Ganerbiorum de Cronberg Austregarum cognitioni subjiciuntur die Streitigkeiten, sie möchten Leib, Ehr oder Guth, Lehen oder eigenes betreffen. Pacta Ganerbiorum de Thann disponunt: Schlüge unser einer den andern gar zu tod, der soll das Schloß zu der Thann von Stund an räumen, und sein lebenlang nicht mehr gen der Thann noch auf 3 Meil nahend kommen, er habe denn zuvor den Todschlag gebüsset, wie es die drey Erkohrnen erkennen. Pacta hæc Tannensia confirmavit Ferdinand. I. Imp. 1557. Leopoldus vero in confirmatione horum pactorum Tannensium 1694. clausulam addidit: dergestallt daß uns und unsern Nachfolgern am Reich Röm. Kaisern und Königen in puncto homicidii unter ihnen Ganerben ihren Erben und Nachkommen unser Kaiserl. Criminal-Jurisdiction vorbehalten seyn und bleiben soll. Vid. *Elias Frid. Heitmann* de Austregis conventionalibus Ganerbiorum Erford. 1728. §. 39. 40.

§. XCIX.

§. XCIX.

Modus Auſtregarum legalium hic eſt: *Primo* ſi Principes inter ſe agunt, actor literis intentionis capita inſinuat, quo facto reus intra quatuor ſeptimanas nominat quatuor Principes regentes, duos Seculares & duos Eccleſiaſticos ex diverſis familiis, ex quibus actor intra quatuor ſeptimanas unum ſibi judicem eligit, quo facto uterque intra quatuordecim dies electum implorat, qui ſuſcipere hanc commiſſionem tanquam Cæſaream tenetur, partes dato termino citat, cognitaque cauſa pronuntiat. Deficiente Principe Commiſſario alius ex tribus nominatis eligitur. Vid. Ord. Cam. part. 2. tit. 2. *Secundo* ſi Princeps agit contra immediatum non Principem vid. tit. 3. aut ſi *tertio* immediati non Principes agunt inter ſe, reus tres Principes regentes, utut ejusdem familiæ, modo non ultra 12 leucas ab actore diſſitos, nominat, ex quibus actor unum eligit, vel ſuæ conditionis Commiſſarium auf die Austräg * a Cæſare petit Ord. Cam. l. c. tit. 5. *Quarto* ſi immediatus non-Princeps agit contra Principem, octo modi ſunt præſcripti in Ord. Cam. part 2. tit. 4. *Modus procedendi.*

Nimirum optio agendi datur vel coram rei Conſiliariis intra menſem poſt factam ab actore denuntiationem a reo nominatis numero novem, vel ſi actor pauciores maluerit ſeptem vel quinque, partim nobilibus, partim literatis ad hanc litem juratis, reique ſumtibus conſtitutis, vel coram alio eoque vel Principe ex tribus a reo nominatis electo vel Commiſſario ab Imperatore impetrato. Tota vero lis intra ſex menſes vel ad ſummum intra annum terminari jubetur.

* Commiſſarius Cæſaris auf die Austräg differt a ſimplici ſive Aulico von Hof aus. In dubio poſterior petitus creditur.

§. C.

Executionem ſententiæ a ſe latæ Auſtregis non competere, certum eſt. Ord. Cam. part. 2. tit. 8. §. 8. 17. Quod autem tit. 4. §. 14. Auſtregis Executio primæ inſtantiæ tribuitur, non de ſententiæ, ſed proceſſus executione accipiendum. Vid. *Coccej.* diſſ. de notione & executione Auſtregar. Francof. ad Viadr. 1690. Executio ſententiæ Auſtregalis a Camera *Executio.*

Circuli Duci committitur. Unde *Coccejus* l. c. & de Auſtregis §. 7. aliique ulterius inferunt, nec jurisdictionem Auſtregis competere, ſed ſimplicem notionem & fruſtra proinde quæri, an earum jurisdictio ſit ordinaria an delegata, cum plane ſit nulla arg. L. ult. §. 1. de off. ej. cui &c. At contra nituntur alii, & jurisdictionem Auſtregis vindicantes illam nunc ordinariam dicunt, quæ ſententia eſt *Gailii*, *Mynſingeri*, *Paurmeiſteri*, *Piſtoris*, *Schulteſii*, *Berlichii*, *Rhetii* &c. nunc delegatam, quod mavult *Bocerus*, *Schraderus*, *Schubhardus*, *Rumelinus*, *Ludolfus* de Jure Cameral. p. 34. nunc anomalam, quod placet *Mevio & Textori*. Mihi jurisdictio ordinaria & delegata non ſatis accurate ſibi opponi videtur vid. Tit. 5. §. 121. Ordinariæ rectius opponitur extraordinaria, delegatæ autem propria. Ordinariam Auſtregarum jurisdictionem facilius dixerim, quam propriam. Interim tota controverſia in logomachiam abire videtur, prout jurisdictionis vox nunc latiori, nunc anguſtiori ſenſu accepta, exequendi facultatem nunc comprehendit, nunc vero excludit. De reliquo ſufficit noſſe, Auſtregas tribui ab ipſis legibus, utut mediante requiſitione, nominatione & electione partium, qua facta ipſæ leges jura Commiſſariorum Cæſareorum illis tribuunt, ita tamen ut mortuo Imperatore non expirent, ſed continuentur.

§. CI.

Ab Auſtregis ad ſumma tribunalia appellatur.

An ſententia Auſtregarum tum conventionalium, tum legalium (neque enim a conventionalibus ad legales provocatur, quoniam legales ſaltem deficientibus conventionalibus locum habent Ord. Cam. part. 2. tit. 2.) ad ſuprema Imperii tribunalia appellatur * Ante finitam vero Aſtregarum inſtantiam ſi partes cauſas eo ſpectantes ad ſumma tribunalia deferunt, hæc illas ad Auſtregas, niſi iisdem a partibus utrinque renuntietur, remittunt. Sic in Conſilio Imperatoris Aulico concluſum. In Sachen weyland Hrn. Hartmann Johanniter Ordens in Teutſchland Obriſten Meiſters Erben entgegen, und wieder Friedrichen von der Tann werden Klägere mit ihren unterm præſentato 15. Octob. nächſthin bey dem Kaiſerl. Reichs-Hof-Rath wieder ermelten Friedrichen von der Tann übergebenen Anbringen an die Tanniſche Erkohrne remittirt, und wird beneben beyden Theilen hiemit auferlegt, daß ſie dieſe Sache alldort innerhalb 3 Monathen

then, so ihnen dazu hiemit von Amtswegen bestimt und angesetzt werden, rechtl: reassumiren und afftersolgen sollen. Sign. Wien 4. Nov. 1660. Sic & 1718. causa Würtenberg Oels contra Würtenberg Stuckgard super successione in Weiltingen und Prenz, opposita exceptione fori declinatoria, a judicio Aulico ad forum Austregale d. 27. Sept. & 20. Dec. remissa, & Dux Saxo-Gothanus ut judex Austregalis electus, postea vero transactione lis sopita. Similia judicii Imperialis Aulici Conclusa, quibus supplicantes ad Austregas, fuere remissi extant in causa Reuters Wittib und Ottendorff contra den Bischoff zu Lübeck d. 27. Sept. 1712. item Manderscheid Blanckenheim conta Sayn Witgenstein puncto dotis 8 Jul. 1727. it. v. Elrichshausen contra Brandenburg Onolzbach debiti 3. Feb. 1730.

* In singulis causis quidem, non vero universim appellationibus renuntiari posse, dixi §. 93.

§. CII.

Plerumque Austregis renuntiatur

Interim cum Austregæ magnos sumtus requirant, & super ipsorum electione multæ difficultates suboriri soleant, & annale quod ipsis præfinitum est spatium breve nimis videatur, sponte a partibus iisdem plerumque renuntiari animadvertimus. Neque tamen ideo omnis ipsorum usus negatur, quippe qui non modo in eo se exerit, quod nova sic instantia reo indulgetur, sed & controversiæ breviter inter privatos parietes terminantur, nec familiæ arcana tam facile divulgantur. At rationibus utrinque probe subductis utilitas & emolumenta Austregarum ipsorum incommodis superari videntur, atque Austregis in genere applicari suo modo potest id, quod de conventionalibus scribit *Ludolf.* de Jure Cameral. p. 37. Earum illa esse potest utilitas, ut controversiæ finiantur brevius & expeditius. Sed si exempla spectamus, vix unum alterumve dabitur, ubi ad istam viam controversia fuerit deducta, ubi finita fere nullum. Ita dantur negotiis leges, & fiunt conventiones, sed difficultatibus orituris non occurritur, neque ut sunt humana ingenia, occurri potest satis. Leges sunt celeberrimæ, eventus minus solennis. Causa non obscura. Principes controversias aut amice componunt, aut mediis, quæ potentibus contra imbecilliores sunt in promtu jus suum obtinere satagunt. Privatus contra precibus & patronorum officiis sæpius plura obtinet, quam juris remediis.

§. CIII.

§. CIII.

Judicium Aulicum & Camerale.

Summa (vid. §. 89.) Imperii tribunalia ſunt judicium Aulicum & Camerale. Aulicum muneri & officio Imperatorio ſine dubio eſt coævum, ac olim per Palatinos exercitum, nec demum a Carolo V. conſtitutum, ut erronee putat *Hyppol. a Lapide* de Rat. Stat. L. 2. c. 5. Sect. 5. p. 392. aut a Ferdinando I. Imp. quæ ſententia eſt *Rhetii* Inſt. Jur publ. L. 4. T. 4. §. 1. utut hodiernæ quam hoc judicium habet faciei fundamenta jacta fuerint a Maximiliano I. 1512. in Comitiis Colon. ceu apparet ex Rec. Imp. dict. an. Olim illud vocabatur Camerale das Kaiſerl. Cammergerichte. Vid. *Datt* de pace publ. L. 4. c. 1. n. 19. quorſum pertinet, quod jam in Germanico Aureæ Bullæ textu tit. XI. §. 4. diu ante inſtitutum judicium Camerale mentio des Cammer-Richters injicitur. Ex quo vero auctis litibus ac controverſiis (cujus rei cauſa haud poſtrema in adſcitis juribus peregrinis reſidet) Maximilianus I. Imperator novum judicium, Camerale κατ' ἐξοχήν vocatum inſtituit, id nomen aulico judicio non amplius tribuitur, ſed potius judicium Camerale & aulicum, tanquam duo diverſa ſibi invicem contradiſtinguuntur. Præſidem & Aſſeſſores judicii Aulici ſolus Imperator conſtituit, ipſisque ſalarium præbet, ſolus quoque ordinationem hujus judicii præſcribit. Ultima eſt Ferdinandi III. de 1654. confirmata in Capitul. Carol. VI. art. 16. n. 6. Judicii Cameralis fundamenta jacta ſunt in Comitiis Noribergenſibus 1467. ipſa vero ejus conſtitutio facta in Comitiis Wormatienſibus 1495. Comitiali Statuum conſenſu, qui & Aſſeſſores hujus judicii ex ſingulis circulis præſentant, atque ad ejus ſuſtentationem quotannis aliquid conferunt. Unde judicium Aulicum a ſolo Imperatore, Camerale ab Imperatore & Imperio pendere, ejusque nomine jurisdictionem exercere vulgo perhibetur, utut haud adeo bene hæc ſibi opponantur, cum in effectu utraque judicia eadem auctoritate & nomine totius Imperii ſententias ferant.

§. CIV.

Cauſæ eo pertinentes.

Cauſæ ad hæc tribunalia vel in prima inſtantia per modum ſimplicis querelæ & cognitionis, vel in ſecunda per modum appellationis deferuntur, nec eadem præterire, iisve renuntiare eſt integrum Conf. Tit. 13. §. 365. Hinc pactum inter Boruſſorum Regem & Marchionem Culmbacenſem

censem super successione Byruthina de 1722. a Consilio Imperii Aulico ad petitionem Georgii Friderici Caroli & Albrechti Wolffgangi Marchionem Culmbacensium 1723. d. 3. Aug. confirmatum quidem est, exceptis tamen illis clausulis, so zu Abbruch der Kayserl. Autorität und Jurisdiction einverleibet, nemlich die Vorbeygehung J. K. M. bedungener Guarantie, Ausschliessung alles Recurses an die höchsten Reichs Gerichte, die den König in Preussen vorbehaltene eigenmächtige Possessions-Ergreiffung, oder daß dieselbe ins pactum de 1703. wieder eintretten 2c. als welche clausuln an sich null und nichtig. Kayserl. Maj. reserviren sich vielmehr wie des Recesses Confirmation so auch dessen Manutenenz, wollen jedoch dem König in casu non secuti implementi executive verhelffen. Sed quid si Imperator a summorum tribunalium jurisdictione quem eximeret. Meminit tale privilegium *Christian Valentin Happel* in diss. de Recursu ad S. Caes. Maj. vel Comitia Erford. 1702. quam *Ludolfus* subjunxit suae de Jure Camerali Commentationi App. 3. p. 99. daß er weder vor dem Kaiserl. Reichs-Hoff-Rath, Cammer-Gericht, noch einigen andern Gerichten, es wäre denn, daß er von Kayserl. Majestät besonders beruffen würde, zu stehen schuldig seyn solle.

§. CV.

Causae ex quibus in Camera etiam contra mediatos in prima instantia agitur, sunt fiscales, fractae pacis publicae & religiosae, denegatae aut protractae justitiae, aut si persona Cameralis, vel subditus mediatus a suo domino convenitur. Immediati in prima instantia conveniuntur in Camera, si inferiore instantia e. c. Austregarum non gaudent, in secunda, si subditi a dominorum sententiis ob gravamen 400 thl. superans appellant R. I. 1654. §. 112. Gaudent tamen nonnulli status jure de non appellando nunc illimitato, nunc ad certam summam, vel certas causas restricto. Dantur etiam causae, quarum cognitio ad Cameram plane non spectat, sed judicio Aulico est reservata, quales sunt causae feudorum Regalium*, causae Italicae, feloniorum, it. quae reservata Imperatoris concernunt, conf. tit. sq. §. 155. ut confirmationes privilegiorum, concessio veniae aetatis, famae restitutio it. causae criminales immediatorum. Vid. Reichs-Hoff-Raths Ordnung tit. 2. & Ord. Cam. part. 2. tit. 7. ** Conf. *Jo. Schulz Szulecki* diss. de Camera Imperiali cum judicio Aulico non concurrente Frf. ad Viad. 1706.

Causae in quibus Camera cum judicio Aulico non concurrit.

In reliquis causis Aulicum & Camerale judicium concurrentem jurisdictionem exercent. Vid. Reichs-Hof-Raths Ordnung tit. 2. ita ut præventioni locus sit, quæ respectu rei per citationem legitime insinuatam L. 7. Dig. de judic. Ord. Jud. Aul. tit. 2. §. So wollen respectu actoris per decretum, utut forsan appellationis rejectionem continens conf. Tit. 7. §. 199. Add. *Ludolf.* de Jur. Cameral. p. 418. litis pendentiam operatur *** ob quam sub pœna nullitatis **** & 10 Marcarum auri prohibetur aliud judicium adire R. I. 1654. §. 166.

* Utrum cognitio super Comitatu Imperii allodiali Consilio Imperii Aulico privative competat? disceptatum occasione Comitatus Tecklenburgici allodialis, cujus causæ cognitionem Borussiæ Rex Cameræ Imperii detulerat. Vid. *Anton Fabri* Staats-Canzley Tom. XLI. p. 667. it. Deductio Assessorum Cameræ d. 13. May 1702. ratione fundatæ Cameralis jurisdictionis Cæsari oblata & relata Elect. Jur. publ. T. 4. p. 10. Sedes materiæ est in Ord. Cam. part. 2. tit. 7. ubi a Cameræ jurisdictione excipiuntur Principatus & Comitatus, so vom Reich zu Lehn rühren, quam textum non restrictive accipiendum interserit judicium Aulicum.

** In causis mediatorum criminalibus nulla plane ad summa tribunalia datur appellatio R. J. 1530. §. Item als jetzt etl. Mirum videri posset, in civilibus causis appellari posse, in criminalibus autem, quæ tamen longe sunt graviores non item, sed e re civitatis est, crimina cito & pro arbitrio puniri, quam causas civiles dirimi. Vid. *Hugo* de Statu Region. Germ. c. 3. §. 42. In Camera excepto solo crimine fractæ pacis, nulla causa criminalis, neque per simplicis neque per appellationis viam, neque in prima neque in secunda instantia recipitur. Ord. Cam. part. 2. tit. 28. §. Nachdem auch. Cum in causa Lotichiana criminali Judicium Aulicum decerneret, Episcopus Augustanus in Comitiis desuper conquestus & 1714. decretum obtinuit de causa ad Episcopum remittenda. Si tamen status quidam contra juris ordinem procederet, mandatis potest constringi, ut ex legum præscripto judicet. It. si nulliter in criminalibus judicatum, querela

querela nullitatis in Camera recipitur, desuperque cognoscitur, ita tamen ut causa principalis ad judicem ordinarium remittatur. Vid. Ord. Cam. part. 2. tit. 28. §. Item nachdem.

*** Exceptioni litis pendentiæ contradistinguitur illa non-devolutionis, scil. in causis ad Cameram delatis, in quibus jurisdictio ipsius haud est fundata, cum qua confundenda non est exceptio desertionis, quæ appellationis formalia impugnat.

**** L. 4. §. 2. C. de in jus vocando eum, qui forum præventum negligit, etiamsi justam habeat actionem, causa cadere jubet.

§. CVI.

Privilegium electionis fori.

A regula, qua ob concurrentem judicii Aulici & Cameralis jurisdictionem actori vel appellanti liberum esse audivimus, alterutrum pro lubitu adire, datur exceptio in iis, qui vi privilegii fori electione gaudent. Concessum est tale privilegium Ducibus Brunsuico-Luneburgensibus 1648. Vid. Lunig im Reichs-Archiv part. spec. Sect. 4. §. 138. vi cujus ab actore compellati intra trimestre alterutrum forum eligere tenentur. & Sveciæ Regi ratione provinciarum Germanicarum in Instr. Pac. art. 10. §. 12.

§. CVII.

Recursus ad Comitia.

A sententia in judicio Aulico aut Camerali tanquam summis tribunalibus lata nulla datur appellatio ne quidem recursus ad Comitia, nisi super interpretanda lege Imperii dubium oriatur, aut Assessores Catholici & Protestantes in diversas sententias abeant. Inst. Pac. art. 5. §. 56. aut per latam Sententiam Imperii Constitutiones violasse accusentur, quorsum pertinet casus, si judicia hæc causarum ad se haud spectantium e. c. ob neglectam Austregarum instantiam, item in Ecclesiasticis aut mediatorum criminibus cognitionem sibi vindicant, quibus casibus recursus ad Comitia sumitur, qui alias non admittitur.

§. CVIII.

Recursus ad Comitia. Conferri meretur de recursu ad Comitia Instrum. Pac. Westph. art. 5. §. 56. Imo dantur, qui originem & fundamentum hujus recursus quærunt in hujus Pacis art. 8. §. 2. Gaudeant: qui tamen refelluntur eo, quod jam ante dictam pacem 1641. in causa die Hamburgische Acht betreffend ad Comitia fuit recursum.

Celebria inprimis sunt exempla sumti ad Comitia recursus:

in causa Erbmannorum Monasteriensium, ubi dubium super paritate votorum a Revisoribus latorum, vid. Tit. 13. §. 381.

in causa Lotichiana, de qua Tit. 4. §. 105. Not. 2. ubi Augustanus Episcopus conquerebatur de causa mediatorum criminali ad judicium Aulicum delata.

in causa Pöttingen contra Kirchberg vid. Tit. 4. §. 88. nec non

in causa Tecklenburgica Tit. 4. §. 105. Not. 1. super interpretatione Ordinationis Cameralis erat quæstio.

in causa Reinsteinensi Tit. 4. §. 88. item

in causa Fulda contra Eisenach die reluition der Aemter Lichtenberg und Saltzungen betreff. vid. dicta de pignore Tit. 4. §. 420 & 423. de interpretatione pacis Westphalicæ & Austregis denegatis agebatur.

in causa Winckelthaus contra Salm Tit. 13. §. 377. de dubio super Recessu Imperii erat quæstio. Addo causam.

Würzburg contra den Cammergerichts Assessor Wigand, quam nullo alio apparente remedio Herbipolensis Episcopus 1704. ad Comitia detulit felici satis successu.

§. LXIX.

Nam ubi de effectu sumti ad Comitia recursus quæritur, & num ille effectum suspensivum post se trahat? res inde pendere videtur, num Comitia

mitia in querela recurrentis gravamen commune agnoſcat nec ne? Priori caſu emanare Imperatoris nomine ſolet inhibitio ad tribunal gravans, & per hanc * ulterior proceſſus & executio ſiſtitur, ceu factum in cauſa Hamburgenſi, Lottichiana, Wigandiana & Erbmannorum Monaſterienſium. Poſteriori caſu denegatur recurſus, ceu factum 1716. cum in cauſa Firthenſi Marchio Anſpacenſis ad Comitia recurreret. item in cauſa Saxo Meinungenſi de qua dixi de Matrim. §. 355. Sic & cauſam Reinſteinenſem remiſſam audivimus Tit. 4. §. 88. In cauſa Pöttingenſi initio emanavit inhibitio ad Cameram, poſtea ipſa cauſa ad Cameram remiſſa. Pariter ab arbitrio Comitiorum pendebit, num neceſſarium judicent, ante decernendam inhibitionem requirere informationem a tribunali gravante. Quodſi enim manifeſto ſatis apparet, tribunal admiſiſſe aliquid, unde gravamen commune oriri queat e. c. judicaſſe in cauſa mediatorum criminali, denegaſſe Auſtregas in cauſa ad eas qualificata, tunc plane opus non erit informationem prius expectare. Quodſi vero ſuper tali facto dubium ſuperſit, æquum & neceſſarium eſt, ut tribunal prius audiatur, & factorum ſuorum rationem reddat.

* Apparet hinc inſignis differentia recurſus ad Comitia ab appellatione. Poſt appellationem interpoſitam & inſinuatam judex a quo ab ulteriori proceſſu abſtinere tenetur. At ſumto ad Comitia recurſu, ſumma tribunalia in ordine pergunt, donec inhibitio Imperatoris nomine fuerit inſinuata.

§. CX.

Appellationes ab Imperatore ad Imperii Ordines interpoſitas Mauritii Landgravii Haſſiæ 1613. Georgii Friderici Marchionis Badenſis 1622. Electoris Colonienſis Ferdinandi 1637. tanquam nullas rejectas, & Notarium, qui inſtrumentum appellationis in cauſa ultimi hujus conſcripſerat, ab officio per annum ſuſpenſum fuiſſe, ex actis Ludovicæ Julianæ Comitiſſæ a Sayn & Witgenſtein contra Electorem Colon. teſtatur *Schweder* Jur. publ. part. ſpec. Sect. I. c. XI. §. 5.

§. CX. b.

Multo minus a ſummis Imperii tribunalibus ad Pontificem Romanum,

ne quidem in Pontificiorum causis civilibus, appellatio permittitur, & si quando nuntii aut legati Pontificis easdem recipiunt, & desuper cognoscunt, id omne annullatur. Vid. Capitul. Caroli VI. art. 14. & Camera, non quidem contra Nuntium Pontificis, sed contra partem dat avocatoria, ac talem appellantem aliquando 1512. ob contemtam Cæsaris & Imperii jurisdictionem 100 marcis auri multavit. Jam Fridericus III. Imperator Episcopo Halberstadiensi a Cæsarea sententia ad Pontificem appellanti 1476. injunxit, intra 15 dies sub pœna privationis omnium Regalium ab appellatione desistere. *Schweder.* l. c. Add. *Struv.* Syntagm. Jur. publ. c. 26. §. 30.

§. CXI.

Ne tamen per summorum tribunalium sententias gravatis remedia deficiant, in Camera Revisionis, in judicio Aulico vero Supplicationis beneficium indulgetur. Instrum. Pac. art. 5. §. 55. Executio sententiarum a summis tribunalibus latarum circuli, sub quo status est situs, Ducibus committitur. Vid. Ordinatio Executionis in Comitiis Augustanis 1555. confecta.

TITULUS V.

DE

Jurisdictione.

* *
*

Jurisdicendi potestas vel dependens est vel independens. Dependens pro diverso respectu nunc propria nunc aliena, nunc ordinaria nunc

nunc extraordinaria. Ordinaria vel personalis vel patrimonialis, vel Ecclesiastica vel Secularis. Secularis vel civilis vel criminalis. Civilis vel voluntaria vel contentiosa. Contentiosa vel primæ vel ulterioris instantiæ. Inferiores instantias præterire licet in causis fiscalibus & personarum miserabilium, nec non præstito perhorrescentiæ juramento. Imperans quoque pro lubitu subditos ex inferioribus instantiis ad suum tribunal evocare poterit, nisi jure de non evocando gaudeant.

§. CXII.

Ostendimus in superioribus, posse Principem habere judicem, exposuimus quoque, quomodo ille constituatur, simulque instituta applicatione speciali vidimus, num & quem Imperator Imperiique status judicem agnoscant? Dispiciendum nunc venit, quæ, qualis & quanta judicis sit potestas judiciaria, quæ vulgo jurisdictionis nomine venire solet. Jurisdictio a jure dicendo dicta generali ambitu denotat facultatem statuendi id, quod ad jus & justitiam pertinet. At cum facultas illa diversimode nunc plena, nunc magis restricta concedatur, & acquiratur, facile apparet ex ipsa concessione ejus qualitatem & modum esse metiendum. *Jurisdictio quid?*

§. CXIII.

Aliquando sola & simplex causæ cognitio committitur, quod in Commissariis animadvertimus, qui saltem causam cognoscere, de eaque ad superiorem, qui desuper sententiam ferat, referre jubentur. At de his, *quotuplex?*

quod

quod jus dicant, aut jurisdictio ipsis competat, dici commode nequit. Conf. L. 5. Dig. de re judic. Plerumque Commissarii non quidem ipsam sententiam ferre, sed suum saltem de re judicium ihr Gutachten relationi annectere jubentur. Conf. Tit. 4. §. 84. Aliquando praeterea conceditur facultas ipsam sententiam ferendi, quae omnino jurisdictionis est species, ac Dicasteriis collegiisque Juridicis competit *. Sed & insuper exequendi facultas nonnunquam indulgetur. Atque in dubio jurisdictione, inprimis patrimoniali, simpliciter concessa, haec tria conjunctim, nimirum facultas causas cognoscendi, sententias ferendi easque exequendi concessa videtur. ** At Germaniae moribus invaluit, ut sub jurisdictione concessa adhuc praeter tria memorata, jura magistratus & politiae concessa intelligantur. Hinc iis, qui jurisdictione pollent, quoad illa, quae circa politiam disponunt, obsequium debetur ***. Omnium autem latissime jurisdictio pro ipsa summa in Republica potestate accipitur.

* Sic Austregis, judicio Imperii Aulico, & Camerali jus esse causas cognoscendi, sententiasque ferendi, non autem exequendi. Tit. praec. audivimus.

** Praefectis denen Amtleuten, jurisdictione concessa, sola causae cognitio & sententiae executio commissa censetur. Ipsam vero sententiam non ipsi ferunt, sed eam a Collegio Juridico petere tenentur.

*** Nonnunquam civitatibus jus politiae sine omni omnino jurisdictione competit, adeo ut tali magistratui ne quidem testamentum valide insinuetur, imo regulariter & in dubio civitatibus politia, non vero jurisdictio competere censetur. Vid. *Franckenstein* de locatione jurisdictionis §. 8. & 9.

§. CXIV.

vel dependens vel independens. Nobis h. l. jurisdictio non praecise pro ipsa summa potestate, sed in sensu magis communi ac frequenti accipitur pro facultate lites cognoscendi, sententias desuper pronuntiandi, easque exequendi, conjuncta cum quodam magistratus jure, vi cujus leges ad politiam spectantes ferre, facinorosos

rosos punire, actibusque privatis autoritatem interponere, seu eos confirmare licet. Summa ejus divisio est, qua alia dependens alia independens esse dicitur. Hæc vi summi imperii competit, illa ex concessione, alteriusque judicio subest. Ad neutram pertinet, sed plane nulla est jurisdictio, quæ a Regni usurpatore exercetur, adeo, ut omnis ejusdem vis ac justitia demum a subsecuta veri Regis ratihabitione arcenda videatur. Quorsum accipio illud *Grotii* de Jure Belli & Pacis L. 1. c. 4. §. 15. Dum possidet, scribentis, imperii invasor, actus imperii, quod exercet, vim habere possunt obligandi non ex ipsius jure, quod nullum est, sed ex eo, quod omnino probabile sit, eum, qui jus imperandi habet, sive is est populus, sive Rex, sive senatus, id malle, interim rata esse, quæ imperat, quam legibus judiciisque sublatis summam induci confusionem.

§. CXV.

An penes regni usurpatorem existit.

Displicet hæc Grotii doctrina *Coccejo* de regimine usurpatoris §. 52. hac potissimum ratione, quod talis præsumtio haud sufficiat ad jus usurpatori tribuendum. Sed neque hæc Grotii mens esse videtur, utpote qui per præsumtam ratihabitionem non jus usurpatori tribui, sed subditos saltem inter se & sui causa obligari ait. Suo facto usurpator se aliis obligat, non alios sibi. Majorem speciem præ se fert altera Cocceji ratio, quod scil. præsumta hæc veri Regis ratihabitio excludatur per declaratam contrariam ipsius voluntatem, nolle se rata esse, quæ usurpator imperat, quo posito sequeretur, subditos obtemperare usurpatoris præceptis non debere. At cum etiam invito vero Rege usurpatoris actus inter subditos effectum habeant, Coccejus ita rationes subducit, distinguendum esse jus ipsum imperii a possessione & exercitio juris, jus esse penes Regem ejectum, possessionem eique consequens administrandi jus penes usurpatorem, ita tamen ut eodem extincto actus medii temporis expirent, & tanquam ipso jure nulli nullam vim obligandi habeant.

§. CXVI.

Neg.

Mihi res ita se habere videtur. Habet usurpator solam Regni detentionem, jus nullum, nullam cum jure ullo conjunctam possessionem. Certe

te si quod ipsi ex possessione jus est, urgeri illud saltem contra tertium, non contra verum Regem Regnique membra potest. At si regnicolarum intuitu jus plane nullum habet, certe nec jus administrandi habebit, cui est consequens, omnia ipsius acta posse annullari & revocari. Interim cum nec usurpatoribus deesse soleant prætextus varii, si forte error a subditis circa usurpatorem, agnitamque ipsius potestatem est admissus, pro invincibili ille erit habendus, quia in statu tali turbido ad vivum omnia, præsertim a subditis atque privatis, resecari nequeunt. Quare actuum ab usurpatore susceptorum annullatio ita erit instituenda, ne subditi ex eadem damni quicquam patiantur. *

* Quæ aliis placent distinctiones rem vix conficiunt. Nonnulli in favorem usurpatorum & odium alterius facta rescindenda putant reliqua non item *Matth. de Afflict.* Decis. Neapol. 77. Alii acta publicum statum tangentia nulla perhibent, illa vero quæ partes litigantes privatosque non item *Ursell.* ad Matth. de Afflict. Decis. 77. n. 3.

§. CXVII.

Subditis tamen ab usurpatore acta non debent esse damnosa ob errorem invincibilem.

Hinc *primo* qui litem sub usurpatore inchoat, eodem ejecto in expensas tanquam temere litigans non erit condemnandus. *Secundo* dilatio termini probatorii vel solutionis, ab usurpatore concessa, prodesse omnino debet ei, qui illam impetravit, non quasi usurpator jus dilationem concedendi habuerit, sed quia impetrans ob errorem invincibilem in integrum restitui meretur. Accedit, quod tali casu ex parte Regis ejecti justitium extiterit, quo durante fatalia haud currunt. Si vero terminus dilationis ab usurpatore concessæ, post eum pulsum nondum expiravit, statim compelli potest impetrans. Sufficit enim eum ex annullatione actuum ab usurpatore susceptorum damnum nullum sentire, utut nec commodum inde capiat. *Tertio* sententiæ super litibus subditorum ab usurpatore latæ si justæ fuerint, non ex se, sed ex veri Regis ratihabitione erunt validæ. Sin injustæ, in rem judicatam haud transeunt, & tanquam nullitate laborantes quovis tempore (dummodo res sit integra nec executio jam secuta) a vero Rege poterunt rescindi. Sed fac usurpatorem debitorem condemnasse, (juste an injuste hactenus non refert), pecuniam vero creditori debitam atque

in

in judicio solutam secum abstulisse, numne de novo debitor poterit conveniri a creditore? Putarem quod non. Recte enim debitor usurpatori solvit, quippe quem eo magis pro imperante agnoscere potuit, quo minus ipsi auxilium a vero Rege contra usurpatoris in jus vocationem est præstitum. Si tamen culpa & mora debitoris invasionem præcessit, facilius creditori nova indulgebitur actio. Vide memorabilem talem casum apud *Matth.* de *Afflict.* Decis. Neapol. 150. n. 127. Pariter *quarto* si usurpator injuste a se incarceratum cogit ad rem quandam vendendam, pecuniaque inde redacta se redimendum, quæritur num ejecto usurpatore rem venditam vindicare possit ab emtore? Affirmat *Cæs. Ursell.* ad Matth. de Afflict. Dec. 149. & *Coccej.* de Regim. usurp. §. 60. n. 3. quod metu facta rescindi debeant. At mihi contrarium verius videtur. Quamvis enim usurpatoris acta possint rescindi, non tamen poterunt ipsius venditoris, qui in venditionem consensit, nec metus exceptionem opponere potest emtori, tanquam tertio innocenti, quod ni admitteremus, nulli in posterum invenirentur emtores talium bonorum, & deficeret ejusmodi captivis medium ex carceris squalore se liberandi. Denique *quinto* debita publica (e. c. contributiones) ab usurpatore semel exacta a vero Rege denuo exigi nequeunt. Vid. de pactis L. 1. T. 14. §. 404. Magis dubia res erit, si debitor antea in mora extitit, quia tunc culpa ipsius præcessit. Sed & tunc afflictis afflictionem addere, si non injustum certe durum & iniquum erit.

§. CXVIII.

Ex capite prudentiæ optime agit Princeps, qui acta ab usurpatore, in quantum fieri sine status publici & subditorum læsione potest, sponte sustinet ac rata habet, causas etiam ab usurpatore inter subditos judicatas, ni manifesta apparet injustitia, simpliciter confirmat, quia rescissiones & annullationes, novæque inquisitiones cum innumeris incommodis & tricis solent esse conjunctæ. Conf. de pactis L. 1. T. 3. §. 121.

Prudenter usurpatoris acta sustinentur.

§. CXIX.

Redeamus in viam, unde occasione jurisdictionis independentis tantisper eramus digressi. Dependens jurisdictio jure concessionis a superiore factæ competit. Mallent quidem alii jurisdictionis præsertim patrimo-

Dependens jurisdictio

 nialis

a superiore conceditur. nialis originem repetere a jure dominii, seu rectura rusticorum vel hominum propriorum. Vid. *Schilter* ad Dig. Exerc. 6. §. 23. *Thomas.* Annot. ad Tit Dig. de Jurisdict. *Beyer.* Jur. Germ. L. 1. c. 4. Jam dum *Tacitus* de German. Morib. c. 25. scribit: Servis non in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur. Suam quisque sedem, suos pennates *regit.* Sed mox subjungit: verberare servum ac vinculis & opere coercere rarum. Occidere solent non *disciplina* & securitate, sed impetu & ira ut *inimicum* nisi quod impune. Unde facile patet occidendi impunitatem ex laxiore familiarum segregum nexu esse arcendam, ipsum vero, de quo sermo est, regimen privatum saltem fuisse, solam familiam respexisse, in sola potestate liticulas domesticas componendi, & modica domesticorum coercitione consistens, quale cuicunque infimæ etiam sortis patrifamilias competit, cui propterea jurisdictionem nemo facile vindicabit. At cum indoles jurisdictionis §. 114. descriptæ civilem quandam potestatem involvat, hæc vero ad imperantem spectet, quoties quædam ejus particula penes alium existit, eam ab imperante promanare, atque concessam esse tuto colligitur.

§. CXX.

vel quoad proprietatem vel quoad exercitium. Conceditur ab imperante jurisdictio vel quoad ipsam proprietatem, vel quoad solum ejus exercitium. Unde ratione proprietatis & modi habendi jurisdictio est vel propria vel aliena, prout dominus jurisdictionis illam vel ipse exercet, vel alii exercendum mandat & delegat. Propria pro lubitu mandatur & delegatur *, aliena subdelegari regulariter nequit, ob electam scilicet mandatarii industriam specialem, adeo ut verissimum hoc sit, etiamsi in L. 5. Dig. de officio ejus cui mandata est jurisdictio & L. 5. Dig. de jurisdict. non extaret. Magistratus populi Romani suo jure jus dicebant L. 5. & 16. Dig. de Jurisdict. & propriam jurisdictionem exercebant. L. 4. Dig. de off. ejus cui mandata est jurisdict. Hinc & aliis jurisdictionem mandabant **, ut Proconsul legato suo (qui una cum Proconsule in provinciam mittebatur, nec propriam jurisdictionem habebat, *nisi* a Proconsule ei ipsa fuit mandata L. 13. Dig. de Off. Proconf.) & reliqui magistratus mandatariis jurisdictionis, qui mandatarii ipsam quidem mandatam sibi jurisdictionem alii mandare iterum non poterant, quia non ipsorum erat propria, judicem tamen dare, quia judicis datio erat pars jurisdictio-

dictionis L. 1. Dig. de Jurisdict. jurisdictione igitur data, potestas judicem dandi etiam data intelligebatur. Sed cum hic procedendi modus cum forma Reipublicæ & judiciorum Romanorum dudum exoleverit, applicari ille ad hodiernos judices, præfectos, aut Commissarios nequit. Sed hodie is, qui jurisdictionem proprio jure habet, eam alii quidem mandare potest, at qui alieno, regulariter eam mandare nequit ***, sed tunc demum, si mandandi & subdelegandi potestatem accepit ****, quod factum intelligitur, quoties universitas, civitas, collegium quoddam vel Princeps Conciliariis instructus Commissarii loco nominatur. Nam universitatis membra singula conjunctim non sine difficultate commissione defungerentur, quare id actum videtur, ut ex membris suis quædam negotio delegent. Pariter in Principe Commissario non tam personalis dignitatis, & industriæ, sed ministerii potissimum ratio habita censetur. Denique delegatis Papalibus delegandi potestas indulgetur cap. 6. X. de off. & pot. jud. deleg. tum ob dignitatem, qua delegati Papales gaudent, tum ne referendo ad Curiam Romanam negotia nimium protraherentur. Cumque delegatis Papalibus non modo facultas decidendi, sed & exequendi committeretur, mirandum non est, si & illa delegandi addita. Aliis vero Principum Commissariis & exequendi & delegandi potestas rarius indulgetur. Judicium non tam personæ quam dignitatis & officii intuitu delegatum ad successorem ipso jure transit. Conf. cap. 14. X. de off. & pot. jud. deleg. Austregis vero personæ intuitu judicium delegari, & cum ipsarum persona expirare, audivimus Tit. 4. §. 33. Morte delegantis officium delegati expirat. Mandatarius vero jurisdictionis jure Romano & delegati jure Canonico post cœptum negotium i. e. citationem emissam officium non obstante delegantis morte continuant. L. 6. Dig. de jurisdict. cap. 20. & 30. X. de off. jud. deleg.

* Tum ab ipso Principe, tum ab alio, qui forte propriam jurisdictionem habet. Romanis peculiare, quod apud eos saltem a magistratibus jurisdictio mandari dicatur, a Principe non item L. 1. pr. de off. ej. cui mandata est jurisdict. adeo ut judex mandatarius Principis sit paradoxon juris Romani. Vid. *Thomas.* Not. ad Dig. tit. de Jurisdict. At mandatarius, cui magistratus jurisdictionem mandaverat, & judicium dabat, quod ab hodierno procedendi modo alienum, & exequendi potestate regulariter

gaudebat L. 5. in fin. Dig. de off. ej. cui mand. jurisd. Hodiernis vero jurisdictionis mandatariis exequendi facultas tum demum competit, ubi diserte concessa.

** Si vero ipsis præter propriam, quam habebant, alia adhuc jurisdictio a Principe vel lege committebatur, hanc mandare non poterant L. 1. pr. de off. ejus cui mandata jurisdict.

*** Moribus tamen invaluit, ut Præfecti suis Actuariis non quidem munus totum, & causas integras, sed actus quosdam singulares mandent, quoniam alias causæ vel protraherentur nimium, vel plane non expedirentur.

**** Nec obstat L. 5. C. de judiciis, ubi judici a Principe dato delegandi facultas simpliciter tribuitur. Add. Tit. Cod. qui pro sua jurisdictione judices dare darive possunt. Nam judices a Principe olim dati Assessoribus & Consiliariis vid. Nov. 60. c. 2. imo & executoribus ad executionem erant instructi. Vid. *Cujac.* L. 12. Obs. 1. adeoque loco magistratuum erant, quibus apud Romanos tum exequendi tum delegandi potestas competebat, quod secus se habet in nostris judicibus & Commissariis Principum, quibus *Carpzovius*, *Zieglerus*, *Stryckius* &c. frustra subdelegandi facultatem tribuunt, solide refutati a *Jo. Balthas. Wernhero* de Commissariorum a Principe datorum potestate subdelegandi Viteb. 1724.

§. CXXI.

vel ordinaria vel extraordinaria.

Ratione objecti & pro diversa ejus quantitate, prout nunc causarum universitas, nunc singulæ causæ judicandæ conceduntur, jurisdictio est vel ordinaria vel extraordinaria. Ordinaria dicitur, quando alicui universitas causarum est commissa, extraordinaria, quando quis ad certam saltem causam judicandam denominatur, quod in Commissariis cernitur, quibus nunc major nunc minor potestas, nunc sola causæ cognitio, nunc ejus quoque decisio, rarius latæ sententiæ executio simul committitur *. Sua sponte autem intelligitur, dictam jurisdictionis distinctionem in ordinariam & extraor-

traordinariam immane quantum differre ab illa juris Romani, dum *extra ordinem* prætores & præsides jus dicere seu cognoscere dicebantur, quamvis ipsorum jurisdictioni causarum universitas subesset, *ordinario* autem jure coram judice pedaneo ** singulis facti quæstionibus a prætore dato disceptabatur ***. Neque accurate satis ab aliis (vid. Tit. 4. §. 100.) jurisdictio ordinaria vocatur propria, extraordinaria vero aliena sive mandata & delegata, quod vel solo Justitiariorum & Præfectorum, derer Amt-Leute und Gerichts-Verwalter, exemplo patet, quippe quorum jurisdictio quidem est ordinaria, committitur enim ipsis causarum universitas, imo haud raro civilis & criminalis jurisdictio simul, & tamen non est propria sed aliena. Sic & Austregarum jurisdictionem ordinariam esse, non tamen propriam, sed delegatam diximus Tit. 4. §. 100. De ordinaria jurisdictione, quatenus prorogatæ opponitur vid. §. 137.

* Dici non potest, quanta juris & justitiæ confusio & instantiarum multiplicatio oriatur, si ab ordinario judice ad delegatum causæ deferantur. Actus quidam judiciarii recte per Commissarios expediuntur, atque ut id fiat, utile est, sed integrarum causarum delegatio frequentior, ubi bene constituta est res judiciaria, locum habere non debet. Principes delegando causas & ordinaria judicia impediendo non partibus, sed Commissariis gratiam faciunt, verba sunt *Ludolfi* de jure Camerali p. 13.

** Ita dicto, quod vel ad pedes magistratus, vel in subpedaneis & minoribus subselliis sederet. Vid. *A Gell.* Noct. Attic. L. 14. c. 2.

*** Scilicet apud Romanos Prætor quæstiones *facti* jure *ordinario* dato judice finiri decernebat, quæstiones juris sua cognitione dignabatur, ob favorem vero personarum (quales erant Rhetores, Geometræ, Medici, Advocati, obstetrices, nutrices) in facti quæstionibus ipse cognoscebat; quod *extra ordinem* fieri dicebatur. Vid. Tit. Dig. de Extraord. cognit.

§. CXXII.

Ordinaria jurisdictio subdividitur ratione subjecti in personalem & realem seu patrimonialem, hæc rei, prædio, patrimonio, illa personæ cohæret. *Ordinaria vel*

personalis est vel realis seu patrimonialis. hæret. Ad personalem illam Præfectorum refero, illa vero civitatum ad patrimonialem propius accedit. Personalis vel perpetua est, ad vitæ dies durans vel temporaria. Patrimonialis cum rei cohæreat, ad quosvis ejus possessores transit, adeoque penes pupillos fœminas &c. potest existere, utut hæ alias ab officiis civilibus vel publicis arceantur, nec judices esse possint, nec magistratum gerere L. 2. Dig. de R. I.

§. CXXIII.

vel Secularis vel Ecclesiastica. Ratione objecti ordinaria jurisdictio est vel Ecclesiastica vel Secularis. Ecclesiastica circa religionem & Ecclesiam versatur. Ipsa quidem religio quatenus cultu interno consistit, nec parentium nec imperantium ordinem, vim nullam externam, jurisdictionem nullam requirit, nec subjici eidem potest, quia animi emendatio, quam pro fine religio agnoscit, nec obtineri nec impediri per vim potest. At ubi ab illo fine deflectitur, animique depravantur magis, quam emendantur, summæ in Republ. potestatis est præcavere, ne detrimenti quicquam inde capiat Respublica. Unde oritur jurisdictio Ecclesiastica seu potestas imperantis circa cultum externum, quæ a Majestate non est distincta, sed tanquam pars sub eadem comprehenditur, & antiquitus cum jurisdictione Seculari in capite Reipublicæ semper fuit conjuncta. Conf. Levit. VI. 9. 1. Reg. II. 27. 1. Chron. XXIV. 2. Joan. XIX. 11.

§. CXXIV.

Ecclesiasticam Pontifices sibi arrogarunt. Postea Pontifex Romanus plurimis persuasit, Ecclesiam & Rempublicam societates esse plane diversas, quæ suapte sua natura capita diversa requirant, tam felici quidem successu, ut plerique Reges Christiani ecclesiæ rerumque ecclesiasticarum regimen ac jurisdictionem Pontifici sponte reliquerint, quo facto hic fines potestatis suæ indies magis magisque auxit & amplificavit, ac sub qualitatis spiritualis obtentu causas matrimoniales vid. Tit. 4. §. 1. sqq. decimarum cap. 9. X. de rer. permut. c. 17. X. de decimis, contractus juratos c. fin. de for. compet. in 6. & quævis Clericorum delicta Authent. Statuimus C. de Episcopis ad Ecclesiasticum suum forum pertraxit.

§. CXXV.

§. CXXV.

Protestantes vero, secessione facta, hoc jugum Papale excusserunt, & specialim in Germania per leges fundamentales, puta pacem Religiosam, & Westphalicam de suspensa in caussis suis Ecclesiasticis Pontificis Romani potestate sibi prospexerunt, cui est consequens, illas etiam caussas, quæ non in se, sed ex sola hypothesi Pontificia sunt Ecclesiasticæ, soli Principum Protestantium jurisdictioni subesse, & neque ad Pontificem neque ad summa Imperii tribunalia, utpote Pontificia Sacra maximam partem sequentia deferri debere. Vid. tamen *Ludolf.* de Jur. Cameral. p. 219. sqq. qui & p. 226. Helmondium Pastorem Wetzlariensem ab officio depositum per sententiam Cameralem restitutum testatur. Sed neque a subditis declinari Principum Protestantium jurisdictio Ecclesiastica poterit, sub prætextu suspensæ Pontificis in caussis Protestantium Ecclesiasticis potestatis, non magis, ac discipulis feriæ nullæ conceduntur, licet pædagogus ab officio suspendatur, ceu lepide observat *Titius* Specim. Jur. publ. p. 337. Poterunt autem Principes jurisdictionem hanc Ecclesiasticam tum ipsi exercere, tum aliis committere.

facta tamen a protestantib. secessione

§. CXXVI.

Secularis jurisdictio, quæ circa negotia secularia versatur, pro diversa reorum qualitate alia civilis est, quæ in homines togatos, alia militaris, quæ in sagatos, alia feudalis, quæ in Vasallos exercetur, alia denique mixta e. c. quando de duobus delinquentibus correis, sagato uno, altero togato, da einer vom Civil, der andre vom Militair Stand, judicium ex civili & militari mixtum, assumtis utriusque ordinis assessoribus constituitur, quo casu lædentis magistratus directorium gerere solet.

Secularis est vel civilis vel militaris

CXXVII.

Ratione modi jurisdictio Secularis vel cumulative vel privative conceditur. Priori casu is, qui illam concedit, vel præveniendo * vel avocando caussarum cognitionem ad se trahere potest, posteriori non item. Sed quid in dubio actum intelligetur? Præfecti qui solo administratorio nomine jurisdictionem exercent, privative eam prætendere vix possunt, nisi

vel cumulative vel privative concessa.

locata ipsis ad certum tempus sit. At patrimonialis jurisdictio privative quidem, dependenter tamen, & salva appellationis instantia concessa videtur, quia alias omne negotium inane & inutile posset reddi, quod contra primam concedentis intentionem foret. Praxis Imperii nostri antiqua pariter ac moderna dictis lucem affundit. Olim enim cum Imperii Principes meri officiales essent, Imperatore præsente ipsorum jurisdictio, tanquam mere administratoria, cessabat Land-R. L. 3. art. 60. ibi: in welch Land der Kayser kommt, da ist ihm ledig das Gericht. At ex quo superioritatem territorialem Principes proprio nomine tenent, secus se res habet.

* Conf. Tit. 4. §. 105.

§. CXXVIII.

vel civilis vel criminalis. Pro diversa causarum qualitate jurisdictio secularis * alia est criminalis, quando de criminibus judicatur, alia civilis, quando de causis privatum singulorum interesse concernentibus. Criminalis alio nomine alta, seu superior, Ober oder Halßgerichten, Malefiz Obrigkeit, Fraisch-Gerichte, Centgerichte, Blutbann it. Richt und Ungericht i. e. die Gerichte über das Unrecht oder Verbrechen vocatur, civilis vero bassa seu inferior Erb- Nieder- oder Unter-Gerichte, Vogteyligkeit. Quæ locutiones in se spectatæ ferri quidem possent, at Germanorum moribus ad jurisdictionem superiorem sola atrociora delicta, quarum pœna est corporis afflictiva, wenns an Haut und Haar geht, referuntur, ad inferiorem vero præter causas civiles & pecuniarias etiam crimina leviora, so lang es nicht zu offenen Wunden kommt, eorumque pœnæ carcer, & mulctæ. Quare huic Germanorum distinctioni in jurisdictionem superiorem & inferiorem non satis accurate respondet, nec proinde commode applicatur illa in criminalem & civilem, aut Romana illa in merum & mixtum imperium, quæ ut rite intelligatur, penitius in imperii significationem inquisivisse juvabit.

* Divisio jurisdictionis in criminalem & civilem, superiorem & inferiorem est subdivisio jurisdictionis secularis, adeoque incongrue ad Ecclesiasticam applicatur, quando dicitur Consistoriis solam inferiorem jurisdictionem competere. Nam quæ Consi-

storiis

ſtoriis jurisdictio competit, nec ſuperior, nec inferior, nec criminalis, nec civilis eſt, ſed Eccleſiaſtica Vid. tamen *Carpzov.* Jurisprud. Eccleſ. L. 3. def. 5. n. 7. Interim jurisdictio criminalis a qualitate Clericali ſuapte natura haud abhorret, ut exerceri a Clerico nequeat, ſed ſingulare eſt, quod jure Canonico Clerici ſanguinis judicio aſſiſtere prohibentur cap. 5. & 9. X. de Cler. vel Monach. Cumque Clerici Clericorum cauſas judicarent, hinc factum eſt, ut ne quidem in graviſſimis delictis capitis ſententia ipſis fuerit irrogata, ſed ſola degradatio.

§. CXXIX.

Cui diſtinctioni illa in merum & mixtum imperium

Romani imperium nunc late nunc ſtricte magis accipiebant. Late pro quavis jubendi poteſtate, quo ſenſu patria poteſtas imperium paternum, & Principis poteſtas ſummum imperium appellatur. Stricte imperium Romanis accipitur pro poteſtate animadvertendi in facinoroſos L. 3. Dig. de jurisdict. & tunc imperio opponitur jurisdictio L. 4. eod. ſeu poteſtas privatorum lites dirimendi. Sicut & ſententia, utpote ad jurisdictionem ſpectans, & juſſus, ad imperium pertinens, ſibi contradiſtinguuntur L. 14. Dig. de re jud. Jurisdictio quidem ſine omni omnino imperio eſſe nequit, quia jurisdictio ſine modica coercitione nulla eſt L. 5. Dig. de officio ejus cui mandata eſt jurisdictio. At imperium ſeu facinoroſos puniendi poteſtas nunc ſola exiſtere, nunc cum jurisdictione ſeu lites dirimendi poteſtate poteſt eſſe conjuncta. Sic Conſules, quæſtores in urbe & præfecti urbi jurisdictionis erant expertes, & de delictis ſaltem judicabant, econtra Prætores etiam in poſſeſſionem mittebant, qui actus tum jubendi tum lites dirimendi poteſtatem involvebant L. 3. & 4. Dig. de jurisdict. Quodſi itaque imperium purum, ſolum, citra jurisdictionem competit, merum* illud audit, ubi autem pars imperii cum jurisdictione eſt conjuncta, ſeu ut loquitur JCtus, ubi ſimul jurisdictio imperio ineſt, mixtum appellatur L. 3. Dig. de Jurisdictione.

* Merum imperium a ſummo differre facile intelligitur. Summum eſt independens, merum vero dependens.

§. CXXX.

non exacte respondet

Merum igitur imperium ad publica judicia, mixtum ad negotia privatorum pertinet, adeoque merum imperium jurisdictioni criminali, mixtum civili respondet. At superior jurisdictio criminali seu mero imperio non exacte respondet, quia non omnia, sed atrociora sola crimina superiori jurisdictioni subsunt, ad criminalem contra jurisdictionem in se spectatam omnia crimina pertinent. Nec inferior jurisdictio civili seu mixto imperio ex asse respondet. Nam leviora crimina inferioris quidem jurisdictionis sunt, non autem mixti imperii, quippe cui nulla crimina subsunt, sed solæ causæ civiles. Ex neglecto hoc discrimine incongrua & inconcinna paradoxa nonnulli effinxerunt e. c. *Carpzovius* crimina mixti imperii, cum tamen nulla crimina ad mixtum imperium pertinere ex dictis appareat; *Struckius* jurisdictionem criminalem absque mero imperio, cum tamen merum imperium in ipsa jurisdictione criminali consistat. Alius quidam JCtis Francofurtensibus quæstionem Domitianam proposuit: wenn einem nur blos die Untergerichte zuständig, wie weit derselbe in criminalibus sive delictis de jure *communi* Cæsareo cognosciren könne? At juri communi Romano jurisdictio inferior, quæ leviorum criminum cognitionem continet, plane ignoratur. Ad mixtum vero juris Romani imperium nulla prorsus delictorum cognitio pertinet. Conf. *Gebauer* de Jurisdictione c. 2. §. 3.

§. CXXXI.

in dubio qualis jurisdictio concessa

Jurisdictione simpliciter concessa, num in dubio criminalis an civilis, superior an inferior concessa sit? proponitur. Mihi ipsa negotii indoles restrictivam interpretationem postulare videtur, sicut & in dubio saltem jurisdictio intra pagum die Pfal und Zaun-Gericht, non vero extra eundem die Straffen und Feld-Gericht concessa creditur. Sane omnimodam & plenariam jurisdictionem concessam wenn alle und jede Gerichten, die völlige Jurisdiction verliehen: superiorem & inferiorem comprehendere, certum.

§. CXXXII.

Civilis est vel vo-

Jurisdictio civilis, quæ vulgo inferior vocatur, alia voluntaria est, alia contentiosa. Contentiosa in litigantes utut nolentes, lites eorum dirimendo,

mendo, voluntaria saltem in volentes exercetur autoritatem privatis ipsorum negotiis interponendo,* talia sunt adoptiones, emancipationes, donationes, testamenta &c. Conf. L. 2. Dig. de Offic. Proconsulis.** Neque tamen, quæ de actibus voluntariæ jurisdictionis jus Romanum tradit, indistincte Germaniæ nostræ sunt applicanda, quippe quæ peregrinum Romanorum jus in subsidium quidem recepit, suos tamen propterea mores, jura sua pristina non migravit. His autem cum adoptiones, emancipationes, & donationes coram competenti judice peragi jubeantur, seu suis locis fuit monitum, frustra extraneus aut incompetens adiretur. Accedit, aliam esse nostræ, & aliam fuisse Romanæ Reipublicæ rationem. Ignorabant Romani jurisdictionem patrimonialem, quæ apud nos est frequentissima, subditisque impedimento est, quo minus extra jurisdictionis fines negotia sua proferre valeant. Pariter sicut testamentorum extraneo oblatorum valor declarata desuper imperantis voluntate nunc sustineri nunc infringi potest, ita usu moderno ad testamentum insinuandum non modo aliena jurisdictio intra idem territorium, sed & alieni plane territorii judex vel dominus potest adiri, imo ejus rei causa judex extraneus alienam jurisdictionem, imo alienum territorium intrare passim sinitur. Ut vero litium præscindendarum causa donationes pariter ac testamenta similesve actus voluntariæ jurisdictionis indistincte coram ordinario & competente judice, atque in proprio jurisdictionis loco expediri jubeantur, pia jam dum & saluberrima JCtorum sagaciorum fuere desideria.

luntaria vel contentiosa

* Alii discrimen actuum voluntariæ & contentiosæ jurisdictionis in eo ponunt, quod hi causæ cognitionem requirant, illi non item. Sic tutoris datio, unio prolium, alienatio prædii ad minorennem spectantis, hypothecæ constitutio causæ cognitionem requirit, emancipatio, testamenti insinuatio &c. non item.

** Olim ex lege Constantini omnes donationes coram judice competente fiebant L. 3. Cod. Theod. de donat. postea in urbe Roma conscriptæ donationes rerum ubicunque positarum apud magistratum census insinuari debebant, in aliis vero civitatibus donationes voluntariæ erant jurisdictionis L. 30. C. de donat. Testamenta olim non fuisse voluntariæ jurisdictionis colligi posset ex

L. 18. & 23. C. de testament. Præpostera tamen Legis 19. eod. interpretatione factum est, ut testamenta voluntariæ jurisdictionis esse reputentur. Hæc tamen interpretatio, utut in se erronea, cum consuetudine & praxi quotidiana firmetur, ex jure consuetudinis omnino vim ac robur accepit, adeo ut valida quoque reputentur testamenta oblata deputatis a judice extraneo ad testatoris requisitionem missis.

§. CXXXIII.

Contentiosa ad judicem competentem spectat rei sitæ, domicilii contractus delicti

Contentiosa jurisdictio eo ipso, quod in nolentes exercetur, vim quandam & potestatem supponit, & proinde ad solum competentem judicem spectat. Hæc judicis competentia in ipso imperii & subjectionis nexu fundamentum habet. Hinc cum non modo bona, sed & personæ subditorum Principis imperio subsint, oritur & forum rei sitæ & forum domicilii. Porro cum & privati extranei (in Principibus extraneis rem aliter se habere dixi Tit. 2. §. 46) transeuntes vel litigantes pro subditis temporaneis habeantur, oritur exinde forum competens tum intuitu contractus celebrati, tum intuitu delicti admissi tum intuitu continentiæ causarum. Ex contractu competens est judex loci, tum ubi contractum, tum ubi solutio facienda *, NB. si reus ibidem deprehendatur, nam alias ratio allegata, nimirum subjectio temporanea cessat, & injuria inferretur ei, e cujus territorio reus foret evocandus. Ex delicto forum competens sortitur delinquens in loco ubi deprehenditur. Nam foro ubi deliquit illud deprehensionis ideo merito præfertur, quia delinquentem actu possidet, quod & iis in locis, ubi contrarium pacto non introductum, praxis hodierna servat, utut olim apud Romanos remissiones delinquentium necessitatis fuerint. Nov. 134. c. 5. L. 7. fin. Dig. de accus. Ad confrontationem tamen, item si post sententiam condemnatoriam reus aufugit, ejus remissio denegari non solet. Etiamsi vero delinquens in loco deprehensionis judicetur, sententia tamen & pœna attemperanda legibus, quæ in loco & tempore commissi delicti obtinuere, quia per delicti commissionem debitum contrahitur.

* Solutio & in locum incertum & ubicunque debitor deprehendetur, potest conferri. Quorsum spectat clausula literarum cambialium:

bialium: Acceptirt an mich, wo ich werde anzutreffen seyn. Item illa contractibus passim inseri solita: debitor gebe seinem Creditori hiemit freye Macht und Gewalt, ihn an allen Orten und Enden, wo er ihn zuerst antreffen möchte, zu belangen: massen er sich dieser Post halber eines jeden Richters Jurisdiction wolle unterwürffig gemacht, und sich seines ordentlichen fori hiemit per expressum begeben haben.

§. CXXXIV.

Causarum continentia fori competentiam ideo operatur, quia is, qui ratione totius litis est judex competens, talis etiam intuitu partis censetur. Hinc petitorium instituitur ibi ubi possessorium L. 10. C. de judiciis: reconventio ubi ipsa conventio. Sportulas procurator exigit ibi, ubi causam oravit, quia judex ille facilius longe de iis cognoscere potest, quam quivis alius. Eandem ob rationem de gesta administratione agitur in loco, ubi gesta L. 2. C. ubi de ratiociniis. Adversus plures personas vel res diversæ jurisdictionis apud omnium proxime superiorem agitur L. 1. & 2. Dig. de quibus rebus ad eundem judicem eatur. Rec. Deput. 1600. §. 140. *ex continentia causæ*

§. CXXXV.

Causæ tamen, quæ sua natura a judicis cujusdam foro sunt alienæ, eo trahi nequeunt sub obtentu causarum continentiæ. Hinc continentia causæ ultra territorium jus dicentis extendi nequit. Hinc & causæ ecclesiasticæ sub reconventionis prætextu ad forum seculare trahi non possunt. Hinc etiam causæ, quæ Reservata Imperatoris tangunt, ad Cameram propter causarum continentiam deferri haud sinuntur. Memorabile exemplum præbet causa Baden-Durlach contra Nassau-Sarbruck. Decreverat Camera 1656. mandatum immissoriale, vi cujus Marchio immittendus in Dynastiam Nassovicam Lahr. Cum interim Nassovii 1666. ab Imperatore moratorium obtinerent, judicium Aulicum post diuturnas disceptationes tandem decrevit 1724. Commissionem ad ex- & reimmittendum, quod re ipsa 1725. factum, utut Camera prætenderet, exmissionem ab ipsa esse decernendam, quia fecerat immissionem. Quandoquidem res Reservatum *si causæ indoles id patitur*

Impe-

Imperatoris, moratorium nimirum tangebat, ad Cameram ſub obtentu continentiæ cauſæ trahi non poterat. Conf. *Helfr. Nic. Gærtner* de Imperatore Reſervatorum ſuorum judice ac executore Jen. 1732. p. 42. ſqq.

§. CXXXVI.

Jurisdictionem prorogare litigantes

Hic loci, ubi de civili ſaltem foro ſumus ſolliciti, attingenda eſt controverſia, num privati litigantes competens ſuum forum præterire, litemque ad judicem extraneum deferendo, jurisdictionem prorogare, ſeu quod Latinius dicitur propagare poſſint? Pacto tum expreſſo tum tacito e. c. litem coram incompetente judice conteſtando, litigantes ſibi poſſe præjudicare * ſuumque fori ordinarii jus abdicare, haud dubitatur. Alia autem quæſtio eſt, num & judex ordinarius talem prorogationem agnoſcere, citationes inſinuare, citatosve ſiſtere, aut judicatum exequi teneatur? quæ merito negatur. Ipſius quippe intereſt, tum ſportularum capere emolumenta, tum etiam noſſe, qua ratione ſubditorum lites dirimuntur. Neque obſtat, quod plane in litigantium arbitrio ſit poſitum, num litigare velint, nec ne? Hoc enim utut veriſſimum ſit, non tamen inde ſequitur, ergo & litigantibus, ſi litigare malunt, judicis optio relinquenda. Namque per factam ſubjectionem ſemel ſibi ordinarium judicem conſtituerunt, a quo invito recedere pro lubitu ipſis non eſt integrum. Quare ut valida ſit jurisdictionis prorogatio, res eo redit, num illam admittere, in eamque conſentire velit magiſtratus ordinarius nec ne?

* An & per ſolam petitam termini prorogationem jurisdictio prorogatur, & exceptioni fori incompetentis tacite renuntiatur? Ita cenſuit judicium Imperii Aulicum in cauſa Fulda contra Eiſenach. Cum enim pars rea terminum prorogari bis petiiſſet, & poſtea excipiendo ad Auſtregas tanquam primam inſtantiam cauſam remitti peteret: hæ inter alia propterea denegatæ, quod tacite iis per prorogationis petitionem renuntiatum eſſet, judiciumque Cæſareum eo ipſo agnitum.

§. CXXXVII.

§. CXXXVII.

Apud Romanos privatorum consensu judicia prorogare licebat L. 1. & 2. Dig. de judic. * Imo etiamnum in Germania nostra pro licita jurisdictionis propagatione pugnant *Stryck.* Us. Modern. Pandect. ad tit. de Jurisdictione §. 22. & Ludovici in Doctrina Pandectar. eod. tit. §. 10. Contrarium præplacet *Thomasio* in Not. ad Pandect. p. 42. *Beyero* Posit. ad cit. Pand. tit. n. 42. *Schœpfero* eod. n. 17. Media via arridet *Schiltero* Exerc. ad Pand. 6. §. 23. ubi ita scribit: Prorogatio jurisdictionis magistratuum & Præfectorum unius domini jurisdictionalis ipsis etiam invitis per L. 2. §. 1. Dig. de judic. adhuc hodie regulariter obtinere videtur. Contra vero ipsorum Statuum & dominorum jurisdictionalium jurisdictio eadem ratione an prorogari posset, ita ut non habeant illi jus interveniendi & revocandi suos subditos prorogantes? hoc negamus. Hactenus Schilterus. Mihi leges Romanæ ad statum Germaniæ hoc in passu plane non quadrare videntur. Apud Romanos ii, quos penes jurisdictio erat, meri officiales erant. Apud nos jurisdictio patrimonialis est frequentissima. Ipsi etiam Præfecti haud raro titulo oneroso jurisdictionem tenent. Quamobrem ne Principi quidem integrum esse puto, jurisdictionis prorogationem permittendo, emolumenta ipsis jure quæsita intervertere. Præfectorum vero, qui meri sunt Principis administri, jurisdictio, Principe permittente, prorogari quidem a subditis valide poterit, regulariter tamen hæc permissio per solam generalem juris peregrini, Romani scil. receptionem indulta vix videtur.

apud Romanos poterant, apud nos non item

* Lite vero in vetitum examen vocata actor actione multatur, reus pro condemnato habetur, is vero, qui vel suam vel militum executionem interdictam præbuit, capitalem animadversionem subit L. 5. §. 1. C. de jurisdictione omnium judicum.

§. CXXXVIII.

Ratione competentiæ jurisdictio contentiosa alia est inferioris alia superioris instantiæ. * In illa gravato datur recursus ad superiorem, in hac simpliciter acquiescendum. Regulariter secundæ seu ultimæ instantiæ prius locus haud est, quam prima fuerit absoluta. Hunc enim in finem diver-

Contentiosa jurisdictio est vel su-

perioris vel inferioris instantiæ sæ instantiæ sunt introductæ, ut neque judex superior nimia causarum multitudine obruatur, neque tamen hac ratione in prima instantia litigantibus damnum inferatur. Habet igitur plurium instantiarum concessio in subditis beneficii rationem, eo quod per plures instantias eundo causarum merita accuratius ponderantur. Unde & in ultima instantia statim ab initio seu priori omissa conventus exceptione primæ instantiæ ** tueri se valet. Interim cum plures instantiæ lites, jam dum satis diuturnas, magis adhuc protrahant, sumtusque augeant, nonnullis personis atque causis id favoris & privilegii est datum, ut omissa prima instantia, statim ad supremam deferantur. Spectant huc causæ fiscales, violati privilegii Cæsarei & pacis publicæ, utut violator fuerit mediatus, it. viduarum aliarumque personarum miserabilium, denique eorum, qui mediante perhorrescentiæ juramento, se de justitia in prima instantia obtinenda desperare, asseverant. ***

* Instantia vocatur exercitatio judicii a querela ad sententiam (ejusque executionem). Unde quoties sententia lata, suo sensu instantia finita dici potest. Vid. Ord. Proc. Sax. Tit. 10. §. 1. & inferius dicenda Tit. 7. §. 201. Proprie loquendo autem instantia nova alium judicem supponit, quo sensu appellationis instantia dicitur, Leuterationis vero instantia improprie magis.

** Exceptio primæ instantiæ, tanquam species continetur sub generali exceptione judicis incompetentis, super qua incompetentia ipse judex, cui est objecta, cognoscit L. 2. §. 6. Dig. de judic. Sin plane deficientis jurisdictionis exceptio opposita, judex superior desuper cognoscit.

*** Cum hoc beneficio seu privilegio ultimæ instantiæ confundendum non est jus de non appellando. Ambo in eo conveniunt, quod utrobique causæ unica absolvantur instantia. At differunt eo, quod in privilegio ultimæ instantiæ in ultima, in jure de non appellando in prima instantia causæ cognoscantur. Privilegium ultimæ instantiæ in rei favorem, jus de non appellando in favorem judicis primæ instantiæ conceditur. Ab utroque differt jus de non evocando, quippe quod a privilegio ul-

timæ inſtantiæ diſtat eo, quod hoc judicem primæ inſtantiæ, illud vero judicem ſuperioris inſtantiæ excludit. A jure de non appellando illud de non evocando diſtat eo, quod jus de non appellando ſecundam ſaltem cauſæ cognitionem impedit, jus de non evocando autem etiam primam in caſu, quo evocans concurrentem ſibi jurisdictionem vindicat. Præterea jus de non evocando hodie omnibus Imperii Statibus competit, jus de non appellando autem ſaltem quibusdam ex privilegio. A jure de non appellando firmiter infertur ad jus de non evocando, non autem vice verſa a jure de non evocando, ad illud de non appellando, ceu infra contra Dn. de *Ludewig* oſtendetur. §. 150.

§. CXXXIX.

Cauſas fiſcales, & violatæ pacis publicæ, aut violati mandati vel privilegii Cæſarei ſtatim immediate coram ſummis Imperii tribunalibus eſſe ventilandas, clare præcipit Cammer-Gerichts-Ordn. part. 2. tit. 20. ut opus non ſit ad Titt. Cod. ubi cauſ. fiſc. & ſi adverſ. fiſc. provocare. Sed cum requiſita harum actionum, ſpeciatimque dolus violantis difficillimæ ſint probationis, raro inſtituuntur, & rarius adhuc condemnationes ex hoc capite animadvertuntur. Plane ſi mediatus pacem publicam vel religioſam violat, *aut* dominus ipſius connivet, quo caſu contra ipſum etiam dominum proceditur, *aut* factum improbat, & tunc illud ipſe contra ſubditum erit vindicaturus. Conf. *Ludolf.* de Jure Cameral. p. 46. & 161. Domus Burgundica vi ſpecialis conventionis, inter Carolum V. & Status Imperii 1548. initæ, ne quidem ob delicta fractæ pacis publicæ ſubditos ſuos ab Imperii tribunalibus evocari patitur. *Præteriri prima instantia potest in causis fiscalib. & pacis public.*

§. CXL.

Pupillis, viduis, aliisque fortunæ injuria miſerabilibus Imperator Conſtantinus in L. un. C. quando Imperator inter pupillos vel viduas vel alias miſerabiles perſonas cognoſcat & ne exhibeantur, id privilegii conceſſit, ut ſive agant, ſive conveniantur, forum ordinarium declinare, & ſtatim ad ſummum Cæſaris tribunal provocare poſſint. De hodierno hujus legis *Pupillorum, viduarum*

 uſu

usu inter illustres præsertim viduas passim disceptant Doctores. Vid. *Myler.* Gamolog. c. 9. §. 5. sqq. & *Rhet.* Inst. Jur. publ. L. 1. T. 22. §. 16. *Strauch.* Inst. Jur. publ. L. 1. T. 36. §. 3. quibus hæc hæret sententia, cessare hoc privilegium in Germania quoad viduas subditas Statuum Imperii, quæ non amplius provocent ad Imperatorem vel Cameram, sed ad summum Principem territorii sui, at Statuum Imperii viduas illo privilegio gaudere, quoniam in eo miserabiles, quod carissimi conjugis defensione sint orbatæ. Trahunt huc exemplum Pontificis in Regina Angliæ cap. 15. X. de for. compet. Item quod in causa viduæ Erici Ducis Brunsvicensis contra Henricum Julium Ducem Brunsvicensem, rejectis Austregis, processus decreti Vid. *Ruland* de Commiss. P. 4. L. 2. c. 4. n. 62. *Schubhard* de Austreg c. 10. n. 11. Ipsam etiam territorii dominam viduam, si alium convenire velit, ad Imperatorem provocare posse docet *Rhetius*, at negat *Mylerus* l. c. §. 8. utpote quæ in numerum miserabilium personarum referenda haud sit. Dn. *Ludolf.* de Jur. Camer. p. 32. testatur de praxi fundatæ Jurisdictionis Cameralis in causis personarum illustrium miserabilium, pupillos tamen & viduas, quæ pro amplitudine territorii Collegia Consiliariorum formata habent, licet personarum orbitas, non facultates considerentur, tamen hoc legis beneficio, cessante ejus ratione, non frui existimat.

§. CXLI.

& personarum miserabilium.

Ingenue fateor, me de moderno dictæ Legis un. C. quando Imp. inter pupillos parum magnifice sentire. Poterat Imperator Romanus iis temporibus, quibus judices meri erant ipsius officiales, ab eorum foris personas miserabiles eximere, quod ipsi hodierna rerum facie, ubi Status proprio jure ex superioritate territoriali jurisdictionem exercent, integrum amplius haud est. Unde recte asseritur, viduas Statuum subditas non statim ad Imperatorem causas suas posse deferre. Sed num forte citata lex id ipsis beneficii indulgebit, ut, prærerito judice inferiore, statim summum territorii Principem appellent. Ne hoc quidem putarem. Nam eo ipso, dum Princeps singulis magistratibus certos jurisdictionis fines assignat, omnes in iisdem occurrentes causas iis commisisse, nec illas miserabilium personarum per generalem receptionem juris peregrini, ab hodierna rerum facie alieni, excepisse videtur. Plane iis, quibus titulo oneroso,

roso, aut in patrimonium jurisdictio concessa, vix citra injuriam illa in personas miserabiles auferetur.* Quod autem Statuum Imperii viduæ intuitu dotis, dotalitii, alimentorum aliarumque causarum in judicio Imperiali & alios conveniant, & ab aliis conveniantur, ipsarumque causæ per viam commissionis examinentur, & sine lento judicii strepitu celeriter definiantur, non ex privilegio miserabilium personarum, sed inde potius arcendum, quod uxores & viduæ Statuum immediatæ Imperii sunt subditæ, ceu de Matrimon. T. 25. §. 319. fusius deduximus, adeoque ordinarium forum, æque ut alii immediati coram Imperatore sortiuntur, si vero ipsæ Status immediatos conveniunt, etiam immediatorum talium reorum forum sequuntur. Exemplum Honorii III. Papæ, qui Angliæ Reginam viduam, ratione dotalitii castri Sergei, a nobili quodam spoliatam, irrequisito castri feudalis domino coram judice Ecclesiastico, Archiepiscopo Turonienſi forum sortiri rescripsit, parum stringere videtur, tum quod Pontificibus solenne est, sub quovis prætextu jurisdictionis Ecclesiasticæ fines ampliare, tum etiam quod in ipso cit. cap. 15. X. de foro competent. forum rei sitæ, & rem litigiosam in dioecesi Turonienſi esse sitam, urgetur. Denique in casu, quo vidua superioritate territoriali pollens alium actione convenire intendit, nulla apparet ratio idonea, quare rei forum sequi non debeat. Vid. Tit. 2. §. 33.

* Illi ipsi, qui pro moderno fori miserabilium privilegiati usu pugnant, mirum in modum pro eodem restringendo laborant, nec ultra casus in lege expressos extendi volunt. Quare licet pupillis indulgeatur, minoribus tamen non competere docent, nec universitatibus & piis causis, licet alias jure pupillorum fruantur L. 3. C. de jure Reipubl. Nonnulli forum privilegiatum personis miserabilibus quoque tunc saltem tribuunt, si actoris partes sustinent, non autem si rei, nec etiam si contra æque miserabiles & privilegiatos agunt, aut si causa ex sua indole peculiare forum habet, e. c. si est feudalis.

§. CXLII.

Quodsi alterutri litigantium judex primæ instantiæ videtur suspectus, & justæ suspicionis causæ probari possunt, causa vel ad judicem superiorem devol- *aut si judex inferior suspectus*

devolvitur, vel ab eodem Commissarii constituuntur, vel judici suspecto alius saltem adjungitur Nov. 86. c. 2. & Nov. 53. c. 3. Quandoquidem vero ejusmodi probationes multis difficultatibus solent esse obnoxiæ litigantibus indulgetur actorum transmissionem ad Collegium Juridicum extraneum postulare, cui ipsorum desiderio satisfacere judices jubentur R. I. 1654. §. 113. doch mit diesem Zusatz. Nonnullis quoque in locis pinguius adhuc beneficium viget, quod judicis ejerationem, seu perhorrescentiæ juramentum vulgo appellant, vi cujus is, qui, se de justitia in prima instantia coram inferiore judice consequenda diffidere, jurejurando asserit, superiorem judicem statim adire sinitur. Scripsit de hoc perhorrescentiæ juramento Tractatum *Feltmannus* & dissertationem *Lauterbachius.* Exiguum ejus usum peculiari dissertatione de ejuranda ejeratione bonæ spei ostendere annisus est *Joannes Tobias Carrach* sub præsidio *Simon Petr. Gasser.* Hal. 1729. ubi hoc juramentum ratione, juris autoritate & usu genuino carere, ac rejiciendum contendit, atque de ejus iniquitate jam dum conquestos esse Status Imperii in 100 gravaminibus in Comitiis Noribergensibus oblatis. Sed ex instituto eum refutavit *Henricus Brokes* sub præsidio *Augustini Leyseri* in diss. de juramento perhorrescentiæ ejusque usu practico Viteb. 1730.

§. CXLIII.

perhorrescitur jurejur. Videri quidem posset, assumi in perhorrescentiæ juramento nomen DEI in vanum, & præstare simpliciter, fide allegationi & assertioni timoris a litigante factæ habita, causam ad superiorem judicem devolvere. Verumtamen cum hac ratione quovis temerario litigantis ausu plurium instantiarum utilitas interverti posset, satius erit, inter alia juramenta etiam illud perhorrescentiæ tolerare, dummodo de Principis, a cujus arbitrio & constitutione prima instantia pendet, voluntate satis constet num illam per tale juramentum perire velit. Talem Principis voluntatem patroni hujus juramenti exsculpere conantur ex cap. XI. de rescriptis in 6. quod propria hujus materiæ est sedes, ubi in casu, quo actor civitatem seu diœcesin intrare non audens, aut sui adversarii potentiam perhorrescens, cum intra ipsas convenire nequit secure, de prædicto timore, quem in literis exprimere tenetur, fidem judici facere saltem per proprium juramentum, hocque facto judex partes a sua jurisdictione dimittere jubetur.

§. CLXIV.

§. CXLIV.

At cum receptio generalis sexti Decretalium libri in Germania facta hactenus non sit, iis etiam in locis, ubi perhorrescentiæ juramentum viget, ob quascunque causas & suspiciones illud admittatur, adeoque latius longe pateat, quam dicta cap. XI. dispositio, quæ solum casum specialem loci non tuti, vel potentiæ, priscis præsertim diffidationum temporibus reformidandæ, respicit, facile patet, fundamentum & valorem juramenti perhorrescentiæ non tam ex dicto textu, quam singulari receptione* & observantia esse arcendum. Unde & hujus juramenti usus in locis diversis diversus cernitur. Conf. Tit. 2. §. 38. not. 2. In Camera Imperiali ejus observantiam testantur *Rosenthal*, *Mynsingerus* & *Blumius* qui illud in Camera præstitum docet d. 5. Jun. 1648. d. 7. Jul. 1657. d. 27. Sept. 1661. Econtra in judicio Imperii Aulico illud denegatum 17. Aug. 1724. in causa Ostfriesl. contra Ostfriesl. Commissionis. In terris Borussicis illud nunquam fuisse receptum testatur, nec in posterum recipi debere edicit Ordin. Cameral. Friderici I. Regis de 1709. tit. 4. §. 18. Alibi dubia circa usum hujus juramenti praxis existit. In Saxonia eum vigere variis responsis negarunt JCti tum Lipsienses, tum Vitebergenses, tum Jenenses, aliis tamen temporibus eundem asseruerunt iterum. Scabini quoque Halenses ejus usum & observantiam nunc asseruerunt, nunc negarunt. Conf. cit. *Leyseri* diss. §. 44. & 68.

quod pro locorum consuetudine nunc licet, nunc prohibetur.

* Sed an pro lubitu Princeps recipere ac introducere possit usum juramenti perhorrescentiæ, haud abs re quæritur. Sane cum per illud saltem fides fiat de timore litigantis, non autem ipsa causa, quare judex ordinarius suspectus censeri debeat, huic autem citra ipsius culpam emolumenta & sportulæ, quarum ipsi jus est quæsitum, interverti non debeant, facile patet, tunc demum Principem perhorrescentiæ juramentum recte permittere, si primæ instantiæ judex solo administratorio nomine citra proprium interesse & emolumentum jurisdictionem exercet, & causæ a judice superiore pro lubitu avocari possunt, non autem si patrimoniali aut locationis jure primæ instantiæ jurisdictio tenetur, tunc

enim

enim illa instantia præcise finienda prius, & postea demum gravamen, quo in eadem quis est gravatus, per appellationis modum ad judicem superiorem deferendum.

§. CXLV.

An jurator. suspicionis causas allegare debet?

Quemadmodum igitur ipsum perhorrescentiæ juramentum vim suam a speciali receptione & observantia accipit, ita ex eadem omnium commodissime petitur decisio dubiorum circa illud passim oriundorum. At ubi ex observantia de ipsius juramenti perhorrescentiæ usu quidem constat, de casuum vero dubiorum decisione non item, difficultatum omnia sunt plenissima. Sic quæritur, num ab eo, qui hujus juramenti beneficio frui cupit, causæ suspicionis sunt allegandæ. Negat *Feltmannus.* At semiplenam harum causarum probationem requirit *Lauterbach*, ut quasi in supplementum juretur. *Lauterbachium* juvat, quod Leo XI. Pontifex in Concilio Lateranensi de 1515. semiplenam probationem requirit. At hujus Concilii inter nostrates autoritas est nulla. Econtra pro Feltmanno facit, quod citatum cap. XI. de rescriptis in 6. timorem quidem literis exprimere, ejus vero fidem *saltem* per proprium juramentum facere jubet. Quo posito, sponte etiam sequitur, præstito juramento perhorrescentiæ, non admittendam esse probationem contrariam, quod scil. insufficiens sit adversarii suspicio. Non enim quæritur, an re vera judex sit suspectus, sed tantum an litigans eum horreat, quare nec judex per juramentum perhorrescentiæ perjurii præcise arguitur, quasi juramentum officii intuitu præstitum negligat. Quamobrem universim putarem, laudandum esse Principis institutum, si ad cujuscunque partis preces sine prævio jurejurando, aut ulla suspicionis probatione, unum alterumve Assessorem, quem pars reformidat, abesse, aut ipsi judici, parti exoso, alium substitui jubet. Mala certe est judicis facies, qui se parti invitæ obtrudere allaborat. Atque hinc arcenda consuetudo laudabilis, quæ passim ubi acta ad extraneos sunt transmittenda, cuique parti unum alterumve collegium excipere permittit. Imo haud parum roboris accedit sententiæ prolatæ a judice, cujus fidem partes ipsæ elegere.

§. CXLVI.

An & reo

Porro quæritur, num soli actori, an reo etiam competat beneficium,

mediante

mediante juramento perhorreſcentiæ ſupremam ſtatim inſtantiam adeundi. Soli actori illud tribuit *Mevius* & de ſolo actore etiam loquitur cit. cap. XI. de reſcript. in 6. Ac diſpar ſatis hoc in paſſu actoris & rei eſt conditio. Reus enim jam dum per factam ſubjectionem in judicem illum conſenſit, actor non item, quippe qui demum per actionem inſtitutam ejus forum agnoſcit, & facilius proinde illud horrere poteſt. Quodſi igitur reo hoc beneficium haud competit, facile quoque intelligitur ratio, quare illud in criminalibus locum non habeat. Sed Concilium Lateranenſe reo pariter atque actori hoc beneficium indulget. Num per procuratorem perhorreſcentiæ juramentum præſtari poſſit, itidem ex praxi diverſa dijudicandum. Regulariter ut in aliis calumniæ juramentis, ita & hic procurator ſpeciali mandato ad illud inſtructus admittitur. Jure Saxonico non item LandR. L. 1. art. 46. L. 3. art. 88. Ord. Proc. tit. 18. in fin. Denique hoc beneficium ad ſolam inferiorem inſtantiam pertinere, ſummum vero judicem perhorreſci non poſſe, ipſa res ejusque indoles loquitur.

hoc beneficium competit?

§. CXLVII.

Dari tamen poteſt caſus ubi in ſummorum quoque imperantium cauſis ad perhorreſcentiæ juramentum recurratur. Conſtat in cauſis ſpiritualibus ſummos quoque imperantes, qui Romana Sacra profitentur, Summi Pontificis jurisdictionem agnoſcere. Pontifex plerumque delegatis ſuas vices committit, ut in loco apud partes cauſæ cognoſcantur. Quia probationes & teſtes hac ratione facilius poſſunt recipi. Quodſi igitur delegati alterutri parti ſunt ſuſpecti, mediante perhorreſcentiæ juramento cauſa ad ipſum Pontificem devolvitur Romam. Illuſtre exemplum vidit Anglia ſub Henrico VIII. Rege. Hic cum matrimonium ſuum cum Catharina Hiſpanica a Pontifice nullum declarari petiiſſet, Clemens VII. Papa rem committebat Wolſæo & Campegio Cardinalibus, qui tamdiu Londini cauſam tractabant, donec a Regina interponetur appellatio & *præſtito perhorreſcentiæ juramento* cauſa Romam devolveretur, quæ res Henrico anſam plane ſecedendi a cœtu Romano præbebat. Conf. literæ deſuper a Papa ad Angliæ Regem datæ ap. *du Mont* Corps diplom. T. 4. part. 2. p. 92.

§. CXLVIII.

Imperans pro lubitu causas a judice inferiore avocat.

Quod inde a §. 138. lustravimus plurium instantiarum beneficium litigantibus quidem contra se invicem jus præbet conquerendi, quoties ante inferiorem finitam ad superiorem intempestive evocantur. Ipsi vero Imperanti ex natura & indole summi imperii est integrum, quandocunque libuerit, in judicium a se constitutorum acta inquirere, adeoque & causas coram ipsis pendentes avocare, sive ipse de iis cognoscere, sive aliis eas committere velit. Quoties igitur evocari subditi ante finitam primam instantiam ab imperante nolunt, lege fundamentali vel privilegio, vel concessione speciali de non evocando est opus.

§. CXLIX.

ni privilegium de non evocando obstet.

Equidem in latiori sensu, quo jus de non-evocando accipitur pro jure, vi cujus quis a nemine quam judice ordinario se in jus vocari patitur, etiam comprehendit jus spernendi judicem plane incompetentem, qui in jus vocare forte conatur. Atque illud speciale lege aut concessione non indiget, sed naturali libertate nititur, quorsum pertinet id, quod in Capitul. Carol. VI. art. 14. n. 4. cavetur, ne causæ civiles ad Curiam Romanam evocentur. Quando autem jus de non evocando in sensu magis speciali denotat jus, vi cujus subditi, qui magistratui subordinato subsunt, coram hoc solo stare, & causas ventilare tenentur, a summo autem imperante seu magistratus sui judice in jus vocari non patiuntur, tunc facile patet, exorbitare tale jus ab ordinaria summæ potestatis indole, adeoque concessione peculiari aut lege fundamentali niti. Fieri ejusmodi concessio potest tum expresse tum tacite. Sic concessa & confirmata Imperii Statibus superioritate territoriali, eo ipso jus de non evocando tacite ipsis non indultum. Sic & quando jurisdictio in patrimonium conceditur, aut officiali locatur, id tacite agitur, ne litigantes a prima instantia avocentur, vid. §. 127. sed demum eadem finita per modum appellationis gravamen ad superiorem deferatur. Quo ipso se prodit differentia inter jus de non evocando a jure de non appellando, quam tetigi §. 138.

§. CL.

quod &

Tacita juris de non evocando concessio vel in totum fit, ita ut summus

mus imperans plane se abdicet jure cognoscendi de litibus inter subditos territorii subordinati vigentibus. Sic concesso jure de non appellando, eo ipso evocandi jus cessat. Vel talis concessio saltem pro parte fit, ita ut nunc in prima saltem instantia evocatio cessare debeat salva appellationis instantia, nunc vero in appellationis quoque instantia summo imperanti in jus quidem vocare liceat, non autem litigantes e territorio, ubi habitant, ad suam aulam evocare. In Germania quondam consuetudinem viguisse, vi cujus nemo extra nativitatis suæ terram conveniri potuerit, nonnulli perhibent vid. Tit. 4. §. 82. Hinc porro infert Dn. de *Ludewig* de prærogat. Duc. Wurtenberg. Sect. 2. c. 3. §. 1. not. l. Germanis quondam appellationes fuisse incognitas, cum enim universim evocare nefas fuerit, nec sub appellationis obtentu evocare licuisse. Sed etiamsi concederemus, rite se habere dictam de non evocando consuetudinem *, non tamen protinus inde sequeretur, sublatam eo ipso omnem quoque fuisse appellationem. Poterant enim imo & solebant Imperatores imperium peragrare, ac subditorum audire querelas, quorsum facit LandR. L. 3. art. 60. In welch Land der Kaiser kommt, da ist ihm ledig das Gericht. Per missos etiam Regios Imperatores in Episcoporum aliorumque administrationem inquirebant, & subditorum querelas ac controversias terminabant. Hodie saltem Imperator causas extra Germaniam non trahere promittit. Capitul. Carol. VI. art. 16. n. 2.

tacite nunc in eo totum nunc pro parte conceditur.

* Quam opinionem non parum juvare videntur judicia Palatina, ab ab Imperatoribus in qualibet provincia instituta, quodque peregrini, qui nullum domicilii forum habuerunt, soli Cæsari subfuisse perhibentur.

§. CLI.

Expresse jus de non evocando Bohemiæ Regi in Aurea Bulla c. 8. ceterisque Electoribus c. XI. tribuitur. Austriæ Archi-Ducibus in Diplomate Caroli IV. de 1366. Burgundiæ Ducibus in Bulla Brabantina Caroli IV de 1349. *. Saxoniæ Ducibus in privilegiis Sigismundi & Ferdinandi I. de 1559. Plura similia privilegia magno numero congessit *Rumelinus* ad A. B. part. 2. diss. 1. Ex quo vero per fundamentales Imperii leges Statibus

Hodie omnibus Statibus competit.

 superio-

ſuperioritas territorialis eſt confirmata, omnes indiſtincte Status jure de non evocando gaudent **, quorſum ſpectant Ord. Cam. part. 2. tit. 1. Rec. Imp. 1654. §. 164. Capitul. Carol. VI. art. 18. adeo ut ſpecialibus privilegiis deſuper non amplius opus eſſe videatur.

* Bulla hæc Brabantina poſtea ad varios abuſus tracta. Nolebant quippe Brabantiæ Duces pati, ut ſubditi Brabantini alibi ob contractum, delictum, & rem ſitam forum ſortirentur, ipſi vero aliorum ſubditos imo ipſos Status in actionibus mere perſonalibus evocare non dubitabant, dummodo in Brabantia bona haberent. Priorem abuſum ut tuerentur contra diſſentientientes repreſſalias, ut poſteriorem, arreſta exercebant. Vid. *Titius* Specim. Jur. publ. L. 3. c. 8. §. 52. Quare in R. I. 1598. §. 72. & 1641. §. 94. & in Comitiis Ratisbonenſibus 1670. Status horum abuſuum abrogationem petierunt, quæ & tandem ſecuta in pace Weſtphal. art. 9. §. 1. Add. Capitul. Caroli VI. art. 27.

** In caſibus tamen, quibus ſummorum tribunalium jurisdictio in prima inſtantia eſt fundata, de quib. Tit. 4. §. 105. T. 5. §. 138. jus de non evocando fruſtra urgetur, quia in illis cauſis domini territoriales judices competentes eatenus non ſunt. Poſſe etiam territorii dominos ſuo de non evocando juri renunciare, ſubditorum vero renunciationem domino non præjudicare, manifeſtum.

§. CLII.

Specialia tamen privilegia contra judicia provincialia proſunt.

Aliquam tamen illa privilegia hodienum utilitatem præſtant contra Rothwilenſe, aliaque judicia provincialia, quæ concurrentem jurisdictionem cum tribunalibus dominorum territorialium exercent. Sic ne a talibus judiciis provincialibus evocentur ſubditi, privilegio impetrarunt Bambergenſes anno 1034. Argentinenſes 1129. Auguſtani 1401. Duces Wurtenbergici 1495. Principes Palatini 1541. Comites Caſtell & Ranzovii 1650. Voluit quidem Carolus IV. talia privilegia generali reſcripto, quod exhibet *Limnæus* de Jurepubl. L. 9. c. 3. n. 10. tollere, ſed res exitu caruit, & hæc Caroli IV. caſſatio privilegiorum de non evocando infringitur

gitur in Capitul. Caroli VI. art. 18. n. 7. Conf. *Dieter. Herman Kemmerich.* diss. de jure de non evocando Viteb. 1726.

§. CLIII.

Enumeratæ in Superioribus diversæ jurisdictionis Species diversas pariunt instantias, ex quarum conflictu innumeræ ac difficillimæ oriuntur controversiæ. Nunc judex ecclesiasticus sub obtentu jurisdictionis Spiritualis Secularibus, Clericorum aut sub prætenso connexitatis vinculo Laicorum quoque causis se immiscet. Mox judex, cui reus officii intuitu in personalibus subest, jurisdictionem suam ad realia quoque vult extendere. Alia iterum vice conflictus oritur inter judicem criminalem & civilem, feudalem & territorialem, & sic porro. *Conflictus jurisdictionum.*

§. CLIV.

Exemplo sit vel Sola Aula Cæsarea Viennensis. Ibi jurisdictio Spiritualis tum *Nuncio* Apostolico, tum *Consistoriis* Viennensi & Passaviensi solet relinqui. Jurisdictio Secularis in causis ex Imperio ad Aulam Cæsaream delatis competit *judicio Imperii Aulico*, at in causis Austriacis *Regimini* der Nieder-Oesterreichischen Regierung, cui in Cameralibus adjungitur Consilium *Camerale* die Kayserl. Hof-Cammer, in ecclesiasticis der Closter-Rath. Regimini Austriaco subordinatur Mareschallus Provincialis das Land-Marschall-Gericht, Universitas & Magistratus Viennensis, cui iterum complura collegia subordinantur. Judicium *Criminale* vocatur die Schranne. *in Aula Cæsarea.*

In militaribus suprema instantia est Consilium *Bellicum.* Der Hof-Kriegs-Rath. Aulici subsunt Supremo Aulæ Mareschallo dem Obrist-Hof-Marschall-Amt. Venatores Supremum Venationum Magistro dem Obrist-Hof-Jägermeister & sic deinceps.

§. CLV.

Quamvis autem videri posset, hac ratione omnia optimo ordine ac *frequens*

citra controversiarum ambages posse peragi: experientia tamen docet, tam difficiles sæpenumero inter has instantias super jurisdictione oriri controversias, ut sæpius ipse Imperator easdem plene decidere e re sua haud ducat, sed provisorio saltem modo ordinationem ferre satagat.

§. CLVI.

in Ecclesiasticis. Nuntius Papalis multas causas, quæ Spirituales non sunt, tamen sub Spiritualitatis obtentu ad suum forum pertrahere conatur. Imo eum prætendere jurisdictionem in Laicos correos criminum ab iis simul cum Clericis patratorum, sub vinculo connexitatis & ne causæ continentia dividatur, dicetur T. 9. §. 264.

Bullæ Papales, quæ Archi-Episcopus Viennensis vel Officialis Passaviensis a Nuncio Apostolico vel immediate ab Aula Romana accipiunt, non sine prævio Imperatoris consensu publicari sinuntur.

Installatio Parochorum licet quoad spiritualia fiat ab Ordinario seu Episcopo, tamen in temporalibus per Regiminis Commissarios Laicos peragi debet.

Episcopi eorumque Officiales facultatem sibi vindicant deponendi Parochos delinquentes. Regimen vero processum ejusque acta sibi prius transmittenda esse contendit.

Sic & jurisdictio circa hereditates Parochorum demortuorum earumque obsignationem inter Regimen & Ordinarios seu Episcopos eorumque Consistoria est controversa.

Imo in extraneos (i. e. qui illi Ordini haud subsunt) utut Clericos in religiosorum domibus habitantes Regimen jurisdictionem prætendit, nec permittit, ut eorum hereditas a magistratu Ecclesiastico obsignetur.

Apprehensionem & extractionem delinquentium ex domibus religiosis Episcopi prius indulgere nolunt, quam judicaverint, delinquentes immunitatis Ecclesiasticæ esse incapaces.

§. CLVII.

§. CLVII.

Superioribus duobus politicis Statuum provincialium in Austria Ordinibus dem Herrn und Ritter-Stand per privilegium de 1637. id datum, ut cum antea in criminalibus forum sortirentur vor der Schranne, in posterum Mareschallo Provinciali dem Land-Marschall-Gericht prævia cognitio competere debeat ad effectum excludendi accusatum a consortio Statuum provincialium. Quo facto acta Regimini transmittit. Regimen reum cum actis judicio criminali der Schranne tradi curat. Die Schranne sententiam Regimini remittit, quod si illam ratihabet, executionem peragit die Schranne. Id tamen dubium remansit, num in casu innocentiæ Mareschallus provincialis absolutoriam quoque ferre valeat, vel pro re nata pœnam extraordinariam irrogare? id quod ipsi per decretum Cæsareum 1643. ita concessum, ut ante Sententiæ publicationem acta Regimini transmittat. *criminalibus.*

§. CLVIII.

Sed & Mareschallo Provinciali cum Supremo Aulæ Mareschallo controversia est super jurisdictione Statuum provincialium, qui simul sunt Ministri Aulici. Sicut & in genere Supremus Aulæ Mareschallus jurisdictionem prætendit in eos qui Aulæ Cæsareæ inserviunt, non solum in personalibus, sed etiam in eorum hereditates, utut forsan numero civium sint adscripti, & bona immobilia sub Magistratu Viennensi possideant, ac testamenta sua magistratui insinuaverint. Conf. dicta de Jur. pers. ill. L. 3. T. 15. §. 399. *politicis.*

§. CLIX.

Quod supra dixi, in militaribus Consilium Bellicum Supremam esse instantiam, adeo verum est, ut ab eodem Summi etiam Militum præfecti die höchsten Generals judicentur: non vero ita accipiendum, ac si ab eorum Sententiis ad Consilium bellicum appellari possit. Legionum enim præfecti, seu Colonelli, legionum suarum causas in ultima instantia judicant: Die Obristen sind bey und in ihren Regimentern souveraine Herrn, und haben das merum imperium über Leib und Leben, Blut und Gut. Ac si *Militaribus.*

quis

quis per eorum ſententias ſe gravatum exiſtimat, nullum aliud ſupereſt remedium, quam provocatio ad impartiale judicium bellicum, auf ein General unpartheyiſch Kriegs-Recht, quod ex præfectis & gregariis plurium legionum magnis ſumtibus conſtituitur.

In Seditionum ac tumultuum cauſis quidem militum præfectis apprehenſio delinquentium indulgetur, qui tamen poſtea ordinario ſuo magiſtratui ſunt tradendi, nec a militum præfecto, qui eos apprehendi curavit, judicari aut dimitti poſſunt.

Caſtrorum ac fortalitiorum Præfecti renuunt quidem, intimationes ullas aliter recipere, quam a Conſilio bellico, vel immediate von Hof aus. At per decreta Cæſarea ipſis injunctum, ut intimationes de recipiendis vel dimittendis delinquentibus, ad publica munitionum opera damnatis, a Regimine Auſtriaco recipiant.

§. CLX.

Jurisdictionem in hereditarium poſtarum magiſtrum controverſam inter Supremum Aulæ Mareſchallum & Regimen Auſtriacum monuimus de tutela Tit. 7. §. 459.

In Venatores quoque capitalium criminum reos Regimini competit jurisdictio, contradicente licet Supremo Venationum magiſtro.

§. CLXI.

fiſcalibus. Fiſcus Cæſareus active & paſſive forum ſortitur coram Regimine & Camera, adeo ut ſi agat contra eos, qui alias Aulæ Mareſchallo, vel Mareſchallo Provinciali ſubſunt: nihilominus hi in cauſis fiſcalibus coram Regimine & Camera comparere teneantur. Conf. dicta de Jur. Perſ. ill. L. 3. T. 15. §. 402.

§. CLXII.

feudalibus. Dantur in Auſtria Vaſalli, qui feuda ſua ab extraneis e. c. Epiſcopo Ratisbonenſi recognoſcunt: Quodſi ab extraneis illis dominis directis Vaſalli

Vasalli contra antiqua jura & privilegia gravantur, sinuntur hi querelas suas ad Regimen Austriacum deferre.

§. CLXIII.

Lucem dictis fœnerabuntur sequentia, quæ utut paulo prolixiora, adduxisse haud pœnitebit.

Bericht und Gutachten in causa des zu Weigelsdorff bey Baaden verstorbenen Polnischen Bischoffens Verlassenschafft Abhandlung betreffend.

Die Röm. Kays. auch zu Hungarn und Böheim Kön. Maj. Ertz-Hertzog zu Oesterreich, unser allergnädigster Herr werden von Dero gehorsamsten N. O. Regierung in aller Unterthänigkeit erinnert, Ew. Kays. Majest. haben ihr Regierung per decretum A. allergn. andeuten lassen, derselben wäre vorhero schon intimiret worden, wessen Ew. Majest. wegen Abhandlung des unlängst zu Weigelsdorff abgeleibten Polnischen Bischoffs Antonii Nicolai Grafens von Biberstein Erb- und Verlassenschafft auf ihr Regierung nacher Hof gegebenen Bericht und Gutachten, wie auch über Ihr Hochfürstl. Durchl. als Passauischen Herrn Ordinarii in dieser Materi abgelassenes Schreiben unter den andern und 6ten Aug. nächsthin allergnädigst resolviret, wobey es denn auch E. K. M. nochmahln allergnädigst verbleiben liessen.

Dieweilen aber an Passauischer Seiten nach Innhalt des allhiesigen Vice-Officialis und Consistorial-Räth höchstgedacht Ihro Hochfürstl. Durchl. überschickten Schreibens in Abschrifft B. durch Deroselben Interposition neuerlich verlangt werde, daß bemeldte Verlassenschaffts Abhandlung conjunctim nemlich durch die Landsfürstl. Commissarios und Passauische Consistoriales zugleich und mit gesammter Hand vorgenommen werden möchte. Derowegen denn und damit E. K. M. sich hierüber desto sicherer und beständiger allergn. resolviren könnten: Als solle Regierung darauf ihr Gutachten also balden nacher Hof gehorsamst eröffnen, welches Regierung mit gleichmäßiger Verordnung denen in Closter-

Sachen verordneten Räthen zukommen lassen. Dieselbe erinnern nun mit C. Wasmassen sie 1. erwegeten, daß E. K. M. vermöge der an Ihro Hochfürstl. Durchl. noch vor diesen abgegangenen Schreiben keinem Ordinario in meris temporalibus concurrentem aliquam jurisdictionem geständig seyen, wie denn solches weder bey der fremden im Land verstorbenen Geistlichen, noch der Prælaten und Pfarrer Verlassenschaften jemahln geschehen oder zugelassen worden. Denn obzwar die Passauischen bey denen Inventuren der temporalien in denen Klöstern und Probsteyen pflegten anwesend zu seyn: so hätten sie jedoch im geringsten nichts dabey zu disponiren, ingleichen sitzeten sie zwar bey denen Abhandlungen der verstorbenen Pfarren Verlassenschafften aber nur zu Fürbringung ihrer prætendirender Priorität Sprüchen, als portionis Canonicæ, primorum fructuum und dergleichen, in dem übrigen nehmeten sie sich der Sachen nichts an, daß also weder in einem noch andern, was die temporalia anbetrifft, etwas conjunctim geschehe, sondern alles allein durch die Landesfürstl. Commissarios verrichtet werde.

Anderten seheten sie in Closter-Sachen verordnete Räthe aus obigem Schreiben des Passauischen Consistorii kein einiges fundament, so denen an Seiten E. K. M. vorhandenen Exempeln und Argumenten, die ihme Consistorio gleichwohl von der Ertz-Hertzogl. Geheimen Cantzley aus communiciret worden, entgegen gesetzt werden künte, welches dasselbe, wenn es damit auszukommen gewust hätte, nicht unterlassen, und nur das obige Begehren gestellet, sondern vielmehr die Jurisdiction allein zu behaupten sich würde bemühet haben.

Drittens wäre die entstehende nachtheilige Consequenz und Verwirrung, wenn dergleichen Convenient einmahl zugelassen werden solte, sonderbahr zu beobachten. Und obzwar in des Passauischen Consistorii Schreiben oben B. vermeldet werde, es hätten die in Closter-Sachen verordnete Räthe theils in privato colloquio Ihnen die verlangende Conjunction bey diesem actu nicht zuwieder seyn lassen: so sey doch solches auf des Passauischen Vice-Officialis beschehenen Anwurff anders nicht, als nur in diesem Fall, wenn E. K. M. Dero ergangene Resolution immediate dahin verändern würden, deren sie alsdenn gehorsamst nachzuleben hätten, gemeynet,

net, und von ihnen dahin gezielet gewesen, wenn endlich Ihro Hochfürstl. Durchl. in diesem Werck gar nicht acquiesciren wolten, daß für dießmahl eine blosse Beywohnung, wie es sonsten, und sonderlich in Abhandlung derer Pfarrer Verlassenschaft beschehe, zugelassen werden könte: Ihr Gutachten aber haben sie dahin gestellt, E. K. M. möchten zu Erhaltung Dero von Alters her ersessenen Recht und Gerechtigkeit es bey Dero bereits geschöpft und Regierung intimirten allergn. Resolution verbleiben, und also ungehindert des Passauischen Consistorii anjetzo erst neuerlich gestellten Begehrens, die Inventur und Abhandlung mehr berührter Verlassenschaft durch die von Regierung dazu verordnete Commissarios fürgehen lassen.

Sie Regierung sub A. angezeiget, was massen der Land-Jägermeister sich annoch verweigere, diejenige Jäger, welche vor 2 Jahren etliche Wildpret-Schützen erschossen ihr Regierung erfolgen zu lassen haben. E. K. M. den 25. May nächsthin sich allergn. resolviret, daß Dieselbe als bey Dero vorigen d. 12. Oct. 1658. ergangenen Resolution nochmahln allerdings verbleiben, auch Dero Land-Jägermeister ferner allergn. anbefehlen lassen, daß er besagte Jäger ohne weitere Verlängerung für Regierung stellen solle. Worauf Regierung zu demselben einen Secretarium geschickt, mit Ersuchen, ihrem untergebenen Provosen solche Jäger erfolgen zu lassen, welcher aber zur Antwort gegeben, daß ihm zwar die Stellung dieser Thäter von Hof aus anbefohlen wäre, dieweil er aber mit seinem Bericht nicht vernommen worden, als hätte er denselben von neuen gehorsamst übergeben. Wenn nun solcher referiret seyn und E. K. M. nicht anders befehlen würden, wäre er alsdenn erbietig, oftberührte Jäger auf jedes Begehren zu stellen. Nun zweifelte Regierung nicht E. K. M. werden es bey Dero so gemessen allergn. Resolutionen daß Regierung wieder diese Thäter der Ordnung nach verfahren lassen solle, ungehindert dessen, was etwa besagter Land-Jägermeister eingebracht haben möchte, verbleiben lassen, solches aber auf solche continuirliche Weigerung des Land-Jägermeisters niemahls würde können in effectum gebracht werden. Unterdessen in dem Treibelwüncklerischen Landgericht ein correus nahmens Matthias Renner, welcher neben denen Jägern bey den von ihnen verübten Mordthaten gewesen, sich schon so eine geraume Zeit mit gröster Beschwer der Landgerichts-Obrigkeit in Verhafft befindet, den man aber weder erlassen noch bestraffen kan, biß nicht die andere dazu kommen, und ein jeder der Ordnung nach examiniret, auch wenn es die Nothdurft erfodert alle mit einander confrontiret werden. Dieweil denn mehrbesagter Land-Jägermeister sich anjetzo bey Hof befindet, als stellet Regierung zu E. K. M. allergn. Gefallen, ob dieselbe ihm nochmahls allergn. anbefehlen wollen, daß Dero allergn. ergangene Resolution er ohne einig weitern Verzug vollziehen, und ihr Regierung oftbemelte Jäger erfolgen lassen solle. E. K. M. zu beharrl. allermildesten Kays. Gnaden sich gehorsamst empfehlend. Actum Wien 30. Jun. 1660.

Hof-

Hoff-Decret.

Der N. O. Regierung wiederum zuzustellen, und haben hierauf J. K. M. dem Herrn Land-Jägermeister nochmahl allergn. anbefehlen lassen, daß er, wofern er nichts erhebliches in Sachen einzugeben weiß er solches alsobalden thue, oder im wiedrigen innvermeldte Jäger resolvirter massen inner den nächsten 8 Tagen ohnfehlbarlich vor sie Regierung stellen solle.

Per Imperatorem

Grätz 14. Jul. 1660.

J. C. Kirchmair.

Hof-Decret. d. d. 17. Aug. 1660.

In causa wegen Stellung derjenigen zehn Forst-Knechte welche die zween Wildpretschützen bey Tribelswinckel todtgeschossen betreffend.

Von der Röm. Kays. auch zu Hungarn und Böheim Kön. Majest. Ertzherzogens zu Oesterreich rc. unsers allergn. Herrn wegen. Deroselben N. O. Regierung hiemit in Gnaden anzuzeigen. Deroselben seye zuvor auf ihre Bericht erinnert worden, welchergestalt höchsternannt J. K. M. Dero Land-Jägermeistern Herrn Albrechten Herrn von Zinzendorff das letzte mahl allergn. anbefehlen lassen, wofern er wieder die resolvirt und ihme anbefohlne Stellung derjenigen 10 Forst-Knechte, welche die 2 Wildpretschützen bey Tribeswinckel todgeschossen etwas erhebliches einzugeben wüste, daß er solches alsobalden thun oder im widrigen ermeldte Forstknechte inner den nächsten 8 Tagen vor sie Regierung würcklich stellen solle.

Nachdem nun hierüber er Herr Land-Jägermeister seinen Bericht in zweyen Anbringen, deren eines er mit eigener Hand geschrieben, nacher Hof übergeben, und gedachte Forstknechte entschuldiget, sich auch deren

Stellung verweigert, haben J. K. M. solche Entschuldig- und Verweigerung unerheblich befunden, und demnach unter heutigen dato ihm allergnädigst anbefehlen lassen, daß er ungehindert solcher seiner Weigerung osternannte Forstknecht ohne allen weitern Verzug vor sie Regierung stellen solle. Welches man Sie Regierung hiemit zum Wissen erinnern wolle.

Per Imperatorem

Grätz 17. Aug. 1660.

Bericht ein von dem Bischoff zu Regenspurg der Lehn halber publicirtes Edict betr.

Die Röm. Kays. auch zu Hungarn und Böheim Kön. Maj. Ertz-Hertzogen zu Oesterreich unsern allergn. Herrn erinnern Dero gehorsamste N. O. Regierung und Cammer allerunterth. Wasgestalten Dero Lehns-Registrator sub A. angezeiget, daß er ungefehr das Edict B. zur Hand gebracht, in welchem der Bischoff zu Regenspurg untern dato 7. Mart. allen in diesem Land sich befindenden Vasallen, welche Regenspurgische Lehen inne haben, auf den 5ten nächstkünftigen Monaths May nacher Pechlarn citiret alldorten die Lehn inner 8 Tagen zu empfangen mit der Commination, daß welcher auf die bestimmte Zeit nicht erscheinen und die Lehn empfangen würde, er sodann gegen einen jeden ungehorsamen verfahren und handeln lassen wolle, als des Hochstifft Regenspurg Nothdurfft erheische, auch Lehns Sitt, Gewohnheit und Recht sey. Worauf sie Regierung und Cammer ihm Registratori anbefohlen, daß er bey der Registratur nachschlagen, auch sonst sich erkundigen solle, was dies Orts die Ausländische Fürsten in Bestimmung der Zeit wieder den Landes Brauch und gemeinen Rechten befugt seyen, und darüber den Befund Regierung förderlich berichten solle. Der erinnert hierauf sub C. daß Kaiser Rudolphus II. seel. Andenckens vermög Abschrifft D. untern dato 1. Dec. 1582. ein Patent publiciren lassen, in welchem er allen Lehns-Herrn, so in dem Ertzhertzogthum Oesterreich ob und unter der Enß Lehen zu verleihen haben, sie seyen gleich in oder ausser Lands gesessen ernstlich anbefohlen, neben denen Reversen die Vasallen inhalt voraus gegangener Generalien weder mit der Tax noch den Bestätt und Willbrieffen, desgleichen in andre Weg wieder

wieder des Lands Freyheiten nicht zu beschweren. Ob nun zwar ein grosser Unterscheid zwischen denen Landsfürstlichen und der ausländischen Fürsten Lehn ist, und die ausländische Lehns-Herrn nicht an das Oesterreische Lehns-Recht gebunden seyen, so wären sie doch adstringiret, secundum jus commune feudale in ihren Lehns-Sachen zu verfahren; consequenter schuldig, denen Vasallen den in denen gemeinen Rechten vorgesehenen termin als Jahr und Tag zu Empfahung der Lehn zu lassen, und dahero bey ihnen nicht stehet, denselben nach ihren Gefallen abzukürtzen.

Wann dann Regierung siehet, daß dieses von dem Bischoff zu Regenspurg publicirte Edict B. denen Vasallen im Land sehr beschwerlich ist, und dieselben nicht allein dadurch sehr gefährt werden, sondern auch noch ein anders grosses præjudicium dem Lande anerwachsen dörffte, dieweil, wenn man es also ungeahndet hingehen liesse, diesem andre ausländische Lehns-Herrn auch nachfolgen, und zu Empfahung der Lehn gleichfals nach ihrem Gefallen die termin setzen möchten, wodurch denn die Vasallen sowohl wieder die allgemeine Lehns-Recht als auch obangezogenes von Rudolpho II. glorwürdigsten Gedächtniß ausgegangenes Patent D. beschweret würden, so nicht zu verstatten:

Als haben E. K. M. Regierung und Kammer solches zu dem Ende gehorsamst erinnern wollen, ob sie gnädigst geruheten an den Bischoff zu Regenspurg schreiben zu lassen, daß er diese wieder die allgemeine Recht lauffende Beschwer und neuerliches Einführen wiederum remediren wolte, und thun E. K. M. sich zu Kays. mildesten Gnaden allerunterthänbefehlen. Actum Wien 12. Apr. 1663.

Kayserliche Resolution.

Der N. O. Regierung und Cammer wiederum zuzustellen und placet wie gerathen. Es sollen aber sie Regierung und Cammer das Concept, wie sie an den Herrn Bischoff zu Regenspurg zu schreiben vermeynen,

meynen, zu J. Kays. Majest. gnädigster Approbation vorhero nacher Hof geben.

Per Imperatorem

23. Apr. 1663.

J. Khager.

Regierungs-Rathschlag.

Fiat allermassen J. K. M. allergnädigst resolviret.

28 Apr, 1063.

Aliud.

Dieses Concept bey der Cantzley aufzubehalten mit der Erinnerung, daß dieser Bericht allein Concept Weiß dem Herrn Hoff-Cantzler samt denen Einschlüssen zugestellet, und von demselben zu J. K. M. gebracht worden, worauf die weitere Resolution mündlich dahin ergangen, daß innliegendes Concept des Schreibens an den Herrn Bischoff zu Regenspurg zwar bey Regierung zustünde geschrieben: gleichwohl aber von J. K. M. eigenhändig unterschrieben, und so dann bey der Hof-Cantzley ausgefertiget werden solle, welches also samt inliegender Kays. Resolution dem Consuetudinario eingetragen und vorzunehmen ist.

11. Jun. 1663.

TITU-

TITULUS VI.

DE

Actore ejusque petito.

* *
*

Actor vel ipse vel, quod inter illustres præstat, per procuratorem actiones suas instituit, quarum diversa sunt genera, & modus procedendi diversus, adeo ut ne subditus quidem commodo processus executivi vel possessorii contra Principem privari debeat.

§. CLXIV.

In quavis lite tum actorem, tum reum, tum judicem debere adesse, statim in exordio libri monuimus. Quæ de judice dicenda videbantur, hactenus exposuimus. Pergimus ad actorem, qui h. l. * dicitur is, qui ab alio quid in judicio postulat, quod ut rite procedat, requiritur agendi tum voluntas tum facultas. Voluntas inquam, quia nemo invitus ad agendum cogitur, sed quilibet jus suum vel in totum, vel pro tempore remittere sinitur. Quodque in processu diffamatorio ex L. 5. C. de ingen. manum. & provocatorio ex L. 28. Dig. de fidejussorib. actor provocari dicitur, non ad regulam, sed exceptiones pertinet, præsertim cum primarius finis, a provocante intentus, non tam sit ad agendum alterum provocare, quam ad silendum eum adigere.

Ad agendum nemo cogitur.

* Alio enim sensu eum denotare procuratorem a tutore vel Curatore constitutum vid. §. 167.

§. CLXV.

§. CLXV.

Exc. in processu diffamatorio.

Usum processus diffamatorius inter ipsos Principes præbet in omni casu, ubi ipsorum interest, jus super quo controversia ipsis moveri aliquando posset, ad liquidum deduci. Altenburgenses & Vinarienses quondam provisionaliter de successione Electorali Saxonica (quæ superveniente Joanni Georgio I. Electori prole, nunquam ad ipsos pervenit) disceptasse monuimus de Hereditat. T. 9. §. 201. Pariter cum in domo Bipontina Comiti Palatino Gustavo Samueli proles nulla cerneretur, & Birckenfeldensis metueret, ne sibi ab Electore Palatino successio eriperetur, Conf. de Hereditat. T. 21. §. 491. superstite Gustavo Samuele 1724. in Consilio Imperatoris Aulico Electorem ad agendum provocavit, ac licet regereretur, cogi neminem posse ad instituendam actionem nondum natam, prævaluit tamen in judicio Aulico sententia, quæ actorem recte provocari ait, quia ipse diffamando ansam provocationi dedit. Requisita processus diffamatorii vid. R. J. N. §. 83. Constare debet tum de diffamante tum de ipsa diffamatione. Imo nec sufficit, eam esse factam coram reo prætenso, sed præcise debet esse facta coram aliis. Hinc in causa Isenburg contra Isenburg processus denegati, quia tantum literæ exhibebantur, quibus prætensio reis significata, teste *Lynckero* de Gravam. Extraj. cap. 9. part. 2. §. 43.

§. CLXVI.

Qui agere impediuntur & prohibentur.

Facultate agendi destituuntur, qui vel natura impediuntur, vel lege prohibentur. Impediuntur per mentis imbecillitatem infantes & furiosi, quorum tamen nomine agunt tutores & curatores, vel constituti ab his actores. Prohibebantur apud Romanos agere servi, quippe qui personam standi in judicio non habebant, it. filii familias, quippe quibus cum patre ob personarum unitatem lis non erat, cum extraneo autem non ipsi, sed pater, in cujus potestate erant, experiebatur. Apud Germanos filiosfamilias cum ipsis parentibus posse litigare, patet ex dictis de patria potestate T. 11. §. 241. Fœminas imperiorum quidem quandoque esse capaces de jure person. ill. L. 2. T. 14. §. 211. si tamen fœminæ subditæ utut illustres in judiciis comparent, Curatoribus ipsis esse opus dixi de tutela T. 15. §. 598. Infames non ipsi quidem, sed per procuratores agere sinuntur.

§. CLXVII.

Neque tamen is, qui facultate & voluntate agendi gaudet, ipse comparere in judicio præcise tenetur, sed procuratoris eines Anwaldes opera uti potest. In genere procurator dicitur is, qui aliena negotia mandato domini administrat, hic in specie accipitur pro persona negotia *judicialia* domini mandatu administrante, sive ab Actore sive a reo constituatur. Conf. Tit. Dig. de Procur. utut proprie, qui actoris vice fungitur *procurator*, qui rei, *defensor* * dicatur L. 11. §. 7. Dig. de except. rei judic. L. un. C. de Satisdando §. 4. & 5. Inst. eod. quod defensoris nomen in criminalibus hodie usurpatur. Ii qui a tutoribus seu Curatoribus solis ad judicialia pupillorum negotia administranda constituuntur *Actores* vocantur L. XI. C. de procuratorib. *Actor per procuratorem comparere potest.*

* Specialissime defensor dicitur, qui absque mandato cum sola satisdatione reum in judicio defendit L. 46. §. 2. & L. 53. Dig. de procur.

§. CLXVIII.

Equidem litibus abbreviandis citiusque finiendis mirum in modum conducit, adigere litigantes, ut ipsi in persona compareant. Dici non potest, quam sint noxii processibus vultures illi togati, advocati & procuratores. Hos ignorabant antiqui Germani, adeoque illis intolerabiles erant, ut post cladem Varianam potissimum sævitum fuerit in causarum patronos *Flor.* L. 4. c. 12. n. 37. Apud Romanos vero nil quicquam publicæ mercis tam venale fuit, quam advocatorum *perfidia*, ut scribit *Tacitus* Annal. L. XI. c. 6. In Dania adhuc hodie litigantes ipsimet causam suam agunt, remotis advocatis. Vid. *Böhmer.* Jur. publ. univ. part. spec. L. 2. c. 7. §. 31. Interim variæ existere possunt causæ, quæ Procuratoris admissionem suadeant, morbus, ætas, iter, sexus imbecillitas & pudor, imperitia, denique nimia ad iram vel excandescentiam proclivitas. Prudentis igitur legislatoris & judicis erit, retento vero procuratorum usu, abusus noxios tollere. *Litigantes in persona comparere rectius jubentur*

§. CLXIX.

Illustres autem prudentius per mandatarios negotia sua peragunt.

In illustribus litigantibus vel sola dignitas haud sinit, ob leves quasvis causas ad latus cujusque de infima plebe adversarii se sistere. Quidquod inter ipsos illustres utrinque sibi dignitate æquales litigantes haud expedire videtur, disceptationibus aut saltem pacis congressibus coram interesse. Salva & integra quantum fieri potest Magnatum autoritas & amicitia conservanda. Utraque maximo in talibus congressibus periculo exponitur. Vix enim fieri potest, quin de rebus anteactis molesti jocis & ludibriis mixti spargantur sermones. Imprudenter faciunt Principes æquali potentia præditi meo quidem judicio, scribit *Cominæus* Comment. L. 3. p. 376. quod in collocutionem ipsi descendunt, nisi forte ea sint ætate, ut præter jocos & ludum nil spectent aliud. Nam posteaque grandiores evaserunt, & æmulatio aliqua cœpit inter ipsos oriri, quod fere fit, non est consultum, ut ipsi congrediantur, ac longe præstat, ut controversias, & quicquid est negotiorum curent per legatos, viros bonos atque prudentes componi.

§. CLXX.

Sine mandato procurator non admittitur.

Qui alieno nomine in judicio comparere cupit procurator, ante omnia de mandato accepto fidem facere tenetur, ne scilicet invitus ex facto alieno obligetur. Quam obrem sine mandato pro aliis ii saltem in judicio admittuntur, quorum acta a principalibus approbatum iri præsumitur, (quorsum spectant liberi, parentes, fratres & affines, maritus intuitu bonorum receptitiorum, socius litis L. 35. Dig. de procur. L. 2. C. eod.) & quidem prævia rati cautione, in iis saltem negotiis, quæ cum manifesto præjudicio haud sunt conjuncta, quippe quo casu speciali mandato simpliciter est opus. Fœminæ cum lege civili a postulando arceantur, multo minus cum sola rati cautione sine mandato admittuntur, utut mater sit aut litis consors. Pro minoribus rati cautio admittenda videtur, quia licet non soli, tamen cum tutore vel curatore possunt ratihabere. Præstatur rati cautio per fidejussores L. 2. §. 2. Dig. qui satisdare cogantur, imo in praxi haud raro per simplicem promissionem. Post factam litis contestationem cautio rati non exigitur, quia tunc tacite censetur remissa L. 40. §. 3. Dig. de procurator. Ex gestis ab eo, qui ex præsumto mandato agit,

hic

hic tum principali tum adversæ parti ad id quod interest, ipse autem principalis demum ex ratihabitione secuta obligatur.

§. CLXXI.

Mandati naturam & indolem jam dum de pactis L. 2. T. 9. §. 1. sqq. exposuimus, hic saltem specialia nonnulla mandati judicialis subjungemus. *Mandati indoles* Datur illud a principalibus, qui si minorennes sint, tutorum accedat autoritas & subscriptio. Possunt & soli tutores & curatores judicialia pupilli ac fœminarum curandarum negotia alicui mandare, qui tunc *actor*, & mandatum ipsi datum *actorium* vocatur. Quo casu non sufficit, solum actorium in judicio produxisse, sed tutorium seu curatorium simul producendum, nisi tutor aut curator coram eodem judice constitutus, tunc enim extractum ex protocollo sufficit. Universitatum procuratores *Syndici* vocantur, ipsorumque mandatum *Syndicatus*. Ad Syndicum constituendum omnia universitatis membra citanda, quorum duæ tertiæ partes ad minimum comparere vid. de pactis L. 1. T. 4. §. 168. & per plurima vota eligere tenentur. Syndicatui solum appositum universitatis sigillum sine subscriptione sufficit, si tamen universitas sigillo destituitur, omnes subscribere & signare tenentur *Brunneman.* ad L. 6. Dig. quod cujusque &c. nec sufficit nomen collectivum der Rath zu N. N. vel sämtliche Capitulares des Stiffts zu N. N. Si universitas actoris vice fungitur, constituentes beneficio divisionis renuntiare debent, alias Syndicus ad cautionem pro reconventione & expensis obstringitur. Id singulare est, quod urgente adversario, universitas invita Syndicum constituere cogatur, ne quis ob multitudinem adversariorum incommodo afficiatur. Clausula derer Nachkommen in Syndicatu est superflua, quia universitas non extinguitur, utut decesserint omnes, qui Syndici constitutioni interfuerunt.

§. CLXXII.

Fœminæ licet jure civili a procuratoris munere arceantur L. 1. §. 5. Dig. de postul. L. 18. C. de procurat. nec aliter quam in necessitatis casu pro parentibus & liberis L. 41. Dig. de procuratorib. aut ob favorem piæ causæ admittantur L. 3. §. 2. Dig. de liberat. caus. memorabile tamen ex-

 emplum,

emplum, quo Innocentius III. Papa Curiæ Romanæ procuratricem constituit Abbatissam Gandersheimensem contra Ecclesiam Hildesiensem, ut procuret, quæ coram Decano Paderbornensi *in judicio* fuerint procuranda, attigimus de pactis L. 2. T. 9. §. 548. Plures si eodem tempore procuratores ejusdem causæ constituuntur, expedit, nec omnibus conjunctim, nec singulis in solidum eam mandare. Priori enim casu neuter sine altero quicquam peragere valet, posteriori autem alter alterum præveniendo excludit. Præstabit igitur eos constituere conjunctim & separatim, samt und sonders, ut scil. vel omnes simul, vel unus reliquis impeditis negotium conficiat. Pluribus procuratoribus eidem causæ diverso tempore datis, posterior constitutio priorem tollit.

§. CLXXIII.

Requisita In formula mandati specifice exprimitur, quis procurator constituatur, a quo, contra quem, qua in causa, quo in judicio illa peragenda, prudenterque subjicitur vor allen und jeden Gerichten, wohin die Sache gedeyhen möchte, ne novo mandato in appellationis instantia sit opus. Actus etiam speciales in judicio suscipiendi, ii præsertim, qui cum præjudicio quodam sunt conjuncti, & speciale proinde mandatum, vel quod idem est, specialem in mandato expressionem requirunt *, diserte commemorantur. Utiles præsertim sunt clausulæ de facultate recipiendi citationes, quæ alias principali insinuandæ **, de facultate substituendi *** toties quoties e re videbitur, factasque substitutiones revocandi, substituto substituendi potestatem concedendi &c. Superfluæ autem sunt illæ rati, grati, indemnitatis, cum libera, sub hypotheca bonorum &c. Clausulam tamen cum libera confundendam non esse cum generali, præmissis actibus specialibus subjecta, de procuratore scil. admittendo, etiam ad reliquos non expressos actus, utut alias speciale mandatum requirant, & generalem hanc clausulam per cap. 4. de procurator. in 6. insigni effectu in mandatis judicialibus pollere, monui de pactis L. 2. T. 9. §. 551. Ubi defectu necessarii cujusdam requisiti mandatum laborat, mandatarius quidem sub rati cautione admittitur, ita tamen ut melior ipsi legitimatio injungatur. Nonnunquam principalis mandati loco procuratori saltem dat char-

chartam blancam subscriptam & signatam ****, quam tamen prius judex recipere non solet, quam integrum mandatum in eadem fuerit extensum.

* Quinam tales sint, difficulter satis determinatur. Litis contestatio affirmativa, utut cum præjudicio satis magno conjuncta sit, in praxi tamen sine speciali mandato peragitur. Econtra revocatio litis contestationis, utut cum minori præjudicio conjuncta videatur, speciale mandatum requirit. Quam ob rem saluberrimus est clausulæ generalis statim commemorandæ usus.

** Unde & hæc clausula a judice exigitur, si principalis alibi habitat, alias vero a principali prudenter omittitur.

*** Jure Camerali semper ab ipso principali in mandato aliquis substituendus, qui mortuo procuratore causam continuet Rec. Imp. 1654. §. 100. Post litis contestationem, cum procurator litis dominus censeatur, etiam sine speciali mandato substituere potest L. 23. C. de procuratorib. c. 1. de procur. in 6.

**** Chartæ blancæ abusus præcavendi ergo principalis subscribit Blanquet zur Vollmacht contra N. N. und Consorten si scil. plures sunt adversarii, qua clausula omissa, extensio contra reliquos fieri nequit.

§. CLXXIV.

Expirat mandatum sola alterutrius revocatione, pro lubitu suscipienda, quam diu res est integra, Vid. de pactis L. 2. T. 9. §. 553. sq. Quibusdam in judiciis optime constitutum, ne mandatarius prius causam mandatam deserat, quam alius fuerit constitutus. A mandante mandatum revocatur vel expresse, vel tacite, quod fieri intelligitur, quoties principalis ipse comparet, cap. 8. de procur. in 6. Quamobrem ne tacite mandatum revocatum censeatur, principalis comparens protestatione interposita declarat, comparitionem saltem assistendi causa, non animo revocandi fieri, der Vollmacht ohnbeschadet. Prodest etiam ipsi mandato inserere clausulam ne mandatum pro tacite revocato habeatur, si forte ipse principalis revocatio

 in

in judicio ſine interpoſita proteſtatione quid geſſerit. Morte mandantis mandatum pariter expirat *, niſi eidem inſerta clauſula heredum derer Erben und Erbnehmen, quæ quidem quoad præterita eſt ſupervacanea, cum heredes facta defuncti etiam ſine ea præſtare teneantur, quoad reliqua in judiciali mandato hoc effectu gaudet, ut proceſſus ſtatim ſine litis reaſſumtione continuari poſſit. Conf. Rec. Imp. 1654. §. 99. Mentio ſucceſſoris in regimine mandato inſerta vix quicquam operabitur. Anteceſſor enim cum ſucceſſorem obligare non potuerit, ſimpliciter nova a ſucceſſore mandatarii conſtitutio ſuſcipienda.

* Sic & actorium expirat Curatore mortuo, niſi curandus vel curanda mandato ſimul ſubſcripſit, tunc enim novi Curatoris ſubſcriptione non opus.

§. CLXXV.

Actionum definitio

Finis, ob quem actor in judicio vel ipſe vel per procuratorem comparet, eſt actionis inſtitutio & proſecutio. Actio vero hic nobis denotat querelam ſive juris competentis allegationem in judicio propoſitam *, & differt a prætenſione in ſenſu hodierno politico accepta, (nam in ſenſu vere Latino quemvis prætextum denotat) eo quod prætenſio inter illuſtres ſuperiorem non agnoſcentes, actio inter privatos proprie datur. Actio enim ſuperiorem vel ſaltem judicem involvit, prætenſiones autem proprie ſunt deſideria eorum, qui ſuperiorem non habent, de re quam vel alii poſſident, vel certe in cujus poſſeſſione prætendentes nondum ſunt, publice ſignificata, & prætextu juris munita. Unde & alia ſe prodit differentia, quod prætenſiones ſint rerum quas prætendentes non poſſident, actiones autem inſtitui poſſint etiam ſuper rebus ab actore poſſeſſis. Conf. *Thomaſ.* Specim. Jurisprud. judic. p. 78. ſq. Vulgari tamen ſermone prætenſiones quoque privatis applicantur, nec vice verſa crimen erit, actionum nomen ſummorum Principum querelis arbitrorum ſententiæ commisſis applicare.

differentia a Prætenſionibus

* Hæc *actionis* notio media quaſi eſt inter generaliorem, qua omnem viventis operationem comprehendit, & *paſſioni* opponitur, & ſpecialiorem, qua perſonalem ſolam denotat & opponitur tum

peti-

petitioni, quæ in rem actiones significat, tum *persecutioni* quæ extraordinarias seu prætorias actiones innuit L. 178. §. 2. Dig. de Verb. Signif. L. 28. Dig. de Obl. & Act.

§. CLXXVI.

Actiones commode satis dividuntur in civiles, aut quod mallem persecutorias, & criminales sive pœnales. Persecutoriæ sive civiles sunt, quibus id, quod nobis de patrimonio* nostro abest, persequimur, criminales quibus de crimine ad pœnam & vindictam agitur. Neutra harum alteram excludit, sed cum utraque ad diversum tendat, seorsim quævis potest institui. Actiones civiles oriuntur vel ex jure personarum, vel ex jure in re, vel ex jure ad rem. Hæ personales, illæ reales, istæ præjudiciales vocantur. In genere quidem præjudiciales actiones vocantur, de quibus prius & ante causam principalem judicandum, quorsum omnes actiones præparatoriæ spectant, etiam illa ad exhibendum, licet sit præparatoria actionis realis. κατ' ἐξοχὴν autem præjudiciales vocantur, quæ ex jure personarum dantur inter dominos & homines proprios it. inter conjuges, inter parentes & liberos e. c. de partu agnoscendo inter imperantes & subditos. *Sunt vel civiles vel criminales*

* Patrimonium late hic accipio, quatenus comprehendit dignitates, bona, & jura cuncta nobis competentia.

§. CLXXVII.

Actiones reales illas vocavimus, quæ ex jure in re, personales autem quæ ex jure ad rem oriuntur. Hoc illud idem est, quod dicit *Ulpianus* in L. 25. Dig. de Obl. & Act. Actionum genera sunt duo, (nos tertium præjudicialium constituimus, quas in rem esse non satis accurate dicitur §. 13. Inst. de Actionib.) in rem, quæ dicitur vindicatio, (latius accepta, quæ & actionem confessoriam ac negatoriam, hypothecariam, hereditatis petitionem &c. comprehendit) & in personam, quæ condictio appellatur. In rem actio est per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur. petimus, & semper adversus eum, qui rem possidet, (aut dolo possidere desiit, quia is pro possessore habetur & damnatur L. 131. de R. J.) In *Ex civilibus reales*

perso-

personam actio est, qua cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid vel dandum, & semper adversus eundem (ejusque heredes, non autem adversus tertium) locum habet. Inter actiones in rem & personam medium quasi genus constituunt actiones in rem scriptæ, quæ re ipsa in personam quidem sunt, simpliciter tamen & absolute sine ullius personæ notatione scriptæ & conceptæ sunt e. c. actio quod metus causa L. 9. §. 8. Dig. quod metus caus. actiones noxales L. XI. Dig. de nox. act. §. 5. Inst. eod. aquæ pluviæ arcendæ L. 6. §. 5. & L. 12. Dig. de aqua & aq. pluv. arc. act. it. Retractus consanguinitatis, judicia familiæ erciscundæ, communi dividundo, finium regundorum. Hoc mixtum est ex jure in re & quasi delicto, illa ex jure in re & quasi contractu seu potius tacito contractu. Sic & interdicta omnia licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt L. 1. §. 3. Dig. de interdict. excepto interdicto unde vi. Conf. Real. Princip. Jus L. 4. T. 2. §. 465. de actione ad exhibendum dicenda in fin. §. 179.

§. CLXXVIII.

vel petitorium vel possessorium concernunt

Actiones reales vel petitorium vel possessorium concernunt. Petitorio judicio ipsum rei dominium vindicamus, possessorio de possessione adipiscenda, retinenda recuperandave agimus. Bene observat *Thomasius* Spec. Jurispr. Judic. p. 89. discrimen petitorii & possessorii ad actiones reales pertinere, at personalibus inepte applicari. Quod vero porro inde elicit, nec controversiis super præcedentia petitorii & possessorii discrimen esse applicandum, non omnino inde sequitur. Non enim semper, imo rarissime lites de præcedentia habent indolem actionis personalis, neque ex pacto, neque ex delicto oriuntur, plerumque propius accedunt ad jus reale prædio, territorio, vel officio inhærens, atque tunc nulla idonea apparet ratio, cur non æque admittenda sit quasi possessio præcedentiæ, ac aliorum jurium & rerum incorporalium. Aut si ad res incorporales præcedentiam referre grave tibi videtur, quid obstat, quo minus eam ad jura ex statu personarum oriunda, atque ad actiones præjudiciales referamus, & dicamus tamdiu aliquem in possessione status sui esse relinquendum, donec injuste illum esse arrogatum ostendatur. In judicio Imperii Aulico Comes Solmensis d. 11. Jul. 1738. impetravit contra Comites Isenburgenses

& Stol-

& Stolbergenses Mandatum sine clausula sub pœna decem Marcarum auri de non turbando in possessione vel quasi juris præcedendi. Ceterum judicii petitorii & possessorii inter summos etiam Principes usum vindicavimus Tit. 1. §. 19. Tit. 6. §. 183. sqq. & in Reali Princ. jure L. 4. T. 1. §. 454. imo & subditis contra Principem ibid. §. 451.

§. CLXXIX.

Actione personali ab aliquo petimus id, quod nobis vel ex certa causa, pacto scil. aut delicto debet, vel quod de nostro patrimonio apud eum sine causa existit. Quæ distinctio affinitatem quidem habet, non tamen plane coincidit cum illa *Ulpiani* in L. 25. §. 1. Dig. de Obl. & Act. dum, actionum, ait, quædam ex contractu, quædam ex facto, quædam in factum sunt. Ex contractu actio est, quoties quis sui lucri causa cum aliquo contrahit. Ex facto actio est, quoties ex eo quis teneri incipit, quod ipse admisit, veluti furtum vel injuriam commisit, vel damnum dedit. In factum actio dicitur, qualis est e. c. actio quæ datur patrono adversus libertum, a quo contra Edictum Prætoris in jus vocatus est. Scilicet apud Romanos regulariter tum ex contractu, tum ex delicto speciales certisque nominibus insignitæ dabantur actiones, quæ cum in contractibus innominatis deficerent, dabatur actio præscriptis verbis, quæ & incerti & incerta vocatur, quod nec certum nomen habet, nec ex certa & definita conventione descendit. Ubi neque hæc quadrabat, Prætor succurrebat actione in factum ex variis causarum figuris oriunda, ut loquitur JCtus in L. 1. Dig. de Obl. & Act. quæ actio & locum habebat, quoties in delictis actio specialis deficiebat. Conf. L. XI. & tot. tit. Dig. de præscript. verb. §. ult. Inst. de L. Aquil. Erat igitur actio in factum subsidiaria, deficiente ordinaria actione competens. Hodie specialia actionum nomina tam anxie non requiruntur, sed ex quovis negotio obligatorio agi sinitur, quod revocavimus ad causam *debiti*, sive ex pacto *, sive ex delicto **, & causam *indebiti*, quorsum condictiones pertinent.

Personales oriuntur vel ex causa debiti sive ex pacto sive ex delicto.

* Quæ ex pacto oriuntur actiones subdividuntur in directas & contrarias. Directa seu principalis dicitur, quæ ex fine principali, quare negotium est initum, oritur, ut in deposito, commodato, ad illud reddendum, in tutela ad rationes reddendas vid. L. 1.

T. 2. §. 36. Contraria est, quæ datur ad indemnitatem contra eum, cui principalis actio competit. Alio paulo sensu actio directa opponitur illi quod jussu, sive de peculio, alio adhuc actioni præparatoriæ.

** Actio Pauliana, qua creditores, quorum in fraudem bona sua debitor alienavit, perinde ac si nunquam a debitore tradita fuissent, eadem revocant, realis vulgo putatur, sed rectius personalis dicitur ex delicto oriunda arg. L. 1. §. 26. Dig. si quid in fraudem patroni &c. Requiritur enim in actione Pauliana, ut emtor sciens rem talem emerit L. 9. Dig. quæ in fraud. Creditor. Unde in L. 38. §. 4. actio Faviana (quæ revocat alienata in fraudem patroni) pariter ac Pauliana inter actiones personales collocatur, (indeque rarior hodie actionis Paulianæ usus cernitur, quia creditores rebus a debitore fraudulenter alienatis arrestum imponendo melius sibi consulunt. Vid. *Titius* ad Lauterbach. Obs. 1077.) Nec obstat, quod Pauliana in §. 6. Inst. de Action. inter reales poni videatur. Non enim id ideo factum, quasi realis reputetur, sed quia cum de rescissoriis persecutionibus incidisset tractatio, hanc noluit præterire. Interim si in rem scriptam eam vocare mavis, non vehementer repugnabo. Sic & actio ad exhibendum, per quam, qui in rem acturus est, ejus rei sibi in publico potestatem fieri postulat, vulgo a Doctoribus in rem scripta vocatur, diserte tamen ab *Ulpiano* in L. 3. §. 3. ad exhibendum personalis dicitur, & ex delicto oriunda videtur. Dolose enim facit, qui admonitus rem noluit ei, cujus interest, exhibere. Illustria exempla institutæ actionis ad exhibendum adduxi de matrimon. Tit. 37. §. 497. & de patr. pot. Tit. 10. §. 221. sqq.

§. CXXC.

vel ex causa indebiti, quorsum

Sunt enim condictiones proprie * nil aliud quam actiones, quibus res in alium translata ob deficientem translationis causam ab eo repetitur. Unde condictio sine causa reliquas tanquam species sub se comprehendere videtur, tales sunt condictio indebiti, causa data non secuta, ob turpem cau-

causam, condictio furtiva **, condictio incerti, de qua L. 5. §. 1. & L. 8. princ. Dig. de actionib. emti. Sic & feudum post feloniam commissam non vindicari, sed condici dicitur. Ac prædia nobilium immediatorum jure retractus revocantur condictione ex privilegio, quæ licet in se personalis sit, in rem tamen scripta censetur. Vid. de pactis L. 1. T. 13. §. 388. & ratione subjecti passivi participat de natura realium actionum, ita ut hac in actione semper & res & possessor respiciatur, illaque adversus quemcunque possessorem competat, licet per mille manus ambulaverit. Videtur enim rem ipsam quodammodo afficere, qualificare, eidemque jus reale quasi imprimere. Conf. *Knipschild* de Nobil. L. 3. c. 9. n. 144. *Harprecht.* Respons. 95. n. 91. *Imman. Weber.* de Retractu Nobilium Imp. §. 19. Haud forsan male diceretur, alienationem talis prædii extraneo factam nullitate quadam laborare, nec dominium in extraneum translatum, amissum tamen esse ab alienante ipsius delicto, adeoque suo modo jam penes proximum retrahentem existere, cujus condictio magis vindicationis, quam actionis personalis naturam imitatur. Imo si repetitionem & condictionem rei sine causa in alium translatæ, atque adhuc extantis, in naturali sua simplicitate consideres, parum a vindicatione illa distabit, quia dominii translatio eo ipso, quod erronee, aut sine causa, vel sub conditione facta, eadem cessante, est nulla. Conf. *Coccej.* de jure pœnitendi in contractib. Sect. 5. §. 5. Ubi autem non tam ipsa res translata, (utpote quæ forte jam consumta, aut aliis confusa, aut commixta est) quam ejus pretium condicitur, condictio mere est personalis.

* Olim condictio dicebatur, quando partes sibi diem condicebant, quo in judicio comparere vellent, quod & realibus actionibus erat commune. *Hotoman* ad §. 15. Inst. de Action. postea condictio vindicationi opponebatur, & denotabat actionem personalem, in sensu specialiori autem illam, qua dari quid debere contenditur L. 9. Dig. de reb. Cred. §. 15. Inst. de Action. quo sensu datur ex pacto nudo condictio ex moribus it. condictio ex chirographo, condictio ex lege Vid. Tit. Dig. de Condictione ex Lege L. 21. Dig. de donat. it. condictio Triticaria, qua res præter pecuniam a judice æstimandæ sibi ex quacunque causa dari debere intenduntur tot tit. Dig. de Condict. Triticar. κατ' ἐξοχὴν

actio mutui vocatur condictio pr. Inst. quib. mod. re contrahitur obl. Sed omnes hæ significationes a nostra præsenti maximeque communi sunt diversæ.

** Quæ id peculiare habet, quod licet alias condictio tanquam actio personalis institui debeat a non-domino, & dominus rem suam condicere nequeat, h. e. petere, ut rei fiat dominus, cum jam ejus dominus existat, in furum tamen odium condictio furtiva domino, qui & vindicandi facultatem habet, conceditur §. 14. Inst. de Act. & tit. Dig. de Condict. furtiv. Ob simile criminis odium depositarius depositum negans L. 13. §. 1. Dig. depos. Creditor pignus post factam solutionem restituere recusans, condictione tenetur L. 4. Dig. de reb. creditis. Subesse autem potest causa præeligendæ condictionis furtivæ præ rei vindicatione, quia condictio datur & ad æstimationem ejus, quanti plurimi res fuerit postquam ablata, quia fur semper in mora constituitur.

§. CXXCI.

Actiones pœnales vel criminales

Actiones pœnales seu criminales generaliori ambitu vocantur, quibus ob crimen ad pœnam & vindictam agitur. Curatius tamen ita a se invicem distinguuntur, ut *pœnales* dicantur, quæ tendunt ad pœnam privatis applicandam, *criminales* vero, quæ ad publicam.

§. CXXCII.

mixtæ

Mixtæ denique actiones sunt, quæ duplicis generis naturam induunt e. c. quæ rem & pœnam simul persequuntur it. quæ & in rem & in personam dantur, & ubi uterque est & actor & reus, ut in actione familiæ erciscundæ, communi dividundo, finium regundorum, quæ & propterea duplicia audiunt.

§. CXXCIII.

Modus procedendi

Varias lustravimus actionum divisiones. Proximum est ut videamus modum & ordinem, quo proponi & deduci in judicium debent. Cum finis judiciorum sit, ut lites per judicis sententiam definiantur, hoc autem fieri

fieri nequeat, nisi judici de causæ meritis constet, maxime conveniens erit, ut eo ordine & modo litigantes jura sua proponant, quem ipse judex liti decidendæ aptissimum judicat. Non unam eandemque omnium causarum habere rationem, suadet imo postulat, nunc peculiaris personarum favor e. c. quando de miserabilium personarum tutela & alimentis agitur, nunc ipsa causæ indoles, prout vel principalis vel præparatoria, petitoria vel possessoria, nunc probandi genus, prout vel documenta vel testes vel juramenta adhibentur. Ne tamen ex libero circa singulas causas arbitrio judices ansam affectibus indulgendi, & quibusdam causis præ aliis ex inordinato personarum odio vel amore favendi arripiant, legislatores passim certis causarum generibus certos procedendi modos præscribunt, ex quibus is, qui regulariter adhiberi præcipitur, ordinarius vocatur, reliqui autem, quibus in causis exceptis locus relinquitur, extraordinarii vel summarii. Ex quo intelligitur, discrimen judicii sive processus ordinarii & summarii supponere propositam quandam judicii ordinationem.

§. CXXCIV.

Sagacioribus legislatoribus placuit

I. pro ordinario procedendi modo, quo regulariter causæ ventilari debeant, talem præscribere, in quo adhibeatur α) libellus solennis, cujus nota characteristica & differentia a minus solenni inprimis in petitione litis contestationis consistit β) litis contestatio cujus requisita sunt, ut fiat *clare* per *affirmat* aut *negat* in propriis, & *nescit* in alienis factis, *specifice* ad singula libelli capita, & *pure* sine additamentis * ohne Anhänge γ) probatio & reprobatio solennis articulis nimirum includenda, & adversario ad danda interrogatoria communicanda. *& usitatiora ejus genera*

II. Ubi publicæ utilitatis aut piæ causæ favor aut periculum in mora subest, vel causa saltem est præparatoria ** aut possessoria, ut processu summario procedatur, h. e. tali, ubi loco libelli solennis sufficit qualiscunque congrua petitio, loco litis contestationis qualiscunque responsio intelligibilis etiam generalis, & cum additamentis (unde in summario non petitur litis contestatio, sed Einlassung und Antwort,) loco probationis & reprobationis Beweiß und Gegenbeweiß, nuda demonstratio

 & con-

& contra demonstratio Bescheinigung und Gegenbescheinigung, quæ adversario non communicanda, nec præcise articulis includenda, sed per summariam testium depositionem, per documenta simpliciter oblata, per rotulos in alio judicio confectos peragi potest.

III. Quoties debitum est liquidum vel ex propria debitoris confessione, vel judicato, vel instrumentis guarentigionatis ut processu executivo agatur, ab eoque exceptiones altioris indaginis exulent, & in reconventionem rejiciantur. Unde ibi saltem petenda Einlassung und Recognition, qua secuta executio fit in res debitoris. Ex Cambio autem sola recognitio petitur, qua facta reus tamdiu arresto personali detinetur, donec solvat. ***

IV. Si super possessione novissima seu præsenti & momentanea † lis oritur, ut processu possessorio summarissimo †† agatur, ubi probatio soli judici facta, imo imperfecta, unius testis juratus vel duo injurati sufficiunt, & integrum est judici, statim in primo termino, si probatio tunc peracta, sententiam ferre, a qua jure Canonico quidem c. 10. 15. X. de restitut. spoliator. non autem jure civili appellatio admittitur L. un. C. si de moment. possess. quia datur recursus ad possessorium ordinarium ††† & petitorium, quæ singula inter se invicem distincta vide in Ord. Cam. part. 2. tit. 21. §. 3. Id tamen probe notari velim, in Ordinatione Camerali causas extraordinarias non sumi Synonimice pro summariis, sed extraordinarias illas vocari, quæ in audientiis extraordinariis (quas dudum desiisse constat) utut processu ordinario tractabuntur. Vid. Ord. Cam. part. 3. tit. 2. sqq. Sic in audientiis extraordinariis tractabantur causæ fractæ pacis publicæ it. nullitatum, quæ tamen semper processu ordinario fuerunt disceptatæ.

* Sic vitiosa est litis contestatio ita concepta Beklagter negirt, daß er Klägern vorsetzlich geschlagen. Sed ita est concipienda. Affirmat, daß er Klägern geschlagen. Negat daß es vorsetzlich geschehen.

** Hinc si restitutio in integrum e. c. contra sententiam petitur, num illa indulgenda, summarie cognoscitur. At ipsa prosecutio,

tio, quia causæ principalis examen conjunctum habet, ordinario modo peragitur.

*** Processus hic executivus, Romanis incognitus, Germanorum moribus originem debet. Ejus speciem constituit processus mandatorum in Camera Imperiali it. processus Arresti in Saxonia, de quo Land-R. L. 1. art. 70. vi cujus creditor, credito demonstrato, quodque debitor ære alieno laboret, arrestum (seu jus quoddam reale in bonis debitoris) petit, impetratum binis vicibus ab una quaterdena ad alteram prosequitur, & cum ultima prosecutione libellum arrestatorium die Kummer-Klage judici offert, ac debitorem citari & justificationi terminum constitui petit, in eoque creditum plane probat.

† Momentanea vocatur, quia solus ultimus possessionis (utut vitiosæ, clandestinæ, ac violentæ) actus, non autem diuturnitas, titulus, & antiquitas spectatur. Desumta forte est hæc denominatio ab actione possessionis momentaneæ, cujus mentio injicitur L. 3. C. qui legitimam personam L. un. C. si de momentan. possess. L. 8. C. unde vi, a qua tamen differt eo, quod dicta actio Romana tendebat ad *recuperandam* possessionem, unde quis vi erat dejectus, nostrum vero possessorium summarissimum ad retinendam possessionem. Vocatur & *asinarium*, quia alia ejus causa & titulus haud datur, quam ipsa possessio, sicut asinus solo incumbens nullam possessionis suæ reddit rationem. In Belgio imo & Germania passim dicitur decretum provisionale, Hispanis Interim, Lusitanis auxilium chartæ tuitivæ Regalis. De cetero confundendum non est cum interdicto uti possidetis juris Romani, in quo requiritur, ut actor nec vi nec clam nec precario possideat, quæ circumstantiæ in possessorio summarissimo non curantur.

†† Originem possessorii summarissimi multi quærunt in metu armorum, tumultus, ac seditionis post abrogatas diffidationes arg. Ord. Cam. part. 2. tit. 21. §. 3. indeque ægre ferunt, quod non-nullis

nullis in locis, ut in Saxonia per Decis. de 1661. & Ord. Proc. Recogn. App. §. 19. etiam extra casum armorum possessorio summarissimo locus relinquatur. Vid. *Berger.* Elect. proc. possess. §. 3. *Ludolf.* de Jur. Camer. p. 69. *Engelbrecht.* de Servit. Jur. publ. p. 375. Solus tamen possessionis favor hanc legislationem satis tuetur.

††† Judicium possessorium, in quo de antiquiore & justiore possessione quæritur, usu fori *ordinarium* vocatur in oppositione ad momentaneum, (quod summarium imo summarissimum audit, & de ultimo possessionis actu quærit) sed *summarium* vocatur in oppositione ad petitorium, quod κατ' ἐξοχὴν ordinarium dicitur. Nam secundum juris analogiam omnis processus possessorius sua natura, & tanquam petitorii præparatorius est summarius, & proinde parum accurate ordinarius vocatur. Ceterum qualis causa fuit in prima instantia, talis & manet in instantia appellationis, judex enim appellationis succedit in locum judicis a quo.

§. CXXCV.

contra Ludolfum Patet ex dictis, discrimen inter processum ordinarium & summarium, & summarii iterum in talem in specie sic dictum, executivum, cambialem & possessorium summarissimum speciali quidem lege, & processus ordinatione niti, sua tamen justitia & æquitate non destitui, cum ipsa diversarum causarum indoles eidem ansam præbuerit. Discrimen processus ordinarii, executivi & possessorii momentanei hactenus quod sciam a nemine improbatum, aut iniquitatis accusatum. At differentia inter ordinarium & summarium displicet Dn. *Ludolfo* de Jure Cameral. p. 84. usque 97. ubi illam vel logomachicam, vel ineptam, imaginariam, inutilem, judiciisque bene constitutis indignam censet. Mens Celeberrimi Auctoris, ni fallor, huc redit, differre quidem petitorium & possessorium ratione objecti, non autem ratione modi procedendi, utrumque eodem modo debere tractari, neutrum esse protelandum, nec celeriter nimis ac tumultuarie tractandum, idemque de aliis causis, quæ ob specialem favorem passim summariis annumerantur, esse sentiendum.

§. CXXCVI.

§. CXXCVI.

At enim vero etiamſi ſtatuamus, modum procedendi in judicio a legislatoris lubitu pendere, & pro ejus arbitrio poſſe variare, fruſtra tamen inde colligitur, cauſas nimium vel protelari vel præcipitari. Majori jure diceretur, ipſam cauſarum indolem, quarum nonnullæ majoris aliæ minoris ſunt præjudicii, nonnullarum juſtitia magis aperta & palpabilis, aliarum magis abſtruſa, obſcura, atque altioris indaginis, hanc inquam cauſarum inæqualitatem repugnare æquali procedendi modo. Sed nolumus huc prolabi. Quam enim cauſarum diverſitas proceſſus diverſitatem ſuadere, aliæ cauſæ inprimisque inſtantiarum vel proceſſuum multiplicatio diſſuadere poterit. Quamobrem ſaltem procedendi modum a mero legislatoris arbitrio pendere, & pari juſtitia pro lubitu nunc ubivis eundem, nunc in cauſis diverſis diverſum præſcribi aſſerimus. In Camera Imperiali eundem procedendi modum in petitorio pariter ac poſſeſſorio recte adhiberi, Ludolfo concedimus * & in ipſa Saxonia, ubi antea diſcrimen proceſſus ordinarii & ſummarii inprimis erat conſpicuum, ſummarium per Ord. Proc. Recogn. d. 1724. App. §. 1. plane abrogatum & ſublatum novimus. Sed & viciſſim iis quoque legibus, quæ petitoriis cauſis alium, & poſſeſſoriis ceterisque peculiarem favorem merentibus alium procedendi modum præſcribunt, ſuam pariter conſtare putamus juſtitiam & æquitatem. Siquidem poſſeſſorium eſt petitorii præparatio, & minoris proinde præjudicii. Quid mirum igitur, ſi in eodem celerius procedi, leviores probationes admitti, easdem adverſario non communicari ſinit legislator, cum ſi quod exinde adverſario præjudicium oritur, in petitorio iterum poſſit tolli, quod vero ex duplici inſtantia vel proceſſu oritur incommodum, poſſeſſionis, quam celeriter determinari expedit, aliove favore compenſetur. Quare etiam in poſſeſſorio celerius e. c. probatione adverſario haud communicata, in petitorio autem circumſpectius, & proinde diuturniore mora procedatur, neutro tamen caſu quicquam nimis protelatur aut præcipitatur. Majus quippe minusve, quod ſubeſt, præjudicium diverſam quoque admittit procedendi rationem. Spuriæ denique judicii ordinarii & ſummarii differentiæ, quas operoſe ſibi convellendas ſumſit Ludolfus, non ipſi diſcrimini, ſed auctoribus ſuis nocent.

* Omnes processus in Camera sunt vel citationis vel appellationis vel mandatorum, in duobus prioribus ordinario modo proceditur. Ultimam speciem esse processus executivi dixi §. 184. Decernuntur autem mandata vel cum vel sine clausula justificatoria Vid. Real. Princip. Jus L. 4. T. 2. §. 467. Sine clausula si factum per se de jure vel consuetudine prohibitum, si factum imploranti damnum irreparabile affert, si causa in perniciem Reipublicæ tendit, aut moram non patitur. Ord. Cam. part. 2. tit. 23. De utriusque natura participat mandatum mixtum super diversis punctis, seu ut *Blumius* mavult, mandatum duplex in eodem processu cumulatum e. c. inhibitorium sine & restitutorium cum clausula justificatoria. Vid. *Textor* ad Rec. Imp. 1654. diss. 7. §. 23.

§. CXXCVII.

imo subditis contra Principes prosunt.

Vindicato sic dicto judiciorum discrimine, dispiciendum, num jura inde resultantia etiam subditis prosint in controversiis, quæ ipsis cum suis Principibus intercedunt. Dubitandi ratio hæc est, quia illa discrimina originem debent judiciorum ordinationibus, quæ cum mere civiles sint, sua natura subditos stringunt, legislatores non item, cumque subditi contra imperantes nulla vi coactiva gaudeant, neque eos invitos in jus vocare valeant vid. Tit. 2. §. 34. multo minus ad judiciorum ordinationes adstringere poterunt. Nihilosecius eo ipso; dum Princeps a subditis se conveniri patitur, suasque causas dicasterio certo submittit, etiam tacite in ordinem procedendi ibidem vel lege vel consuetudine receptum consensisse videtur. Unde ex instrumento guarentigionato executive contra Principem agi posse, hoc effectu, ut exceptiones altioris indaginis in reconventionem sint rejiciendæ, optime respondit Facultas Jurid. Viteberg. 1672. apud *Ziegler.* de Jur. Maj. L. 1. c. 1. §. 21. in fin. Hinc porro plenario judicii possessorii commodo contra Principem subditus non erit privandus. Vid. Real. Princip. Jus L. 4. T. 1. §. 451. Quod enim possessio possessorem contra quemvis, qui fortius jus docere nequit, tutum præstat, maxime naturale est, & a lege civili causæ possessoriæ brevior saltem & celerior ordinario procedendi modus accedit, qui ut subditi commodo etiam con-

contra Principem cedat, ipse Princeps consentire videtur, dum causam ad tale judicium deferri patitur, cui in possessoriis causis alius quam in petitoriis ordo est præscriptus.

§. CXXCVIII.

Comparatio processus oralis & scripti

Primus itaque actus ab actore in processu suscipiendus est narratio gravaminis, quod quis contra adversarium habet, cum subjuncta de eodem tollendo petitione, quæ vulgo libellus eine Klage vocatur. Proponitur illa, quantum ad formam externam attinet, vel in scriptis vel oretenus, prout legislatoribus in judiciorum ordinationibus constituere placuit. Utrumque sua habet & commoda & incommoda. Brevior & expeditior est processus oralis scripto. In scriptis vero causarum momenta curatius proponuntur *, facilior tamen ex scriptis cavillandi voculasque captandi ansa arripitur. Non modo Germani sed & ipsi Romani quondam orali processu sunt usi, mox tamen ad abusus tracto. Nunc Oratores orationibus prolixis, ad aures demulcendas magis, quam rei gestæ veritatem, ac justitiam deducendam aptis, causas orabant. Nunc invalescente Jurisprudentia formularia vocum apicibus adeo inhærebatur, ut si quis quoad formulas actionum in syllaba errasset, causa caderet. De hodierno declamationum in foris abusu Italia, Gallia, Anglia, multaque Germaniæ tribunalia testantur. B. quidem *Thomasius* Cleri artibus factum putat, quod in Germania processus scriptus & clandestinus loco oralis & publici fuerit introductus. Sed si saltem hæc gloria ad Clerum spectat, certe is male propterea audire non deberet. Uterque processus cum sua habeat commoda & incommoda, eo allaborandum, ut retineantur commoda, resecatis vel imminutis incommodis. Inter privatæ sortis homines satius foret, partibus coram in persona adcitatis, cuncta oretenus a quovis pro captu suo proponi, atque ab Actuario in ordinem digesta chartæ mandari, iterumque prælegi, factaque desuper monita seorsim iterum consignari, exclusa omni advocatorum opera. In Principum causis sicut per dicta §. 169. procuratores, ita & scripta exhibita facilius admittenda videntur, ne principalibus præjudicium creetur ex verbis, quæ alii præter ipsorum forte mentem protulerunt.

* Prisci Ægyptii Oratorum arte, verborum vultusque lenociniis, & lacrimis periclitantium judices facilius a recto veroque judicio averti censuerunt, & in scriptis forenses controversias agitari maluerunt, teste Diodor. Siculo Biblioth. L. 2.

§. CXXCIX.

Libelli requisita. Forma interna libelli requirit perspicuam Actoris petitionem, ut ex eadem appareat, quis *, a quo, coram quo judice, quid ** & quo jure *** petat. Olim articulati libelli erant in usu, qui tamen aboliti, & in ipsorum locum simplex facti narratio cum subjuncto petito substituta Rec. Imp. 1654. §. 34. 64. Ubi diversa processuum genera lege sunt introducta, prohiberi solet, ne diversa in eodem libello cumulentur. Unde ineptus reputatur libellus in quo & editio & recognitio documenti simul petitur. Editio enim est processus ordinarii, recognitio executivi it. in quo recognitio documenti petitur & simul juramentum defertur, illa enim est processus executivi, hoc ordinarii. Eandem ob rationem plerumque haud finitur possessorium petitorio e. c. interdictum uti possidetis cumulari cum actione confessoria vel negatoria, quia illius causa est summaria, hæc ordinaria. Talem tamen cumulationem in summis Imperii tribunalibus admissam in causa Teutschmeister contra Oettingen, Maynz contra Erfurt, Ingelheim contra Pfalz ex *Meichsnero* Decis. Cam. Tom. 2. L. 1. Dec. 6. *Magero* de Advocat. armat. c. 17. n. 33. *Ruland.* de Commissar. P. III. L. 4. c. 4. docet *Engelbrecht* de Servit. Jur. publ. Add. *Klock.* de Contribut. c. 19. num. 428. sq. Cujus rei ratio facile intelligitur ex dictis §. 186. Si in libello promiscue petitorii & possessorii merita narrantur, talis reputanda est actio, qualis petitio libello subjuncta. Salutari etiam clausulæ, qua nobile judicis officium imploratur, hanc vulgo vim tribuunt, ut propterea libellus, ex quo actoris quidem intentio apparet, qui tamen ob neglecta quædam solennia alias pro inepto esset habendus, sustineatur. At sola vox *Desuper* libello subjuncta clausulæ salutaris vim non habere videtur *Ludolfo* de Jur. Cam. p. 445. Plane si tolerari nequit libellus, mutatione poterit succurri, quæ jure civili usque ad sententiam permittitur §. 36. 37. Inst. de Action Jure Saxonico antiquo usque ad Guarandam præstitam Land-R. L. 1. art. 63. eadem vero in Ord. Proc. Recogn. tit. 12. 13.

12. 13. abrogata, donec ſuper litis conteſtatione ſententia lata, & probatio injuncta.

* Et quidem ſpecifice, num pro ſe an pro alio. Hinc in cauſa Ulm contra Rechberg 1590. cum Ulmenſes jus paſcendi vicinis locaſſent, & hi in jure illo pignorarentur, in inſtituta autem deſuper querela non exprimeretur, cui facienda ſit reſtitutio, Camerales proceſſum denegarunt, rati tamen, facile decerni poſſe mandatum, ſi actores ſibi reſtitutionem fieri peterent, cum conductores nomine locatorum poſſideant, & ſic Ulmenſes teneantur illis ad intereſſe, ipſique turbentur. *Schwanneman.* Obſ. pract. L. 1. c. 76. ex eoque *Bucholtz* de pignorationib. Statuum §. 29.

** Hinc fructus & uſuræ, ni diſerte petantur, a judice non adjudicantur. Expenſas haud petitas poteſt judex adjudicare, ſed non tenetur.

*** Hinc rejicitur libellus in actione reali, ſi ſpecies juris in re nulla expreſſa, in perſonali autem ſi nulla vel generalis nimis debendi cauſa expreſſa. It. paſſim ille in quo contra tertium poſſeſſorem hypothecæ, alternative debiti ſolutio aut hypothecæ ceſſio petitur, quia tertius perſonaliter ad debiti ſolutionem non eſt obligatus. It. in actione injuriarum, ſi tempus injuriæ commiſſæ haud expreſſum, quia injuriarum actio ſaltem eſt annalis Conf. L. 3. Dig. de Accuſ. It. ſi in Camera Imp. ſimpliciter ſupplicatur pro mandato citra expreſſionem an illud impetratum velit ſupplicans cum an ſine clauſula.

§. CXC.

Si actoris petitum nullo viſibili vitio laborat, eidem defertur & decernitur citatio vel mandatum, ſin vanum apparet petitum, ſimpliciter denegatur. Sin vitium tale eſt, quod tolli & emendari per mutationem poteſt, de eadem actor admonetur. In Camera Imperiali ſi vitium eſt in petito decernitur: Wie gebethen abgeſchlagen, ſin in facti narratione: auf vorgebrachte narrata abgeſchlagen. Si denique defectus non tam ex *effectus*

malitia, quam ſimplicitate & inſcitia ſupplicantis manavit, ejusdem admonetur hoc modo: noch zur Zeit abgeſchlagen, ſondern wofern Supplicant die petitionem ſupplicationis e. c. nicht nur ad citandum, ſondern auch ad reſtituendum einrichten wird it. wofern ſupplicant gebührend beſcheinigen wird, ſoll alsdenn ferner darauf ergehen, was recht iſt.

TITULUS VII.

DE

Reo ejusque Exceptionibus.

* *
*

Rei citatio ne quidem in cauſa cum Principe omittenda. Qua facta, ni contumax haberi velit, litem conteſtari, & exceptiones ſuas opponere debet. Sunt illæ vel dilatoriæ vel peremtoriæ. Hæ debitum vel negant, vel jam dum extinctum interſerunt. Illæ vel forum declinant, vel litem differunt *nunc* ob vitium in libello, citatione, aut actore deprehenſum, *nunc* ob privilegium rei, quorſum ſpectat exceptio moratorii, cujus exempla ipſis Imperii Statibus conceſſi paſſim ſunt obvia. Affi-

Affines exceptionibus ſunt reconventio, litis denuntiatio & interventio. Reconventio regulariter in ſolis cauſis connexis inter ipſos etiam Principes obtinet.

§. CXCI.

Reus antiquis idem erat, qui nunc litigans appellatur. Sic enim dicitur apud *Feſtum* : Reus eſt, qui cum altero litem conteſtatam habet, ſive is egit, ſive cum eo actum eſt, poſtea, ne nomina confunderentur, rei dici cœpti ſunt a re, quam promiſerunt ac debent, h. e. ii a quibus quid judicio petitur. Quis igitur reus eſſe poſſit ex iis, quæ de Obligationibus diximus, intelligitur. In quantum ſpeciatim conjuges pro ſe invicem, parentes pro liberis, domini pro ſervis in jus vocari poſſint, patet ex dictis de pactis L. 2. T. 24. §. 822. & de delictis T. 1. §. 10. T. 8. §. 70. T. 10. §. 109. Defuncti cum per mortem ſocietate humana, omnique juris humani vinculo eximantur, fruſtra rei aguntur. Quodque in mortuorum cadaveribus ſupplicia ſtatuuntur, magis in aliorum terrorem quam ipſorum pœnam cedit. *Reus eſt*

§. CXCII.

Equidem ad damni a defuncto dati reparationem non contra defunctum ſed ejus heredem agitur, quia id, quod damnum paſſo abeſt, defuncti patrimonio adhuc ineſt. Ultra damni reparationem ad pœnam corporis afflictivam agi nequit, utpote quæ delinquentis perſonam nunquam egreditur, ad pecuniariam autem e. c. confiſcationem heres tunc ſaltem tenetur, ſi vivo delinquente per ſententiam irrogata. Nam tunc demum deberi incipit, quod ſecus ſe habet in damni dati reparatione, utpote quæ ſtatim debetur, ſimulac damnum eſt datum. Ratio differentiæ in eo eſt ſita, quod damni reparatio ex ipſius juris naturalis placitis ſtatim debetur, vid. de delictis T. 10. §. 107. pœna autem demum ex lege quadam illam determinante. Ex tali vero lege ob ſtrictam, quam pœnarum odium efflagitat *a quo debitum poſtulatur.*

gitat interpretationem tunc demum pœna censetur deberi, si eam esse contractam, sententia declaratum Vid. de Heredit. T. 41. §. 857. Quæ ratio cessat, quoties lex diserte heredem ex defuncti bonis ad pœnas defuncti solvendas teneri edicit, etiamsi nec vivo delinquente sententia lata, conf. §. 207. imo nec lis contestata, quod in crimine perduellionis, hereseos, peculatus, & repetundarum constitutum diximus de Heredit. T. 41. §. 857. Hinc in ipsa Aurea Bulla c. 24. §. 10. repetitur id, quod habetur in L. 6. C. ad L. Jul. Maj. etiam post mortem nocentium Majestatis crimen (judicium) inchoari posse, ut convicto mortuo memoria ejus damnetur, & bona successoribus eripiantur.

§. CXCIII.

Ejus citatio est necessaria

Ut reus respondeat ad actionem contra se in judicio propositam, necessaria est ipsius citatio, h. e. in jus seu judicium vocatio, adeo ut hacce omissa, omnia contra reum acta ipso jure sint nulla * Equidem *Schultzen Szulecki* de Condictione Juris Gentium c. 2. §. 2. sqq. existimat, in lite quæ Principi cum subdito intercedit, publicam utilitatem jubere quandoque, ut citatio & defensio subditi intermittatur, si nimirum jus Principis certum & evidens sit, superflua esse imo ipsis morbis pejora remedia, quæ nullam reis afferunt salutem, & mora interjecta publicam tollunt & evertunt, ac §. 4. posse Principem jus habendi Regalia majora condicere a privato, nulla præmissa citatione, quia jus illud adeo est extra commercium, ut nec a Principe in privatum transferri, nec a privato præscribi possit. Atenim vero merito dubitatur, num unquam talis casus existere possit, quo publica utilitas subditi citationem & defensionem omittere præcipiat. Nunquam alterutrius litigantis jus adeo certum & evidens esse reor, ut ante auditam alteram partem constare simul possit, nullam ipsi exceptionem idoneam suppetere. Certe allatum de jure habendi regalia majora exemplum parum quadrare videtur. Nam qui sibi Regalia majora vindicat, eo ipso negat, se eatenus ipsorumque intuitu esse subditum, ac proinde super hoc passu merito audiendus. Conf. Jus Reale Principum L. 4. T. 4. §. 500. 503.

* Quæritur, an sicut citatio in processu judiciali, ita denuntiatio, seu indictio, & clarigatio in bello inter liberas gentes sit necessaria?

saria? Resp. postulatio satisfactionis omnino necessaria, qui denegata ulteriori denuntiatione opus haud esse, sed illa solius solennitatis ergo adhiberi videtur *Grotius* de I. B. & P. L. 3. c. 3. §. 5. sq. ibique Commentatores. Plane in bellis defensivis clarigatione nil opus esse, facile intelligitur. Non a caduceatore, sed a natura indicitur, quod ad propulsandam vim suscipitur bellum.

§. CXCIV.

Requisita citationis satis sunt nota. Fieri debet a judice competente. Privata enim in jus vocatio, † Romanis quondam usitata, utpote multis incommodis obnoxia, dudum abrogata, adeo ut nonnisi debitores viles & fugientes privatim sistere liceat. Ab incompetenti vero judice facta citatio, si incompetentia est notoria, negligitur, sin dubia exceptione fori incompetentis impugnatur. Citatur reus. Actori in nonnullis judiciis non citatio, sed citationis notificatio, seu schedula monitoria, ein Gedenck Zedul, solet transmitti. Si plures sunt rei, sigillatim omnes sunt citandi. In coheredibus, quam diu in communione persistunt, sufficit citationem ad domum hereditariam insinuari. Dispescitur citatio in *publicam*, quæ fit per preconem * aut edictum publicis valvis aliquando in plurium plerumque trium dominorum territoriis affixum, estque subsidiaria ††, tunc demum obtinens, si alia locum haud invenit, e. c. in processu desertionis, aut creditorum concursu ††† Conf. cap. 1. Clementin. de judiciis. *& privatam.* Atque hæc iterum est vel realis, quæ fit per apprehensionem personæ, & tunc demum adhibetur, si reus de fuga suspectus, vel verbalis, quæ fit verbis ore aut scriptis prolatis **. Utrumque fit vel in faciem, vel ad domum, quando citatio domesticis*** insinuatur, aut valvis ædium, vicinis convocatis, affigitur. De insinuatione citationis procuratori facienda. vid. Tit. 6. §. 173. *Citationis requisita.*

† Privata in jus vocatio, atque facultas debitorem obæratum capiendi & carceribus mancipandi legibus XII. Tabularum introducta perhibetur. At cum L. Papirius C. Publium debitoris filium, quod in stuprum fœneratoris consentire noluerit,

verberibus male tractaret, ac proinde privata in jus vocandi licentia in abusum verteretur, privatæ ejusmodi debitorum captivationes lege sublatæ fuerunt teste *Livio L.* 8.

* Quorsum spectat proclama das Ruffen in Camera Imperiali receptum, sine quo nulla ferri potest contra contumacem in comparendo sententia. Vid. Ord. Cam. part. 3. tit 42. sq. Rec. Imp. 1654. §. 36. & *Ludolf* de Jure Camerali p. 266. 368. Ex jure militari spectat huc citatio per tympanum durch öffentlichen Trommelschlag. Passim & per Campanæ sonitum publica fit citatio.

†† Exemplum edictalis citationis in levi satis causa contra Principem emanatæ & valvis templi S. Stephani Viennæ affixæ, hic apponere libet: Wir Carl VI. ꝛc. entbiethen dem hochgebohrnen Unsern lieben getreuen Prinz von T. Unsre Gnad, und fügen dir hiemit gnädigst zu wissen, was massen bey Unsrer Nieder-Oesterreichischen Regierung Maria Ursula Lufftin Wittib demüthigst angezeiget, wie daß dieselbe wieder dich in puncto geklagter 18 fl. Wäscherlohn, so sich der Zeit cum eo quod interest in circa auf 60 fl. erstrecken möchte, über die behobene gradus executionis auch den würcklichen Ansatz erhalten, und solchen auf dein Haab und Guth in genere, in specie aber auf dein hier in Versatz stehendes Gala Kleid der Gerichts Ordnung gemäß habe führen lassen: zumahl du aber solch angesetztes Kleid bißanhero nicht ausgelöset, noch ermelte Klägerin ihrer Anforderung halber befriediget, sondern dich immittelst von hier wegbegeben hättest. Dannenhero dieselbe in die gerichtliche Schätz und Einantwortung dieses Kleides zu verwilligen, demüthigst gebethen. Wenn denn auf dieses der Supplicantin Begehren dieser Rathschlag (fiat mit Vorwissen) ertheilet worden: Als haben Wir dich dessen bey deiner unbekannten Aufhaltung durch gegenwärtiges Edict zu behöriger Nachricht hiemit erinnern wollen. An dem beschiehet Unser gnädigster Will und Meynung. Geben in Unser Stadt Wien d. 30. Mart. 1737.

Sigm. Frid. Gr. Khevenhüller

Statthalter.

††† In

††† In cauſa Brandenburg contra creditores Marchionis Alberti creditores edictaliter citatos ad creditum deducendum, & videndum perpetuum ſibi imponi ſilentium teſtatur *Mindanus* de Contin. Cauſar. L. 2. c. 4. §. 12.

** Quorſum & pertinent monitoria, utpote quæ duo continent, ut ſcil. quis vel faciat id, quod præcipitur, vel ſi facere nolit, compareat, quo ipſo eventualiter citatur ad comparendum, ut proinde monitorium vera ſit citatio, ejusque effectum ſortiatur, & litispendentiam ac præventionem inducat, quod tamen vulgo reſtringunt ad monitoria a ſummo Principis tribunali emanata arg. Tit. Cod. quando libellus Principi oblatus, & in judiciis ſubordinatis ad inducendam litispendentiam præciſe citationis inſinuationem requirunt cap. 19. X. de foro compet. Sed cum ipſum monitorium citationem contineat, fruſtranea hæc videtur diſtinctio.

*** Qualis non eſt conductor, imo ne quidem der Gerichtshalter, wenn er nicht in des Gerichts-Herrn Brode iſt.

§. CXCV.

Olim in Germania Principum dignitati id fuiſſe datum, ut Princeps *per quem*
reus prima vice per alium Imperii Principem citaretur, hocque omiſſo, *fieri de-*
Henricum Bavariæ Ducem exceptionem non legitimæ factæ citationis op- *beat?*
poſuiſſe ex *Londorpio* monuimus Tit. 4. §. 82. Hodie citationes ſcriptæ, quibus in cauſis civilibus copia libelli jungitur, Rec. Imp. 1654. §. 34 *aut* per nuntium judicii juratum inſinuantur, cujus de facta inſinuatione relationi per Actuarium ad acta relatæ plena fides habetur, ita tamen ut contrarii probatio admittatur, *aut* per Notarium, qui inſtrumentum deſuper conficit, *aut* denique per alium, quo caſu utile erit, *Recepiſſe* deſuper exigere, utut illud, tanquam ſcriptura privata, ſine prævia recognitione nil probet. Illuſtrium privilegiis in L. 17. §. 1. C. de dignit. id datur, ut nullam ſine ſcriptis conventionem, neque in civili, neque in criminali cauſa ſuſtineant. Sed ſtylus & obſervantia tribunalium hic merito omne fert punctum.

§. CXCVI.

quando? Die feriato citationem non valide insinuari, evincere nonnulli cupiunt ex L. XI. C. de feriis, quæ tamen de sola publica citatione intelligenda videtur. In praxi citationis privatæ insinuatio, utut die feriato facta, valida reputatur, quia insinuatio citationis est actus extrajudicialis, & domi fieri potest. At in diem feriatum citatio concipi haud debet, & si forte terminus in citatione præfinitus in diem feriatum incidit, citatus proxime sequenti comparere jubetur cap. 6. X. de dol. & Contumac. In Praxi tamen tali casu pro contumaci emanens haud aliter habetur, quam si citationi inserta est clausula, ut si dies illa non fuerit juridica, comparitio fiat in proxime sequenti. Dicuntur autem feriæ dies a forensibus negotiis & jure dicundo vacui, & alias nefasti dicuntur, quia jus tunc fari nefas habetur. Sunt vel divinæ, cultus divini causa, vel humanæ, hominum causa humanisque usibus introductæ, quorsum spectant tum urbanæ nundinarum, tum rusticæ messium & vindemiarum L. 2. C. de feriis it. sationis L. 1. C. de Agric. & Censit. ubi pro *rationibus sationibus* legendum. Passim & dies caniculares feriis annumerantur, & inter illustres præsertim personas Bachanalia, die Carnevals Lustbarkeiten. His temporibus actus qui sine strepitu & causæ cognitione peraguntur, præsertim voluntariæ jurisdictionis, suscipere licet, e. c. manumittere, emancipare, testamenta offerre, citare, appellationes interponere, arresta impetrare & renovare, articulos probatoriales offerre, nihil autem, quod causæ cognitionem requirit *, nisi feriis fuerit renuntiatum, quod fieri potest a partibus, si judex consentit, in cujus favorem pariter introductæ, sed & tunc renuntiatio ad solas ferias humanas restringenda cap. 5. X. de feriis. Si vero periculum est in mora, etiam in feriis divinis actus judicialis, qui causæ cognitionem requirit, potest suscipi e. c. examen testis morti vicini ad perpetuam rei memoriam, item latronum persecutio **. Ubi actor & reus sacra diversa & proinde ferias diversas agnoscunt, utrasque observare judex tenetur ne conscientiis vis inferatur, quod & in summis Imperii tribunalibus inter Catholicos & Protestantes observatur. Judicis saltem ferias esse attendendas ex L. 3. §. 6. Dig. de testib. frustra colligit *Treutlerus* Conf. L. 13. C. de Judæis. Solet formula citationis litigantibus comparitionem injungere zu rechter früher Tages Zeit, pro contumaci tamen nemo habetur, etiamsi post meridiem demum compareat.

* Quor-

* Quorſum ſpectat Curatoris conſtitutio, aut ſententiæ pronuntiatio, adeo ut ſententia die feriato lata etiam citra appellationem ſit nulla L. *6.* Dig. de feriis it. laudum arbitri L. 1. §. 1. Dig. eod. L. 7. in fin. C. eod.

** Ob neceſſitatem Conſtantinus in L. 3. C. de feriis agrorum & vinearum culturam permittit, ne occaſione momenti pereat commoditas cœleſti proviſione conceſſa. Et Alexander III. Papa in cap. 3. X. de feriis halecum terræ ſe inclinantium captioni die dominica ingruente neceſſitate intendere ſinit, ita quod poſt factam capturam eccleſiis circumpoſitis & Chriſti pauperibus congrua fiat portio.

§. CXCVII.

Ratione objecti citatio eſt vel generalis, quæ fit ad totam litem, & in Camera Imperiali eſt recepta, vel ſpecialis ad ſingulos actus. Hæc reſpectu finis eſt vel *monitoria*, qua quis invitatur ad actum qui ſine eo in judicio poteſt peragi e. c. ad videndum produci & jurare teſtes, ad inrotulationem actorum aut ſententiæ publicationem, vel *actoria*, qua quis comparere abſolute jubetur, idque *vel* in perſona, quod fieri ſolet in cauſis cambialibus, matrimonialibus, criminalibus. it. in præſtandis juramentis & teſtimoniis, *vel* relicta per mandatarium comparendi facultate, vel peremtorie cum dilationis negatione, vel ſimpliciter ſine ea, vel nulla vel certa pœna præſtituta, e. c. confeſſi & convicti, recogniti, præcluſi, pecuniaria, amittendi beneficii reſtitutionis. *Eſt vel generalis vel ſpecialis.*

§. CXCVIII.

Quoties citandus judici citanti non ſubeſt, quod in reconventione contingere poteſt, judex in ſubſidium juris dominum citandi per literas mutui compaſſus requirit, ut vel ipſe comparitionem citando injungat, vel ſaltem citationem incluſam eidem inſinuari curet, addita clauſula, fraudi hoc eſſe non debere ipſius jurisdictioni, ſeque in pari caſu ad paria eſſe paratum, cui petito ſi annuitur, requiſitus requirentem de citationis inſinuatione certiorem reddit, ſin minus ad Edictalem citationem venitur. Quodſi *in ſubſidium juris.*

 vero

vero citandus judici citanti mediate ſubeſt, quod in appellatione contingit, immediate & irrequiſito judice inferiore in jus vocatur, ni pactis aut conſuetudine aliud introductum. Hinc Commiſſarii Principis, utpote hujus nomine cognoſcentes immediate citare ſolent. Conſiſtoria vero, utut itidem Principis nomine jus dicant, paſſim tamen judices inferiores, qui patrimonialem jurisdictionem habent, requirunt ad ſubditos ſuos ſiſtendos, omiſſa tamen formula *in ſubſidium juris.* Qui vero Principis præfectis ſubſunt ſubditi immediate a Conſiſtoriis citantur, cum indecens videatur, miniſtros Principis requiri a Conſiſtoriis aliisve Collegiis, quæ ipſius Principis nomine jus dicunt.

§. CXCIX.

Effectus citationis inſinuatæ

Effectus inſinuatæ citationis ſe exerit tum in præſcriptionis interruptione vid. Real. Princ. Jus L. 4. T. 4. §. 526. utut libellus forte ineptus fuerit, dummodo actio coram competente judice inſtituta, tum quandoque in continuatione delegatæ jurisdictionis vid. Tit. 5. §. 120. in fin. tum denique in litispendentia & præventione Tit. 4. §. 105. qui effectus num evaneſcere debeat, ſi libellus ineptus deprehenditur, aut terminus circumducitur, a legislatoris arbitrio pendet. Plane ſi ab incompetente judice citatio emiſſa nullitatis vitio laborat, nec litispendentiam, nec contumaciam operatur, niſi vitium citationis per comparitionem, ſimpliciter ſine oppoſita nullitatis exceptione factam, purgetur.

§. CC.

Dilatio vel prorogatio.

Terminus, ſeu tempus citatione ad comparendum in judicio præfinitum *, præjudiciale quidem, non autem fatale præciſe ** eſt. Fatale enim dicitur tempus, quo neglecto interit emolumentum, quod eodem acquiri potuiſſet. Sic qui intra decendium appellationem haud interponit, eandem plane amittit. Præjudiciale autem eſt, quo neglecto is, qui negligens ſeu contumax fuit, tenetur ad id quod intereſt, ſeu expenſas. Quare ut ejusmodi præjudicium evitetur, ſi citatus comparere in termino nequit, ejus dilatio, ſive temporis in cauſa prorogatio *** petenda, quæ ſi tempeſtive juſtaque ex cauſa petatur, vix denegabitur, imo ſi opus fuerit, iteratis vicibus indulgebitur, & in dubio a tempore conceſſionis computatur

tatur, plerumque vero terminus clare ſatis determinatur, aut ſi probatio, aliusve talis actus peragendus, diſerte tantum temporis conceditur nach Ablauff der erſten Friſt. Fruſtra ac ſine cauſa dilationes a judice non facile ſunt concedendæ, ſed num impedimenta, quæ interſeruntur, ſufficientia adſint, inquirendum, & pro re nata malitiæ juramentum deſuper exigendum, ne frivole dilationum petitione lites nimium protrahantur, ipſarumque proceſſus retardetur. Meminit *Ludolfus* de Jure Camerali p. 237. exemplum ubi in Camera Imperiali ad CVII. menſes fatalium prorogatione facta procurator ſe tuebatur contra denegatum proclama. Et in lite ſuper ſucceſſione Oldenburgica inter Duces Plœnenſem & Gottorpienſem hic XIII. terminos prorogatorios obtinuit.

* Terminus citatione præfixus opponitur illi, qui per ſententiam præfigitur. Hic præfixus in ſpecie audit, ille *legalis.* In Camera Imperiali primus terminus legalis vocatur *Reproductionis*, quia in eodem querela propoſita, eamque ſecuta citatio reproducitur. Ab utroque & legali & præfixo termino differt *collectus a partibus* id eſt, quando prorogatio petita indulgetur.

** Terminus reproductionis in Camera fatalis quidem eſt in cauſis appellationis, ita ut termino neglecto appellatio habeatur pro deſerta. In cauſis mandatorum wird das Mandat vor Gefallen declariret. In cauſis ſimplicis querelæ terminus circumducitur, & pro re nata reus abſolvitur ab inſtantia *Ludolf.* de Jur. Cameral. p. 236.

*** Qui hæc a ſe invicem ſubtilius diſtinguunt, *prorogationem* termino elapſo, *dilationem* eodem adhuc currente concedi aſſerunt.

§. CCI.

Citra impetratam dilationem ubi reus citatus emanet, ipſius contumacia ab actore comparente accuſatur. Pœna contumaciæ num ſaltem in refuſione expenſarum retardati proceſſus, an in eo, quod lis negative conte- *Emanentium contumacia coercetur.*

contestata habeatur, an in condemnatione in causa principali consistere debeat? a legislatore definienda. Ad postremum casum pertinent citationes sub pœna confessi & convicti Romano quidem juri incognitæ, sed originem habentes ex cap. 2. de confessis in 6. Audiendus tamen erit reus, si legitima impedimenta quare a judice imperata præstare haud potuerit, Ehehafften vocant, e. c. morbum, captivitatem aliamve absentiam necessariam deducere offert. In Camera Imperiali semper ad actoris petitionem proclama prius decernitur, quam reus contumax declaretur. Ord. Cam. part. 3. tit. 43. Reus si in termino comparet, actore emanente, hujus contumaciam accusat, quæ pro legislatoris arbitrio vel expensarum refusione, vel actionis amissione, vel rei ab instantia * absolutione punitur. Utroque & actore & reo emanente terminus circumducitur i. e. contumacia utrinque compensatur & remittitur, & tunc is, qui cupit maturari processum, novum terminum petit. Qui vero actorum irrotulationi aut sententiæ publicandæ terminus præfigitur haud circumducitur, etiamsi utraque pars emaneat, quia negotium nihilominus exitum capere potest. In fatalibus quoque terminis e. c. appellationis circumductio locum haud habet, sed appellatio tunc pro deserta habetur.

* NB. ab instantia, non ab actione ipsa. Unde novo termino constituto actor libellum repetere, & reus ad eum respondere tenetur. Conf. T. 5. §. 138.

§. CCII.

Inter comparentes amicabilis compositio tentatur.

Si uterque & actor & reus in termino comparet, (quod tum in persona, tum per procuratorem fieri potest, unde ea, quæ de actoris procuratore Tit 6. §. 167. monuimus, hic quoque ad reum applicanda) ante omnia ex capite prudentiæ a judice amicabilis compositio tentatur, quæ quidem in Principibus, utpote qui ipsi in persona comparere in judicio non solent, per mediatores aut legatos ad ipsorum aulas missos, felicius peragitur. In pace Westphalica art. 17. §. 6. triennium determinatur, intra quod controversiæ de contraventionibus vel amicabili compositione, vel juris disceptatione terminari debeant, antequam arma sumantur. Dici non potest, quantum tentatio amicabilis compositionis conferat ad litigantium contro-

controverſias ſopiendas, ut vel hanc ſolam ob rationem judici ſuadendum ſit, privatos, ſaltem ut in primo termino ipſi in perſona compareant, jubere, ipſisque proceſſus moleſtias, ſumtus & periculum in animum revocare.

§. CCIII.

Amicabili compoſitione fruſtra tentata, actoris eſt querelam ſuam repetere*, vel ſaltem ad libellum ſuum ſe remittere **, rei autem ad illum reſpondere, & adducere exceptiones ſuas, ſive jus quod ſibi competere putat ad actoris intentionem vel ad tempus vel in perpetuum excludendam. Unde oritur diſcrimen exceptionum in dilatorias, verzügliche Schutz-Reden, quæ litem ſaltem differunt, & peremtorias, zerſtörliche Schutz-Reden, quæ actionem prorſus perimunt. Illæ opponuntur, antequam reus debitum vel fatetur, vel negat, ſeu litem conteſtatur, quia litis conteſtatione opus plane non eſt, quam diu dilatoriis exceptionibus ſe tueri valet reus. Interim ne nimium protrahantur lites, reus jubetur poſt propoſitas exceptiones dilatorias in primo adhuc termino litem ad minimum eventualiter conteſtari, ſimulque peremtorias ſuas exceptiones ſubjungere Rec. Imp. 1654. §. 37. ſqq. quas vero tunc omiſit, earum poſtea in reprobatione nulla habetur ratio, ſed in reconventionem rejiciuntur, ſecus a jure Romano, quo unam poſt alteram etiam demum in appellationis inſtantia allegare & deducere licebat L. 4. C. de temporib. appellationum L. 8. C. de exceptionibus***.

Quæ ubi obtineri nequit, reus ad libellum reſpondet.

* In Camera Imperiali proceſſus extrajudicialiter decreti intra annum a die lati decreti reo ſunt inſinuandi, & in termino in citatione præfixo reproducendi, qua reproductione omiſſa reus contumax declarari nequit in Camera, bene tamen in judicio Aulico, dummodo inſinuatio rite facta doceatur *Textor* ad Rec. Imp. 1654. diſſ. 4. §. 14. & *Ludolf.* de Jur. Cameral. p. 235.

** Solet & actor denuo reſponſionem & litisconteſtationem a reo exigere, addita clauſula mit Vorbehalt, qua ſibi ad rei exceptiones replicam, ulterioresque poſitiones reſervat, quod & reus exci-

excipiens intuitu duplicæ &c. facit. Sed ni diſerte concludatur, aut ſententiæ ſubmittatur, ipſo jure partibus conſuetæ poſitiones ſalvæ reſervatæque manent.

*** Poſt factam litis conteſtationem tamen dilatoriæ exceptiones admittuntur, ſi poſtea demum emerſerint, aut ad notitiam venerint, quod jurejurando aſſerendum, aut ſi gravamen ſucceſſivum contineant, e. c. loci non tuti, aut judicium retro nullum reddant e. c. legitimationis, aut ſi anomalæ, & cauſæ merita ſimul concernant, ut exceptio ordinis, excuſſionis. Econtra peremtoriæ quoque ante litis conteſtationem admittuntur, ſi litis ingreſſum impediunt e. c. ſi in continenti ſunt liquidæ, it. exceptiones negativæ, quæ onus probandi in adverſarium rejiciunt, e. c. non adimpleti contractus, & de jure Canonico tres illæ rei judicatæ, jurisjurandi & transactionis cap. 1. de litisconteſt. in 6.

§. CCIV.

& litem conteſtatur.

Cardo itaque & centrum, quod circa omnes exceptiones vertuntur, eſt litis conteſtatio, ſeu rei ad actoris libellum reſponſio *, qua quid reus actori circa poſtulatum ſuum fateatur, vel neget, declaratur. Unde oritur diviſio litis conteſtationis in affirmativam & negativam. Affirmativa dicitur, quando reus fatetur præmiſſa libelli, negata concluſione, & oppoſita exceptione peremtoria. Nam hac ratione qualificata eſſe debet litisconteſtatio affirmativa, quia ſi reus ſimpliciter omnia libelli capita affirmaret, nulla plane inter eum & actorem lis eſſet, multoque minus conteſtata. Negativa dicitur, quando fundamentum libelli, & ipſa præmiſſa vel in totum, vel ex parte (quæ nonnullis mixta litis conteſtatio audit) negantur. Qui exceptione e. c. compenſationis utitur, fateri non præciſe cenſetur L. 9. Dig. de except. Si vero reus in genere dicit, nego narrata prout narrantur, & petita prout petuntur, omnia libelli capita negata videntur, quoniam alias ignoraretur, quænam capita negentur, & proinde fruſtranea foret talis litisconteſtatio. Jure Civili & Canonico talem generalem litisconteſtationem tolerari qui aſſerunt, provocant ad L. 14.

§. 1.

§. 1. C. de jud. L. un. C. de lit. cont. cap. un. X. eod. Hodie certe eadem non admittitur.

* Improprie valde & abusive litiscontestatio accipitur pro provocatione ad judicium e. c. in Summario cap. 2. X. de officio judicis, ubi per implorationem nobilis officii judicis litis contestatio fieri dicitur, quod tamen ex ipso capitulo colligi nequit.

§. CCV.

Sed vi Recessus Imperii de 1654. §. 37. requiritur, ut litis contestatio * fiat 1) specifice ad singula libelli capita, (specifice auf jeden puncten mit allen seinen Umständen) ea scilicet, quæ facti speciem tangunt. Ad capita juris enim in libelli forsan allegata responsio haud videtur necessaria, quia facta eorum a reo vel affirmatio vel negatio ipsi negotio nil quicquam addit vel demit. Per modo dicta tanquam nimis generalis & captiosa rejicitur litis contestatio, qua reus negat ad possessionem vi arripuisse, sed distincte & specifice exprimendum. Negat vel affirmat, se possessionem arripuisse. Negat se vi eam arripuisse. 2) clare & perspicue deutl. unterschiedlich und klar, scilicet per affirmat vel negat in factis propriis, & nescit in alienis, remotis omnibus verbis dubitativis, es könne seyn, man stelle es dahin. Plures ubi litis sunt consortes, & ab uno lis recte est contestata, reliquis ad illam simpliciter se remittere est integrum 3) pure sine prævia exceptione fori *declinatoria*. Hæc enim ubi opponitur hic passus ante litiscontestationem est dirimendus, & conditionalis ejusmodi litis contestatio plane prohibetur in Ord. Cam. part. 3. tit. 32. §. 3. Cum conditionali vero litiscontestatione confundenda non est eventualis, quæ fit præmissis exceptionibus NB. *dilatoriis* (in specie sic dictis, de quibus §. 208.) in eventum, si rejectæ vel impletæ fuerint, atque hæc non improbatur, sed injungitur Rec. Imp. 1654. §. 40. **

Litiscontestatio quomodo peragenda

* Quæ his requisitis gaudet litis contestatio, κατ' ἐξοχὴν litiscontestatio vocatur, & opponitur simplici & qualicunque ad libellum responsioni, quæ tamen in sensu latiori & generaliori pariter sub litiscontestatione comprehenditur. Quo observato facile judicari

dicari poterit de quæſtione, num litisconteſtatio ſit pars proceſſus eſſentialis, nec abeſſe ab eodem poſſit? Scil. litisconteſtatio in ſenſu generaliori accepta pro quavis ad libellum reſponſione abeſſe nequit, bene autem in ſenſu ſpeciali, quo ſolam ſolennem denotat, utpote quæ a proceſſu ſummario exulat. Conf. Clementina ſæpe contingit de Verb. Signif.

** Utrique & conditionali & eventuali litisconteſtationi opponitur *pura*. Eſt igitur pura litisconteſtatio, quando conditionali opponitur, illa quæ fit ſine prævia exceptione fori *declinatoria*. At quando eventuali opponitur illa, quæ fit ſine prævia exceptione *dilatoria*, in ſpecie hic dicta vid. §. 208.

§. CCVI.

& inficiantes coercendi. Ne autem reus juxta vulgatum illud: Si feciſti nega, litem negative temere conteſtetur, & hac ratione duriorem actoris conditionem, ſuperfluis probationibus eum onerando reddat, variæ in jure ſunt proditæ inficiationum pœnæ. Sic inficiatione in duplum creſcit actio Legis Aquiliæ L. 2. §. 1. dig. ad L. Aquil. depoſiti miſerabilis. L. 1. §. 1. Dig. depoſ. eorum, quæ piis cauſis relicta §. 26. Inſt. de Actionib. Qui rem, ſuper qua litigatur, ſe poſſidere negat, ejus poſſeſſionem in adverſarium transfert L. 80. Dig. de Rei vind. Fidejuſſori fidejuſſionem inficianti beneficium diviſionis negatur. L. 10. §. 1. Dig. de fidejuſſ. Socio ſe ſocium eſſe neganti beneficium competentiæ aufertur L. 22. in fin. Dig. de re jud. L. 67. §. ult. Dig. pro ſoc. Qui propriam Scripturam, qua convenitur, abnegat vel numerationem inficiatur, convictus in duplum condemnatur Nov. 18. c. 8. & Auth. Contra C. de non num. pec. In Saxonia qui in paſſibus, ſuper quibus juramentum delatum, litem negative conteſtatur exceptiones amittit, niſi tempore factæ litisconteſtationis ſe aliam rei notitiam haud habuiſſe, jurejurando aſſerat Ord. Proc. Sax. Recogn. tit. 16. §. 3. in fin. Dantur etiam qui legislatoribus ſuadent, juratam litisconteſtationem reo injungere. Vid. *Simon Petr. Gaſſer* de inutilitate poſitionum cum juramento dandorum & reſpondendorum. Sed cum hæc res perjuriis facile anſam præberet, hactenus ſaltem applauſum haud meruit. Magis pro minuendo quam augendo juramentorum numero laborandum.

§. CCVII.

§. CCVII.

Si reus litem contestari præter rem detrectat, in contumaciam adversus eum proceditur. Jure communi lis negative contestata habetur, & actor ad probationem admittitur L. 13. §. 1. C. de judic. R. J. 1654. §. 36. Jure Saxonico autem affirmative, & reus habetur pro confesso & convicto Ord. Proc. Recogn. tit. 16. Ubi rite lis est contestata, actori intentionis a reo ipsi negatæ probatio, reo autem exceptionum reprobatio injungitur. Jure Romano litiscontestationi & hic tribuitur effectus, ut pœnales actiones transmittantur ab utraque parte ad heredes, (quos alias & in se si res spectetur, etiam ad pecuniariam saltem pœnam non aliter teneri existimarem, quam si vivo defuncto sententia lata vid. §. 192.) & temporales perpetuentur L. 8. in fin. Dig. de fidejussoribus, ad quadraginta scil. annos, ex eo tempore computandos, quo novissimum litigantes tacuerunt, seu quo ultimus in judicio actus est gestus L. 9. C. de præscriptione 30. vel 40. annor. & L. 1. §. 1. C. de Annali Except. * *Effectus litiscontestationis.*

* Idem qui litiscontestationi etiam libello Principi oblato ab eoque recepto effectus tribuitur tot tit. C. quando libellus Principi datus litiscontestationem faciat, ita tamen, ut solæ actiones Prætoriæ annales per oblationem perpetuentur, reliquæ autem nonnisi facta litiscontestatione. At præventio & litispendentia per solam libelli oblationem non inducitur, sed ad hunc effectum citationis insinuatio requiritur. vid. §. 199. & Tit. 4. §. 105.

§. CCVIII.

Ante litiscontestationem exceptiones dilatorias post eam peremptorias opponi diximus §. 203. Dilatoriæ vel forum *declinant*, quorsum spectant exceptiones incompetentis vel suspecti judicis, primæ instantiæ, vid. Tit. 5 §. 138. fori privilegiati &c. vel litem saltem *differunt*, idque ob vitium vel *libelli* e. c. exceptio inepti vel obscuri libelli, vel *citationis* e. c. exceptio termini angusti, feriarum, loci non tuti, vel *actoris* e. c. exceptio illegiti- *Ante litiscontestationem dilatoriæ exceptiones.*

mationis, ſi minor eſt, aut ceſſionarius, vel procurator, inhabilitatis, ſi bannitus, ſpolii vid. Real. Princ. Jus L. 5. T. 2. §. 465. non præſtitæ guarandæ vid. §. 211. & ſatisdationis (vid. §. 212.) pro reconventione & expenſis, vel denique ob jus aut *privilegium rei*, quorſum ſpectant exceptiones moratorii vid. §. 215. beneficii competentiæ vid. Tit. 14. §. 420. pacti conventi temporalis, ſive de non petendo intra certum tempus, item præfeſtinationis, ſi ante tempus petitur, ordinis, excuſſionis, præpoſterationis, ſi paſſus præjudicialis antea deducendus.

§. CCIX.

poſt eam peremtoriæ opponuntur.

Peremptoriarum exceptionum numerus fere infinitus datur. Si tamen ad certas claſſes easdem revocare velis, deprehendes, iisdem vel negari debitum eſſe contractum, vel idem jam ſublatum atque extinctum prætendi e. c. in criminalibus delictum vel plane non admiſſum, vel pœna jam expiatum, aut ipſi præſcriptum, in præjudicialibus, eum qui ab actore ſubditus, filiusfamilias, conjux &c. interſeritur, talem vel nunquam fuiſſe, vel eſſe deſiiſſe, in realibus actorem jus in re prætenſum vel nunquam habuiſſe vel amiſiſſe, in perſonalibus, debitum vel nunquam contractum vel jam dum ſolutum. Prioris generis frequentiſſimæ ſunt exceptio nullitatis, doli, metus, erroris, in factum*, inſtrumentorum noviter repertorum, reſtitutionis in integrum vid. de pactis L. 1. Tit. 14. §. 400. læſionis ultra dimidium, SCti Macedoniani, Vellejani, non adimpleti contractus, non numeratæ dotis vel pecuniæ, dotis non in rem ſeu utilitatem feudi verſæ, uſurariæ pravitatis, laudationis, ordinis**, excuſſionis, diviſionis, veritatis. Poſterioris generis ſunt exceptio ſolutionis, compenſationis, novationis, delegationis, acceptilationis vid. L. 1. T. 14. §. 397. Communes omnibus cauſis ſunt exceptiones tua non intereſt, præſcriptionis, rei judicatæ, transactionis.

* Exceptionis in factum vocantur innominatæ, quæ non uno verbo, ſed longa formula, præſcriptisque verbis explicantur, unde & præſcriptiones vocantur. Vid. L. ult. & penult. C. de except. & *Gothofred.* ad L. 14. Dig. eod. L. 4. § 16. Dig. de doli mal. except. Simili fere ratione, qua actiones præſcriptis verbis, & in factum dari audivimus T. 6. §. 179.

** Hanc

** Hanc anomalam esse, & tum de dilatoriarum, tum de peremtoriarum indole participare, ipsaque causæ merita concernere, monui §. 203. Not. ult. Sic & exceptio sub- & obreptionis pro re nata nunc dilatoria, nunc peremptoria esse potest.

§. CCX.

Plerarumque harum exceptionum indolem suis locis explicavimus. Usus earum in Principum quoque causis satis manifestus apparet. Sic Fridericus II. Imperator, cum Papa in Concilio eum excommunicare & deponere conaretur, per legatum suum Thaddæum de Suessa JCtum *fori incompetentis* exceptionem objecit, ad Principes Imperii causam rejiciens. Vid. *Petr. de Vineis* Epist. Lib. 1. Ep. 1. 3. Exceptio tamen *judicis suspecti* suapte sua natura tum demum locum invenit, si judex alii superiori, qui de suspicionum causis judicet, est subordinatus, unde a supremis tribunalibus exulat, utut unus alterve Assessorum recusari possit. *Loci non tuti* exceptio pariter rejicitur, quoties ipse reus in causa est, quare tuto in loco, contra quem excipit, versari nequeat e. c. si creditoribus cambialibus ibidem est obæratus, quoniam alias ex sua culpa emolumentum caperet. *Exceptio judicis incompetentis vel suspecti.*

§. CCXI.

Guaranda, cujus meminimus §. 208. Saxonibus originem debet, & est actus, quo actor promittit, se non mutaturum libellum, & defendere velle reum contra omnes alios, ipsum ob eandem causam forte conventuros. Germanis dicitur die Gewehr der Klage angeloben. Præstatur non oraliter, sed realiter actu corporali, stipulata manu, tangendo baculum judicis. Olim in Saxonia judex citationes prius non decernebat, quam præstita ab actore Guaranda. Eadem vero omissa, reus exceptionem Guarandæ non præstitæ opponebat. Sed cum animadverteretur, parum utilitatis exinde percipi, sed ansam saltem lites protrahendi inde arripi, in ipsa Saxonia penitus abrogata est Guaranda per Ord. Proc. Recogn. tit. 12. *non præstitæ Guarandæ.*

§. CCXII.

§. CCXII.

Satisdationis. *Cautio* ſeu ſatisdatio h. l. eſt ſecuritatis præſtatio nomine eorum, quæ occaſione judicii in dubium vocantur. Jure Romano & actor & reus debebant cavere. Vid. de cautione *judicatum ſolvi* & judicio ſiſti, quod ſcil. reus in judicio permanere velit uſque ad terminum litis, & ſolvere id, in quod condemnabitur Tit. Inſt. de Satisdationib. Qui immobilia poſſident, aut actionem ad rem immobilem petendam habent, immunes ſunt a ſatisdatione L. 15. Dig. qui ſatisdare cogantur. Reliqui fidejuſſoribus vel pignoribus *, hisque deficientibus jurejurando cavent. Hodie ſaltem a reo cautio exigitur pro expenſis, & iis in locis, ubi reconventio demum finita conventione inſtituitur, pro reconventione. In caſu tamen, quo actoris emanentis contumacia a reo accuſatur, ab actore etiam cautio exigitur de lite proſequenda, ni renuntiare eidem malit. Unde & reus petere poteſt terminum, quo actor ſub pœna amittendæ actionis, bey Verluſt der Klage, ſe declaret, num litem proſequi velit, nec ne? A memoratis cautionum generibus differt *cautio rati*, qua ii, qui alieno nomine vel ſine, vel cum inſufficiente mandato comparent, cavent, principalem a ſe geſta ratihabiturum eſſe Vid. Tit. 6. §. 170.

* Quæ cautionis ſpecies aſinina vocatur, cujus rei origo forte ex *Macrobii* Saturn. repetenda, ubi de Scipione Corneliæ gentis Principe refert, quod cum ſponſores ab eo ſolenniter poſcerentur, aſinam cum pecuniæ onere produxerit in forum, quaſi pro ſponſoribus præſens pignus.

§. CCXIII.

qua inter illuſtres ceſſat. In illuſtrium litibus hodie hæc de cautione doctrina ſupervacanea videtur, vel quod immobilia plerumque poſſident, vel quod malim, quod fidei & integritatis præſumtio pro iis militat. Nolim ad noſtros Principes applicari L. 7. C. de dignit. quæ prohibet quidem, quoties ex privata interpellatione civili vel criminali illuſtres conveniuntur, dandæ fidejuſſionis concuſſione eos vexare, ſed ita ſaltem ſuæ committi fidei, ut juratoriam cautionem præſtent. Plane cum ab ipſo juramento calumniæ illu-

ſtres

ſtres ſint immunes, multo minus cautione juratoria gravandi videntur. Ordinatio Cameralis part. 3. tit. 49. §. ult. tunc ſaltem ſi actor extraneus Imperii ſubditum convenit, cautionem pro reconventionem exigit.

§. CCXIV.

qui & a calumniæ juramento ſunt immunes.

Dictum calumniæ juramentum, der Eyd vor Gefehrde, tollit ſeu purgat ſuſpicionem ſiniſtram, quam de litigante fovet adverſarius, quaſi vexandi, calumniandi, aut protelandi cauſa in judicio quicquam ſuſcipiat. Juſtinianus Nov- 49. c. 3. tum actorem, tum reum mox in principio litis jurare juſſit, actorem quidem, qui non calumnians inferat litem, reum, quod credat reluctationem competenter & non cauſa contentionis L. 2. C. de jurejur. propt. calumn. Atque hoc juramentum calumniæ generale vocatur, & opponitur ſpeciali, quod hodie tum a partibus, tum a judice ex officio exigitur, quoties ſiniſtra protelationis ſuſpicio contra litigantem ſive actorem ſive reum, ſive alterutrius procuratorem oritur. Utilitas juramenti calumniæ ſpecialis ſatis eſt manifeſta, generalis vero exigua videtur. A reo enim exigi amplius non ſolet. Actor autem alium vexandi cauſa proceſſus ſumtibus ſe non afficiet. Plane in Germania quoad Principes otioſa eſt de calumniæ juramento materia. Nam ab eodem diſerte immunes pronuntiantur Churfürſten und Stände, und derſelben verpflichtete würckliche Räthe, ſo viel ihrer Herrn Rechtfertigungs-Sachen betrifft. Rec. Imp. 1654. §. 43. Si vero transparet injuſtitia cauſæ, etiam fiſci Cæſariſque procurator ad calumniæ juramentum adigitur juxta *Mevium* III. deciſ. 191. A juramento calumniæ quod in petita reviſione ſententiæ Cameralis, & reſtitutione in integrum præſtandum venit, neminem eſſe immunem docet *Ludolf.* de Jure Camerali p. 321. 437. Juramentum calumniæ de non frivole appellando, der Appellations-Eyd, præſtari debet coram judice ad quem R. I. 1654. §. 117. ſq. niſi judex a quo ſpeciali hoc in paſſu privilegio gaudeat. Sic Duces Brunſuicenſes tali gaudent, adeo ut appellans apud ipſos de calumnia jurare debeat. Vaſallus a domino feudi, & vice verſa dominus a Vaſallo calumniæ juramentum exigere prohibetur 2. feud. 33. §. 1. Ceterum calumniæ juramentum a doli quidem ſuſpicione, non autem protinus a culpa & litigan-

di temeritate liberat. Unde eodem haud obstante in expensas potest condemnari, qui illud præstitit L. 19. Dig. de judic.

§. CCXV.

Præscriptio moratoria.

Exceptio sive præscriptio *moratoria* est illa, qua litem a creditoribus intentatam debitor differt ob moratorium. Est autem moratorium beneficium a summa in Republ. potestate debitori, citra suam culpam ad inopiam redacto, concessum, vi cujus creditores intra certum tempus prohibentur eum ob debita inquietare. Vocatur alias literæ dilatoriæ, induciales, gratiæ, salvi conductus, securitatis, respirationis, Anstands-Brieffe, ferreæ, eiserne Brieffe, quia clypei instar debitorem contra creditores tutum præstant, it. a tempore, ad quod conceduntur literæ triennales, quinquennales, Quinquennelle &c. Fundamentum earum jam dum tetigimus de pactis L. 1. T. 14. §. 396. fin. Nimirum quoniam Princeps & subditi tanquam unum corpus considerantur, subditi, ut membra hujus corporis, agnoscere & præstare tenentur facta capitis & Principis sui, adeo ut remissio vel dilatio debiti a Principe facta æque valida reputetur, ac si ab ipso creditore facta fuisset. Durum quidem, iniquum & fere injustum videri posset, jus creditori perfecte quæsitum ipsi citra suum factum a Principe auferri vel minui. Verumtamen cum publicæ saluti & utilitati illa singulorum sit subordinata, publicæ autem rei intersit, ne ad incitas redigatur civis, cui concessa dilatione ex debitis eluctandi spes est reliqua, non habent de quo querantur subditi, qui hac etiam ratione cum aliquali suo incommodo publicam utilitatem promovere a Principe coguntur. Tantaque magis hujus rei æquitas elucet, dum supponitur debitorem casu quodam citra suam culpam ad inopiam esse redactum. Alii enim Principem tale beneficium haud esse concessurum, merito præsumitur.

§. CCXVI.

ejus fundamentum.

Quæ cum ita sint, cumque in ipsa summæ potestatis indole moratoria fundamentum habeant, vix opus erit, eorum originem & fundamentum demum ex L. 2. & 4. C. de precib. Imperatori offerend. repetere, vel dictæ legis interpretationem nunc ad inducias a creditoribus concessas vid.

vid. L. ult. C. qui bon. ced. poss. nunc ad eas dilationes, quæ judicatis dantur per L. 2. C. de usur. rei jud. præter rem detorquere.

§. CCXVII.

Sed eo ipso dum a summa potestate pendet, ab eaque vim omnem accipit moratorium, patet a solo summo Principe illud concedi. Modicas quidem dilationes inferior magistratus debitori concedit, quia sine iis judicati executio obtineri vix potest. Sed manifesta harum dilationum a moratoriis est differentia, illæque ad certum idque brevius tempus restrictæ passim deprehenduntur, jure Romano ad quadrimestre spatium L. 2. C. de de usuris rei jud. & trimestre in debitis fiscalibus L. 45. §. 10. Dig. de jure fisci Saxonico ad spatium Saxonicum 6 septimanarum 3 dierum LandR. L. 1. art. 20. L. 2. art. 24. Si debitor utut forsan ipse summus Princeps ære alieno se gravatum sentiens, a maxima creditorum parte dilationem impetrat, illa tamen a moratorii indole maxime aliena, nec reliquos creditores ad similem dilationem indulgendam obligat, sed extranei vi quoque suum, si aliter obtinere nequeunt, recte petunt, utut subditi Principis debitoris jure eum cogendi destituantur.

a solo summo Principe conceditur.

§. CCXVIII.

In Imperio Romano-Germanico jus moratoria concedendi inter reservata Imperatoris * refertur arg. Ord. Polit. August. 1548. tit. 22. §. 2. & Francof. 1577. tit. 23. §. 4. Rec. Imp. 1654. §. 175. quod tamen de iis saltem accipiendum, quæ per totum Imperium vim exerunt, aut ipsis Imperii Statibus conceduntur, qualia exempla passim prostant. Ferdinandus II. Imperator civitati Goslariensi 1624. octennales inducias concessit, Ferdinandus III. 1644. universæ Silesiæ moratorium generale concessit, & Electori Palatino rescriptum moratorii Pragæ 1654. 5. May respectu antiquorum debitorum ad 20. annos. Leopoldus 1666. Principi Nassovio-Sarepontano ad 12. annos, quod 1678. ad decennium prolongavit. Toti Germaniæ ob bellum triennale induciæ triennales & ampliores indulgentur Rec. Imp. 1654. §. 172. Ipsi vero Status suis pariter subditis vi superioritatis territorialis moratoria indulgent, in suo saltem territorio valitura. Hinc

in Germania ab Imperatore.

cum aliquis, qui a Landgravio Hasso-Darmstadino moratorium acceperat, Francofurti deprehenderetur, ibidem arresto est detentus. Saxoniæ Elector 1707. ob motus Suecicos subditis suis generale moratorium trium annorum concessit.

* Jus dandi moratoria solos Status in suis territoriis exercere, scribit *Coccej.* Jur. publ. prud. c. 23. §. 8. *Titius* & *Brunnemannus* id ad Reservata Imperialia pertinere negant, invitis legibus Imperii citatis.

§. CCXIX.

quibus solennitatibus. Conceduntur moratoria obæratis, qui citra suam culpam ad hoc infortunium pervenerunt. Qui vero per falsa narrata sub & obreptitie eadem impetrant, iisdem ob nullitatem, qua laborant, haud juvantur. Decoctori si Princeps sciens (quod tamen non præsumitur) moratorio subvenit, id ipsum ad iniqua, æquo animo a subditis ferenda pertinebit. Conf. de pactis L. 1. T. 14. §. 396. Jure Romano L. 4. C. de precibus Imperatori offerendis rescripta, quæ in debitorum causis super præstandis dilationibus promulgantur, non aliter valere dicuntur, *nisi fidejussio idonea* super debiti solutione præbeatur. Potest quidem dari casus, quo debitor obæratus fidejussores idoneos invenire queat e. c. si bona possidet, alio tempore facilius quam præsenti vendibilia, aut si post aliquot demum annos debiti solutionem aut hereditatem sperare potest. At cum casus ejusmodi raro existant, & tantum non omnis moratoriorum usus tolleretur, si fidejussores prius requirantur, plerique existimant, pignoratitiam quoque cautionem esse admittendam, atque his, quod ut plurimum accidit, quoque deficientibus, juratoriam saltem, qua debitor juret, se licet data opera quæsiverit, tamen fidejussores idoneos reperire non potuisse, nec tantum in bonis habere, ut pignoratitiæ cautioni par sit, debitorum vero solutionem elapso tempore determinato velle præstare. Nil, fateor, impedit, cur non ejusmodi solennitates & cautiones præsertim ad creditorum instantiam summus Princeps moratorium concessurus adhibeat. Sed quod præcise per dictam L. 4. ad illas adhibendas adstringatur, hactenus perspicere haud licuit, cum summa potestas, cui moratoria concedendi facultas innititur, ejusmodi fræni impatiens videatur.

§. CCXX.

§. CCXX.

ad quodnam tempus?

Eadem summa potestas liberum Principi arbitrium permittit circa tempus, ad quod moratorium concedendum. Nonnulli quidem Doctores annalem, plerique quinquennalem saltem dilationem illud continere debere contendunt. In posteriorum numero post *Rebuffum* & *Fabrum* quod mireris ipse est B. *Stryck.* in diss. de abus. rescript. morator. c. 2. n. 15. quem merito refellit *Jo. Henr. Berger* de his quae circa praescriptionem moratoriam falso traduntur §. XI. Urget Stryckius inprimis vocem Quinquennel in textibus legum Imperii §. 28. citatis diserte reperiundam & L. ult. C. qui bon. ced poss. quae tamen saepius ad quinquennium inducias dari, indeque Quinquennelle appellatas saltem evincunt, neutiquam vero Principem, a quo potius ipsae leges pendere debent, stringunt, temporisve modum praescribunt. Exempla illustria moratoriorum ad longius tempus concessorum excitavimus §. 28. Eandem ob rationem liberam nimirum Principis potestatem moratoria simplici vice saepius recte indulgeri existimamus. Frustra opponitur L. 10. Dig. de feriis, ubi habetur: In pecuniariis causis omnis dilatio singulis causis plus semel tribui non potest. Lex haec, judici & magistratui inferiori scripta, ipsum Principem summum non tangit. Exemplum Sarepontanum vid. §. 218.

§. CCXXI.

quo effectu inter creditores extraneos?

Circa effectum moratorii ante omnia id in quaestionem venit, an illud vim quoque exerat contra creditorem extraneum, qui concedentis subditus haud est. Laudatus modo *Bergerus* §. 9. nullam rationem esse ait, cur debitor ab extero creditore in territorio ejus, qui moratorium concessit, conventus ab ejus usu ob solam exteri creditoris qualitatem excludi debeat. Sed ratio, quam desiderat, ex ipsa superius exposita moratorii indole facile patescit. Fundamentum quippe moratorii in eo est situm, quod cives & membra Reipublicae facta capitis & Principis suis praestare, adeo factam a suo Principe dilationem tanquam propriam agnoscere tenentur. Haec ratio in creditore extraneo cessat, qui, quod Principi extraneo nullo vinculo est obstrictus, nec facta ejus praestare, ipsiusve dilationem agnoscere tenetur. Difficulter quidem extraneus creditor contra debitorem, quem Prin-

Princeps tuetur, executionem impetrabit. Sed de ipſo jure hic eſt quæſtio. Accedit, quod creditor talis per ſuum Principem ſatisfactionem mediis vel ordinariis, vel his etiam fruſtra tentatis, violentis impetrare forte poſſit. Conf. Tit. 2. §. 35.

§. CCXXII.

inter ſubditos.

At contra creditores, qui Principis moratorium concedentis ſubditi ſunt, illud debitorem eatenus tutum præſtat, quatenus ipſe moratorii fert tenor, quem Princeps pro lubitu ad quævis debita extendere valet, e. c. quarentigionata, cambialia, jurata, per ſententiam & rem judicatam adjudicata, fiſcalia, Eccleſiis viduis, pupillis aliisve perſonis miſerabilibus, utut alimentorum & dotis nomine vel etiam ex delicto debita. Regulariter tamen ex maleficio debita Principis beneficio indigna cenſentur. Sicut & regulariter moratorium haud pertingit ad debita privilegiata, & peculiari favore digna, ut fiſcalia, Eccleſiarum, dotis, alimentorum. Quoties enim de tertii præjudicio agitur, ſtricta interpretatio merito ſibi locum vindicat. Pupillorum debita tunc demum peculiarem favorem merentur, ſi egentes ſunt, debitoque ad alimenta indigent. Alias vero major paupertatis, quam ætatis ratio habenda. In moratorio Ferdinandi II. civitati Goslarienſi 1624. dato apud *Limnæum* de Jur. publ. L. 7. c. 19. in fin. diſerte cavetur, ne civitas eodem utatur contra eccleſias, pias cauſas, pupillos aliosve creditores privilegiatos. Contra debita jurata ſalva conſcientia moratorium peti non poſſe, ſi tamen ex Principe motu proprio e. c. ob publicam calamitatem omnibus ſubditis indulgetur, adhiberi idem poſſe, quia de hoc caſu tempore præſtiti juramenti non cogitatum, putat *Stryck.* de abuſ. Reſcript. Morat. §. 16. Sed nec de caſuali ſingulorum infortunio tunc fuiſſe cogitatum, eodem jure diceretur. Conf. de pactis L. 1. T. 8. §. 310. ſq. Certe guarentigionata debita regulariter a moratorio haud eximenda, quoniam illud alias exiguæ foret utilitatis. Super pleriſque enim debitis datur chirographum. Si in chirographo beneficio moratorii diſerte renuntiatum, hoc debitorem aliter non juvabit, quam ſi Princeps in eodem dictæ renuntiationi iterum derogavit. Ad debita futura & demum poſt moratorium contracta illud non pertingere, manifeſtum, hoc vero ſi ad illa diſerte forſan extenſum, nemo tam erit ſtolidus, ut tali debitori quicquam

quam credat, quod ante elapſum tempus moratorio definitum repetere cupit.

§. CCXXIII.

Num uſuræ durante moratorio currant? varie inter Doctores diſceptatur. Affirmativam juvat reſtrictiva, quam creditoris præjudicium efflagitat interpretatio, negativam vero, quod alias moratoria exiguæ forent utilitatis. *Schweder.* Jur. publ. part. ſpec. Sect. 1. c. 17. §. 9 diſtinguit inter uſuras ex conventione & ex mora debitas, harum curſum ſiſti putat, quia reſcripto impetrato mora ceſſare videtur, illarum non item. Optimum erit, ut impetrans voluntatem concedentis deſuper expreſſe in reſcripto declarari curet. In triennali dilatione a Saxonum Electore ſubditis ob motus Suecicos conceſſa, ut uſuræ durante illo tempore currant, diſerte cavetur. In cauſa Baaden Durlach contra Naſſau Sarbruck Judicium Imperiale Aulicum d. 4. Febr. 1671. uſurarum curſum per Moratorium ſiſti judicavit. *num uſurarum curſum ſiſtat.*

§. CCXXIV.

Reſtrictiva pariter, quam hoc beneficium poſtulat, interpretatio mere perſonale illud eſſe dictitat, non aliter ad heredes pertinere, quam ſi horum quoque mentio reſcripto eſt inſerta. Fidejuſſor tamen moratorio, quod principalis debitor impetravit, juvabitur ob competentem ſibi ordinis & excuſſionis exceptionem, niſi huic in ſpecie renuntiaverit. Utiliter ac prudenter debitor curabit fidejuſſorum quoque in moratoriis mentionem fieri. Certe periret omnis moratorii vis, ni fidejuſſori illud pariter prodeſſet. Hic enim regreſſum caperet actione mandati adverſus debitorem, qui fidejuſſori moratorium fruſtra opponet, utpote contra creditoris perſonam conceptum. Quod vero nonnulli perhibent, ceſſionis beneficium per impetratum moratorium excludi, fruſtra exſculpitur & L. ult. C. qui bon. ced. poſſ. quæ loquitur de caſu, ſi electio creditoribus data, non autem electionem ipſis dare præciſe jubet. Quare electione haud data, utrumque & moratorii & ceſſionis beneficium locum habere poterit. Durante moratorio creditoribus, utpote agere non valentibus, nulla currit præſcriptio. *num heredes ac fidejuſſores juvet.*

§. CCXXV.

Replica, Duplica &c. Monenda hæc erant occasione exceptionum, speciatimque præscriptionis moratoriæ. Ad exceptiones rei quæ reponenda actor habet, positioni includit, quæ Replica vocatur, & est exceptionis exceptio. Ad hanc reus dat duplicam, actor iterum triplicam, ac reus tandem quadruplicam. Nam ultra quatuor positiones non solent admitti, imo plerisque in judiciis litigantes paucioribus * contenti esse jubentur, quod ex legislatoris arbitrio pendet, qui pariter declarat, num in scriptis, an oretenus positiones dari ad acta debeant Vid. Tit. 6. §. 188. Cum termini dies cunctis his positionibus haud sufficiat, septiduum passim ampliusve spatium speciatim in judicio Imp. Aulico spatium bimestre indulgetur, ut eodem positiones ad acta dent, zum Einbringen. Dilatoriis exceptionibus quam diu haud satisfactum, in ipsis causæ meritis progredi reus haud tenetur, quoniam alias, quæ in iis deduxerit, superflua forent, si dilatoriæ jam dum ad actorem repellendum sufficientes deprehendantur. Conf. Rec. Imp. 1654. §. 40. Eventualem talem litiscontestationem in primo termino esse faciendam, dixi §. 205. Ad peremtorias rei exceptiones ut in Replica aut Triplica actor respondeat, non præcise est necessum, sed sufficit, illud fieri in articulis elisivis intra terminum probationi præfixum offerendis.

* Ultra Duplicas in Camera Imp. non dari ulteriorem agendi vel defendendi licentiam ex SCto Cam. de 1659. & R. N. §. in den Mandatis docet *Textor* ad Recess. de 1654. diss. 4. §. 45.

§. CCXXVI.

Reconventionis indoles. Exceptionibus valde sunt affines reconventio, & media litem in alium transferendi, scil. exceptio nominationis seu laudationis, litis denuntiatio & interventio. An reconventio in Principum causis locum habet, disceptari inter Doctores video. Sed occasionem controversiæ dedisse videtur notio reconventionis æquivoca. Quare ipsam hujus negotii indolem penitius scrutari juvabit. Est nimirum reconventio eine Wiederklage actio reciproca, aut si mavis contraria, profluens ex eodem, quo ipsa oritur conventio seu directa actio, negotio *. Atque ut hæc actio seu reconventio

coram

coram eodem, quo ipsa conventio, judice instituatur, ipsa naturalis ratio suadet & postulat, tum quia is jam antea de causa est informatus, tum quia sic evitatur absurditas, ne in quo unus judex condemnat, alter absolvat. Unde reconventio suapte sua natura hunc habet effectum, ut is qui non cogitur in aliquo loco judicium pati, si ipse ibi agat, cogatur excipere actiones **, & ad eundem judicem mitti, quæ ipsa naturæ vox legitur in L. 22. Dig. de judiciis Nov. 96. c. 2. & in Spec. Sax. L. 1. art. 61. Wo der Mann Recht fodert, da soll er Recht pflegen & Suevic. c. 127. Wo der Mann Recht fodert, da soll er auch Recht nehmen.

* Quid directa quid contraria actio sit vid. Tit. 6. §. 179. Not. 1.

** Hinc ne ipsum quidem jus de non evocando reconventionem impedire valebit. Cum Comitissa de Arco adversus Judæum Bohemum Nicol Spuhren actione pignoratitia experiretur, hic vero jus de non evocando opponeret, nihilominus ipsi responsionem a Facult. Jurid. Viteberg. fuisse injunctam, testatur *Kemmerich* de jure de non evocando §. 23. in fin. Id vero sponte intelligitur, judicem, qui ob ipsam causæ indolem est incompetens, nec per reconventionem fieri competentem. Sic causa Ecclesiastica nec Secularis per modum reconventionis ad judicem Secularem trahi nequit. An coram arbitro reconventioni locus sit dixi Tit. 1. §. 19.

§. CCXXVII.

Neque est, quod dicas, hac ratione reconventionem ab exceptione nil distare. Namque reconventio locum habere poterit, ubi exulare jubetur exceptio. Sic si actor causæ & actioni renuntiat, excipiendi facultas haud datur, at reconveniendi. Pariter exceptiones in litiscontestatione omissæ per modum reconventionis possunt urgeri. Vice versa exceptio locum habere poterit, ubi reconventio exulat. Sic compensatio per modum exceptionis potest urgeri, etiamsi ex alio plane debito & negotio oriatur, at *ab exceptione differentia.*

at per modum reconventionis non item. Quandoquidem illa in solis caussis connexis sibi locum vindicat. Nam judicia, si præsertim a lege civili abstrahamus, per superius Tit. 1. §. 19. dicta solo litigantium consensu nituntur. At qui in una causa se alterius judicio submittit, in aliis quoque se submisisse ob strictam pactorum interpretationem dici nequit. Quare in iis negotiis, quæ in judicium sunt deducta, aut connexionem (causarum continentiam vocant) cum iis habent, fundata erit judicis jurisdictio, adeo ut in reliquis aliud plane judicium possit esse competens. Sed neque ipso Romano jure aliter se rem habere, clara evincunt verba Legis 14. C. de sententiis & interlocutionib. ibi: cujus in agendo quis observat arbitrium, eum habere & contra se judicem in *eodem negotio* non dedignetur. Neque in jure Canonico diserte contrarium legitur. Conf. Tit. Decretal. de mutuis petitionib. & cap. 3. de rescriptis in 6. ni forte quicquam exsculpere velis ex cap. 6. X. de arbitris. Vide superius dicta Tit. 1. §. 19.

§. CCXXVIII.

inter Principes usus. Hæc vera & genuina est reconventionis indoles, in qua cum nihil occurrat, quod non maxime sit naturale, dubitandum non est, eatenus eidem inter ipsos summos Principes locum esse relinquendum, cujus rei exempla attulimus Tit. 6. §. 187. At interpretes movere, latiusque porrigere reconventionis terminos, eique etiam in caussis non connexis locum facere conati sunt, tanto quidem cum successu, ut in ipsa praxi passim idem observetur. Occasionem huic rei dedisse videtur, quod cum interpretes viderent, reconventionem *mutuarum* actionum in L. XI. §. 1. Dig. de jurisdict. & *mutuarum petitionum* nomine venire in rubrica tituli Decretal. de mutuis petitionib. L. 1. §. ult. Dig. de extraord. petitionib. perperam inde concluserint, omnem mutuam actionem (sive connexa sit, sive minus) esse reconventionem. Est quidem reconventio species mutuæ petitionis & actionis, sed non vice versa omnis actio mutua est reconventio, quippe quæ tanquam genus & species inter se differunt. Interim ubi lex vel consuetudo peculiaris forum & effectum reconventionis etiam ad causas diversas non connexas extendit, tolerari illa quidem potest, neutiquam autem ad ipsas Principum causas temere extendenda, utpote qui eidem se submisisse neutiquam censentur. In Camera Imperiali petitionem mutuam ex alio negotio

gotio derivatam sub reconventionis prætextu non admitti, testatur *Ludolf.* de Jure Cameral. p. 270. variaque utilia monita subjicit.

§. CCXXIX.

Sic si reus conventus ex alio negotio mutuam petitionem instituit, & actor respondet, sicque processus continuatur, id non fit vi reconventionis, sed simpliciter prorogatæ jurisdictionis. A rejecta reconventione recte appellatur etiamsi petitio in reconventione summam appellabilem non attingat, quia non tam quantitas, quam privationis iniquitas consideratur. Si in conventione appellatio est interposita, reconventio una devolvitur, quod secus se habet in petitione mutua ex negotio diverso. Processus mandatorum sine clausula conf. Tit. 6 §. 186. sua natura reconventionem non admittit, sed ad separatum judicium tunc fit remissio, quod & in aliis judiciis observatur, quoties causa moram non patitur, ut in causis spolii, alimentorum, possessorii summarissimi. Austregæ quatenus reconventionem admittant vid. Ord. Cam. part. 2. tit. 4, Reconventionis reconventio non admittitur, ne detur progressus in infinitum. Ad moras præcidendas consultius videtur reconventionem processu non quidem eodem * cum conventione, simultaneo tamen tractare. Unde quamvis olim in Saxonia a jure Romano in tantum recederetur, ut reconventio demum finita conventione institui potuerit, mutatum tamen id fuit per Ord. Recogn. de 1724. tit. 6. §. 1. ita ut & anticipari ** possit, & ante conventionem institui reconventio addita simul §. 2. declaratione, ut reconventio in solis causis connexis admittatur, a processu ordinario autem & causis mutuarum injuriarum penitus exulet ***. *Varia circa eum monita.*

* Quo posito nil impedit, reconventionem admittere, cujus causa sit ordinaria, utut causa conventionis fuerit summaria. Doctores vulgo reconventionem quæ eodem cum conventione processu tractatur, propriam, illam vero quæ diverso, utut simultaneo cum conventione processu tractatur, impropriam vocant. Propriæ locum faciunt usque ad litiscontestationem, impropriæ usque ad finitam conventionem.

** E. c. si is, qui chirographum alteri dedit, contra quod exceptione altioris indaginis e. c. metus est munitus, adversarium prævenit, & chirographum actione ordinaria repetit, antequam dies solutionis venerit, & ex chirographo agi possit.

*** Antea Saxonia in causis mutuarum injuriarum reconventionem, etiam nondum finita conventione, admittebat, ita ut inchoari & usque ad litiscontestationem perduci posset, qua facta suspendebatur & quiescebat reconventio usque ad finitam conventionem, quia ex hac demum de reconventionis justitia constare poterat. Factæ interim litiscontestationis hic erat effectus, ut lis perpetua fieret, atque ad heredes transiret.

§. CCXXX.

Exceptio laudationis seu nominationis. Nominationis seu laudationis exceptione gaudet, seque a lite liberat, qui ob rem, quam alterius nomine possidet, reali rel in rem scripta actione a tertio convenitur, dummodo eam ante litiscontestationem opponat, alias eidem renuntiasse videtur, atque ad minimum ad interesse tenetur, quæ omnia ex ipsius negotii indole intelliguntur. Conf. L. 2. C. ubi in rem act. & cap. ult. X. ut lite non contest. Leges civiles ei, qui falso quem nominat, pœnam amissæ possessionis irrogant. Vid. L. ult. Dig. de rei vind. Si quis autorem, cujus nomine se possidere putat, nominat, nominatus vero negat, rem esse suam, nominans ad rem absque mora restituendam merito compellitur. Sola vero nominatio forum haud prorogat, unde nominatus in foro nominantis comparere haud tenetur, sed ad suum aut rei sitæ forum rem remitti recte postulat.

§. CCXXXI.

Litis denunciatio. Litis denuntiatio est actus, quo quis sive actor sit, sive reus, ei, quem ad præstandam rei evictionem sibi habet obligatum, eandem sibi imminere significat *, quod fieri potest, quam diu ** novæ probationes admittuntur super solis tamen rebus, quarum evictio præstanda, unde cessat in donationibus aliisve negotiis lucrativis, it. in possessorio, nisi in

specie

ſpecie evictæ poſſeſſionis præſtatio fuerit promiſſa. Finis & effectus denuntiationis eſt, ut denuntiatus cauſam in ſtatu quo ſuſcipiat, & conjunctim cum reo (utpote qui per denuntiationem ex lite haud dimittitur) continuet, quod iisdem ſcriptis commodiſſime peragitur. Sin emanet denuntiatus aut ſuccumbit, reus contra eum habet regreſſum. Conf. L. 21. 29. C. de evictionib. L. 13. 19. 53. Dig. eod. An etiam quod expenſas dixi de pactis L. 1. T. XI. §. 357.

* Etiam extrajudicialiter, ni lex ſpecialis judicialem denuntiationem requirat, ut in Saxonia per Ord. Proc. tit. 14.

** Prudenter ante litisconteſtationem, quia poſt eam peremptoriæ exceptiones non admittuntur.

§. CCXXXII.

Interventio eſt actus, quo litigantibus tertius propter ſuum intereſſe in quacunque judicii parte * liti ſe immiſcet; eſtque vel principalis, ubi interveniens pro aliquo litigantium prorſus excludendo laborat, vel acceſſoria, quando ſaltem ad alterutri aſſiſtendum intervenit. Priori caſu interveniens ad proceſſus terminos non eſt adſtrictus, ſed novum inchoare poteſt. Poſteriori cauſam in ſtatu quo aſſumere tenetur. Unde ſi ejus, qui principaliter intervenit, jus prius ad liquidum eſt deducendum, proceſſus antea agitatus tantiſper ſuſpenditur, es wird mit der Sache ſo lange in Ruhe geſtanden. Ad interventionem creditorum concurſus eatenus ſpectat, quatenus ſuper prioritate crediti certando alter alterum excludere laborat. Qualis ordo in Concurſu Creditorum, iisque ſatisfaciendo, ſervari debeat dixi in Reali Principum Jure L. 3. T. 3. §. 412. Modus procedendi hic eſt. Super ſingulorum Creditorum rite vel nominatim vel edictaliter citatorum prætenſionibus acta peculiaria conficiuntur, iisque confectum bonorum inventarium jungitur, bonis ac liti curator conſtituitur, (qui unus idemque eſſe poteſt, ni ipſe in creditorum ſit numero. Creditor enim bonorum quidem curator eſſe poteſt, & debita debitoris activa exigere, non autem litis Curator, ne duobus muneribus ſibi contrariis ſimul fungatur). Creditores ubi ſuas liquidationes ad acta, oſtenſa ſimul priorita- *Interventio.*

te dederunt, & litis curator ad illas (prioritatis enim jura eum non tangunt) respondit, excepit, documenta recognovit, mutuisque positionibus cum creditoribus egit, sententia classificatoria seu designatoria, quo ordine solutio sit facienda, pronuntiatur, ab eaque si litigantibus e re visum fuerit appellatur. &c.

* Etiam in executione, si jus est liquidum. In revisorio Cameræ Imperialis judicio interventionem locum non habere, sed ad separatam actionem intervenientem esse remittendum, docent *Lyncker* Decis. 1145. & *Ludolf.* de Jur. Cam. p. 336.

TITULUS VIII.

DE

Probatione.

* * *

Rei dubiæ per argumenta ostensio dicitur probatio & quidem plena, si per ocularem demonstrationem, aut adversarii confessionem, aut documenta, aut duos testes idoneos peragitur. Semiplena, si per unicum saltem testem idoneum. Quæ infra hunc certitudinis gradum suppetunt in re dubia conjecturæ, præsumtiones

tiones audiunt, & quam diu per fortiores non eliduntur, a probandi onere liberant.

§. CCXXXIII.

Ad inſtitutam actoris querelam ubi reus ſingula concedendo reſpondet, vel exceptiones quidem, eas tamen nullius momenti affert, merito condemnatoria adverſus eum fertur ſententia. Sin quædam actoris aſſerta rem principaliter concernentia negat, vel exceptionibus ſaltem eorum vim infringere prætendit, res in eo vertitur ut uterque intentionis ſuæ fundamenta afferat, & actor jus prætenſum, reus autem exceptiones ſuas probet. Quare judex probationi terminum certum præfigit, qui ſi per ſententiam interlocutoriam præfigitur, fatalis reputatur, adeo ut eodem neglecto probatio deſerta cenſeatur, niſi dilatio * impetretur, aut reſtitutione ** in integrum e. c. minorenni, univerſitati &c. conſulatur. Sin probationis terminus ſaltem per citationem aut præceptum, durch eine Auflage præfigitur, fatalis haud reputatur arg. Rubr. Cod. Comminationes, epiſtolas &c. Nimirum in legislatoris arbitrio eſt poſitum, qua pœna contumaces & inobedientes coercere velit. *Probatio a judice injungitur.*

* Quæ ante termini lapſum petenda. Poſtea enim ob jus adverſario quæſitum concedi nequit, niſi ille huic ſuo juri renuntiet, quod tacite fit teſtium examini non contradicendo, aut documenta ſine proteſtatione recognoſcendo. Num dilatio petita nec denegata pro tacite conceſſa haberi debeat, it, quot concedi debeant? legislatoris arbitrio definiendum. Nonnunquam etiam partes hinc inde ſibi promittunt, quod dilationes petere nolint. Quodſi tamen grave intervenerit impedimentum, nihil obſtabit, quo minus judex parti impeditæ, altera invita, dilationes largiatur. Atque ex altera parte prudentius ſtatim in dilationem conſentitur, quam deſuper diſceptatur, quoniam poſt longas altercationes illa poſtmodum nihilominus ſolet concedi.

** Quo tamen caſu reſtitutus impenſas ferre tenetur. Reſtituitur hoc

hoc in passu, & quia de damno vitando certat privilegiatus etiam contra æque privilegiatum e. c. minor contra universitatem, curatore tamen prius excusso L. 13. §. ult. C. de Judiciis & L. 3. C. si tutor. vel Curat. interven. quod tamen in praxi non attenditur.

§. CCXXXIV.

anticipari tamen potest. Si periculum subest, ne probatio intereat, testes moriantur, &c. anticipari potest probatio, & ante sententiam interlocutoriam, imo ante litem contestatam vel plane motam institui (ita tamen ut publicatio attestationum differatur in tempus ordinarium) quæ probatio ad perpetuam rei memoriam vocatur cap. 5. X. ut lite non contest. Jure Romano hanc probationem ignorari ex L. 4. Dig. ad L. Aquil. vulgo colligunt, sed quam bene, ipse videas. Ceterum pro examinandis testibus ad perpetuam rei memoriam implorandus est judex competens causæ principalis, & pars adversa citanda ad audiendum jurare testes, & danda interrogatoria. In Camera Imperiali impetrari commissionem ad examinandos testes ad perpetuam rei memoriam, etsi causa principalis ad Austregas pertineat, observat *Textor* ad Rec. Imp. 1654. diss. 4. §. 58. p. 154. Solet & Camera nonnunquam per decretum prælocutorium probationem injungere ante emissam citationem, ne frustra in jus vocentur personæ digniores, quales sunt plerique, qui ibidem conveniuntur. Vid. *Ludolf.* de Jure Camerali p. 355.

§. CCXXXV.

fieri debet judici. Est autem probatio rei dubiæ per argumenta ostensio. Dico rei dubiæ. Nam in re clara & manifesta probationem exigere, stolidum foret. Desinit autem res esse dubia, & incipit esse clara, ubi de ejus certitudine judici ex actis & juris ad ea applicatione constare potest. Nam ideo judex est constitutus, ut ipsius judicio dubiæ res dirimantur. Quare nec sufficit, solum actorem causæ habere certitudinem, nec opus est, ut adversarius eandem præcise agnoscat. Male *Grotius* de I. B. & P. L. 2. c. 7. §. 2. in fin. rei certitudinem ex solius actoris conscientia metitur, & ei, cui jus quidem certum sit, sed ejus probatio deficiat, facultatem ad jus pristinum redeun-

redeundi, ſibique jus dicendi tribuit, non ſatis ſibi conſtans, dum alibi L. 2. c. 23. §. XI. ab eo, qui juſtam cauſam habere ſe ſcit, ſed documenta non habet ſufficientia, quibus poſſeſſorem de injuſtitia ſuæ poſſeſſionis convincat, bellum licite non ſumi, recte docet, quoniam alias ſumma in orbe oriretur confuſio. Sed nec certitudinis agnitio ab adverſario expectanda. Huic enim probatio nunquam ſatisfaceret, etiamſi omnia probationum adminicula in unum conferres, & ſolem ipſum pro oſtendenda veritate in manibus gereres. Sed ſolum judicem de rei certitudine eſſe perſuaſum, ſufficit.

§. CCXXXVI.

Cum varii dentur certitudinis gradus, quinam judici ad ſententiam ferendam ſufficiant, diſpiciendum. In ſe ſi res & propoſitiones cunctæ ſpectentur, omnes aut veræ aut falſæ ſunt, Sed quoniam hæc veritas vel falſitas homines ſæpenumero latet, ipſorum intuitu datur tertium propoſitionum genus, ſcil. dubiarum. Atque hæ ipſæ nunc magis nunc minus dubiæ exiſtunt. Ipſa veritas gradus non admittit, quia eſt una, ſed certitudo notitiæ, qua veritatem cognoſcimus. Propoſitiones, quarum veritas tam apodictice poteſt oſtendi, ut contrarium plane ſit impoſſibile, merito demonſtrative veræ ac certæ vocantur, quorſum ſpectant leges juris naturæ præceptivæ & prohibitivæ, & facta quæ in ſenſus adhuc incurrunt, de quorum certitudine e. c. per ocularem inſpectionem certo poteſt conſtare. Illæ vero propoſitiones, quarum probatio in tantum ſaltem peragitur, ut contrarium per contrariam probationem deduci adhuc poſſit, probabiles ſaltem ſunt, quorſum ſpectant omnia facta, de quorum veritate per ſolam hominum confeſſionem conſtat, ſive illa ſit propria factum patrantis (nam & hic metu, errore, aliisve cauſis ductus, falſum tum ſimpliciter, tum jurejurando accedente, tum oretenus, tum in ſcriptis fateri poteſt) ſive aliena, itidem tum oretenus prolata, quorſum ſpectat teſtium depoſitio, tum ſcriptis comprehenſa. Scripta ejusmodi ſive propria ſive aliena ſint, documentorum nomine veniunt. *Pro diverſis certitudinis gradibus.*

§. CCXXXVII.

Atque in his probandi generibus majorem quam reliqua probabilitatem *probatio*

vel plena est vel minus plena. tem operatur propria adversarii confessio, si spontanea fuerit. Unde reo sponte confitente, frustra aliæ probationes requiruntur, quia omnes reliquæ minus quam facta confessio probarent. Quæ vero mediante imposito jurejurando confessio a reo extorquetur, ob vim utut juste illatam, minorem probabilitatem operatur, quam reliqui probandi modi, & proinde merito saltem in subsidium aliis probationibus deficientibus adhibetur. Probatio per documenta a recognitione vim suam accipit, & facta recognitione pari cum propria confessione passu ambulat. Sin diffessio jurata offertur, ob exiguam ex tali jurejurando oriundam probabilitatem haud immerito altera pars ad contrarii probationem admittitur, (utut legislator juste satis præcipere possit, ne contraria adversarii probatio admittatur, quia statim ab initio alio probandi genere, si quod ipsi suppetit, uti potuisset:) Quæ denique per testes peragitur probatio, mediam inter spontaneam propriam confessionem & jus jurandum probabilitatem operatur, quia testes, licet jurare cogantur, in alius gratiam non tam facile creduntur falsa asserere, quam ipse reus in propria causa, præsertim si plures in depositione sua conspirent. Unde communiter duorum testium omni exceptione majorum concors depositio plenam fidem, i. e. quanta causæ decisioni sufficit, facere creditur, at unius omni exceptione majoris saltem semiplenam *, quo casu, ut & si fides semiplenâ major facta e. c. per duos testes, quorum unus non omni exceptione major, suppletorio juramento locus fit. Unius denique testis non omni exceptione majoris depositio minorem semiplenâ fidem facit, & purgatorio locum relinquit.

* Semiplenam probationem juri Romano incognitam nonnulli putant moti L. 9. C. de testib.

§. CCXXXVIII.

Quænam indicia plenam facere debeant, a legis lato- Quæ omnia utut æquitati maxime sint consentanea, quia tamen circa sola probabilia & indifferentia versantur, legislatoris arbitrio subsunt, justeque mutari possunt. Neque enim legibus positivis universalibus, sed Judæorum particularibus saltem annumeranda videtur illa Numer. XXXV. 30. Deut. XIX 15. de veritate in duorum testium ore constante. Ac licet a legislatoribus prudenter servetur, nulla tamen id fit necessitate cogente,

gente, & pro arbitrio poteſt mutari. Infra Tit. 9. §. 272. 273. dabimus exempla cauſarum, in quibus nonniſi ſeptenarius vel quinarius teſtium numerus plenam fidem faciebat. Sed & unicum teſtem ad certitudinem & fidem judici faciendam ſufficere debere, a legislatore poterit edici, id quod licet ſuadendum non ſit, præſertim in criminalibus, de quibus dicti textus loquuntur, ſi tamen fieret, non protinus foret injuſtum. Plane in negotiis, quorum ſuapte natura, & quoniam remotis teſtibus clam peragi ſolent, difficilis eſt probatio, præſertim ſi non criminaliter, ſed ad civile intereſſe agitur, quin unicus ſufficiat teſtis, haud dubitatur. In poſſeſſorio ſummario unicum teſtem juratum vel duos injuratos admittit Ord. Proc. Sax. Recogn. App. §. 20. In cauſis antiquis & levia indicia, & probationes alias inſufficientes e. c. ſolæ copiæ fidem faciunt ob difficilem talium rerum probationem, & quoniam per tantum temporis ſpatium nec documentis integritas, nec actis fides, nec ætas teſtibus valet ſuffragari, ut loquitur Nov. CXI.

ris determinatione pendet.

§. CCXXXIX.

Nobis hic ſufficit monuiſſe, rariſſime in litigantium cauſis haberi poſſe veritatem apodicticam, & certitudinem demonſtrativam, ſed quoniam plerumque ſuper factis dubiis diſceptatur, eorumque ſaltem probabilitatem eſſe eruendam, hanc vero prudenti plerorumque judiciorum inſtituto ad cauſam ſententia dirimendam judici tunc debere ſufficere, ſi vel propria adverſarii confeſſione, vel duorum teſtium depoſitione nititur. Quæ infra hunc certitudinis gradum conſtituuntur veritatis indicia, *præſumtionum* nomine veniunt, quippe quæ nihil aliud ſunt, quam conjecturæ * in rebus dubiis, adeoque differunt a probationibus. Hæ enim fidem per ſe faciunt, præſumtiones vero per alia, quæ certa ſunt. Unde & præſumtio paſſim probatio artificialis, aut, quod malim, impropria vocatur. Sed & a *fictionibus* differunt præſumtiones. Fictiones quippe adverſantur veritati, at præſumtiones fundantur in veritate.

Indicia, quæ ſemiplenam probationem haud efficiunt, vocantur præſumtiones.

* Hæ conjecturæ, ubi in malam partem vergunt, vocantur *Suſpicio* Argwohn, de qua vid. de pœnis §. 208.

§. CCXL.

§. CCXL.

Sunt vel hominis. Diſpeſcuntur præſumtiones in hominis, juris, & juris & de jure. *Hominis* præſumtio eſt conjectura, quæ ſolo hominis facto, eoque ad obligationem inducendam inſufficienti nititur. Atque talis præſumtio fidem non aliter facit, quam ſi aliis adminiculis juvatur. E. c. ſi quis in teſtamento ſuo, aut privatis ſuis rationibus, aliisve conſignationibus ſcribit, alterum ſibi tantum debere, id aliqualem debiti præſumtionem facit. Sed cum ex ſola creditoris profeſſione nulla oriatur debitoris prætenſi obligatio, nulla plane talis præſumtionis habenda eſt ratio, quam ſi aliis adminiculis juvetur, conf. L. 5. & 6. C. de probationib. e. c. ſi debitor, cui antea tales teſtamenti tabulæ fuerunt prælectæ, iisdem tanquam teſtis ſubſcribit, aut ſi privatæ conſignationi accedit teſtimonium teſtis non omni exceptione majoris, tunc enim levis hæc præſumtio id operatur, ut non modo purgatorio ſed pro re nata, ſi ſcil. utraque litigantium pars nonniſi de credulitate jurare poteſt, etiam ſuppletorio juramento locus fieri poſſit.

§. CCXLI.

vel juris. Præſumtio *juris* dicitur conjectura, quæ oritur ex ſigno vel circumſtantia adeo probabili *, ut jure meritoque tam diu pro veritate habeatur, donec contrarium fuerit probatum, ut proinde omnis talis præſumtio lateat ſub generali, qua præſumitur id, quod ut plurimum fieri ſolet, aut quod rationabile & facile. Sic ex naturali hominum ſtatu & æqualitate in dubio pro libertate ** præſumitur, it. quod quilibet ſit bonus & idoneus conf. cap. 15. & 16. X. de præſumt. *** Infans ejus eſſe præſumitur, quem nuptiæ demonſtrant, licet ſeptimo poſt nuptias menſe natus.

Inter gemellos marem & fœminam ille prior natus præſumitur. Si ſuper mortis prioritate dubium oritur, morte *naturali* Senior prædefunctus præſumitur, *violenta* autem debilior. Hinc ſi mater & infans ſimul naufragio pereunt, infans prior mortuus præſumitur. Pater cum filio in acie occumbens, ante filium occubuiſſe præſumitur L. 9. 10. & 23. Dig. de reb. dub. Ex viro & uxore ejusdem fere ætatis hæc præmortua creditur L. 32. §. 1. Dig. de rel. & ſumt. fun. Ex poſſeſſionis indole pro poſſes-

ſure

ſore militat juſtæ poſſeſſionis & dominii præſumtio. Hinc porro ea, quæ ſunt in territorio, præſumuntur eſſe de territorio. Edicta affixa pariunt præſumtionem jurisdictionis. Ex pecuniæ ſolutione merito præſumitur, eam fuiſſe debitam conf. L. 25. Dig. de probat. Ex chirographo cancellato debitor liberatus præſumitur L. 24. Dig. de probat. Qui nudus cum nuda ſolus cum ſola deprehenditur, carnaliter eam cognoviſſe præſumitur cap. 12. X. de præſumt. Quanto quis eſt vicinior, tanto meliorem rei ibi geſtæ notitiam habere præſumitur cap. 7. X. de præſumt. Ex Apochis (trium) ultimorum annorum præſumitur & præſtatio anteriorum L. 3. C. de Apoch. publ.

* A competente Principi poteſtatis plenitudine ad voluntatem, quod eadem uti velit, probabile argumentum ſeu præſumtio non oritur, nec a ſolutione cenſus ad ſubjectionem cap. 8. X. de privil.

** Hinc poſſeſſio juris, contra nonnullos ex civitate aut univerſitate acquiſita, contra reliquos obtenta non præſumitur, niſi omnibus præſtatio indicta. Hoc enim ſi factum, quibusdam obtemperantibus, etiam reliquis non contradicentibus præjudicatur.

*** Num debitor, qui non ſolvendo exiſtit, præſumi debeat decoctor, an caſu ad paupertatem redactus? dubium valde videtur. Ex una parte pugnat, quod quilibet bonus præſumatur, ex altera, quod caſus ſit facti, ac probationi obnoxius.

§. CCXLII.

Præſumtio *juris & de jure* dicitur conjectura, quæ licet ex communi præſumtionum indole contrarii probationem admittat, lege tamen civili ita firmatur, ut eidem ſimpliciter fides haberi, nec contrarii probatio admitti debeat. E. c. ex chirographo oritur præſumtio, pecuniam eſſe ſolutam. Naturalis hujus præſumtionis indoles hæc eſt, ut tamdiu fidem faciat, donec contrarium, pecuniam ſcil. numeratam non eſſe, probetur. Ne tamen hac ratione lites nimium multiplicentur, civiles leges hanc contrarii probationem intra certum tempus coarctant, quo elapſo oriundam *vel juris & de jure*

ex chirographo præſumtionem adeo firmam validamque eſſe jubent, ut contraria probatio plane exulare debeat. Conf. de pactis L. 2. T. 23. §. 816. It. poſſeſſio naturali jure operatur juſti tituli præſumtionem, quæ tamen per alterius probationem contrariam poſſet elidi. At ex 30. annorum poſſeſſione arg. L. 8. §. 1. C. de præſcript. 30. vel 40. annor. oritur præſumtio juris & de jure, poſſeſſorem juſte poſſidere, adeo ut contratria probatio haud admittatur. Aliud exemplum vid. L. 22. ſq. C. ad SCt. Vellej. L. fin. C. arb. tut. Nov. 117. c. 15. Intelligitur ex dictis, tali lege civili ejusmodi præſumtionem plane amittere naturam præſumtionis ſive conjecturæ, & pro ipſa veritate non quidem Logica, ſed Juridica haberi, quod ipſum *Thomaſio* aliisque anſam dedit, plane dubitandi de exiſtentia præſumtionum juris & de jure. Sed in Verborum Significationibus non omnia ad vivum adeo ſunt reſecanda, ſi uſus aliter fert, cui plurimum ibi tribuendum. Ceterum cum præſumtiones juris & de jure legem civilem ſupponant, ad ſummos Principes easdem applicandas haud eſſe, facile patet.

§. CCXLIII.

Quid probandum? Cognita ſic generali probationum & præſumtionum indole, obſcurum amplius eſſe nequit, quid & a quo probari debeat? Probanda ſcil. eſt res dubia, quæ ab adverſario in dubium vocatur. At probatione haud egent irrelevantia, quæ ad rem ſuper qua litigatur, nil faciunt, neque illa, quæ ab adverſario jam dum ſunt conceſſa, adeoque pro dubiis amplius haberi nequeunt. Neque ea quæ notoria ſunt. Si tamen notorietas negatur, hæc ſaltem probanda venit, utut plerumque ipſius rei, quam notorietatis facilior ſit probatio. Sed nec ea, pro quibus militat præſumtio, probatione indigent. Præſumtiones enim cauſam eſſe dubiam indicant. In dubio autem conjecturæ probabili, quæ ipſa eſt præſumtio, tam diu merito ſtatur, donec illa per fortiorem elidatur. Hoc illud eſt, quod dicitur, præſumtionem liberare ab onere probandi, illudque in adverſarium transferre.

§. CCXLIV.

A quo? Probationem fieri debere ab eo, qui in aſſerto, de cujus probatione quæritur, intentionem ſuam fundat, res ipſa loquitur ſive actor ſit, ſive

reus

reus. Sic si actor sibi ex vendito deberi, reus autem ex mutuo se compensare asserit, actor venditionem, reus mutuum probare tenetur. Quam actor suscipit probationem seu demonstrationem, proprie & in specie sic dicitur Beweiß, Bescheinigung, quam vero reus, reprobatio, contrademonstratio Gegen-Beweiß, Gegen-Bescheinigung, vocatur. Solet plerumque assertum, in quo quis se fundat, esse affirmativum, unde nata est regula: negantis per rerum naturam nullam esse probationem L. 2. Dig. L. 23. C. cap. 12. X. de probat. quam impugnare quidem est annisus *Coccejus* peculiari dissertatione de directa negativæ probatione. Sed distinguendum est inter negationem directam & indeterminatam cujus ea omnino est indoles, ut nullam admittat probationem, & determinatam, seu tempore locoque circumscriptam, quæ probari quidem per indirectum potest e. c. si quis certo die Norimbergæ alteri 1000. numerasse contendit, alter vero negat, tunc, si illo die se Constantinopoli fuisse probet, per indirectum probare potest, Noribergæ solutionem ipsi non fuisse factam. Potest inquam talis probatio quandoque perfici. Sed invitus ad eam adigendus nemo erit, etiamsi in tali negatione fundamentum intentionis suæ collocet. Nam cum alter in facta numeratione intentionem suam fundet, ejus potius erit, illam probare. Denique, quod vulgo additur, negativam prægnantem esse probandam, in Logomachiam abit, cum talis negativa prægnans implicite sit affirmativa, & solo verborum sono negativæ speciem mentiatur. Sic, qui negat alterum, esse liberum vel integræ famæ, implicite asserit, eum esse servum vel infamem, item qui negat, alterum ab intestato esse mortuum, asserit, quod testamentum condiderit, qualia asserta probari omnino debent.

§. CCXLV.

Modus in probatione peragenda usitatus hic est, ut probaturus intentionis suæ fundamenta, ex libelli visceribus desumta, brevissimis positionibus, *articulos* vocant, includat. Articuli illi si ea, quæ ad ipsam actionem spectant, deducunt, *probatoriales* in specie dicuntur, sin replicam adversus exceptiones a reo oppositas probant, *elisivi* audiunt. Singulis articulis subjicitur probandi genus, quo ejus veritas ostendetur, an per testes, an documenta, aut quod fieri potest utraque * simul, aut juramenti *quomodo?*

dela-

delationem (quæ tamen cum alio probandi genere haud cumulatur vid. §. 237.) ſub finem articulorum annectuntur nomina teſtium cum directorio, ſeu deſignatione articulorum per numeros, ſuper quibus ſinguli teſtes examinandi, documentorum vero copiæ ſubjunguntur. Articuli ſic judici oblati ab eodem communicantur adverſario, qui interrogatoria dat, ſuper quibus teſtes, a probante adductos, interrogari petit. Ita ſe res habet in proceſſu ordinario, & ſolenni probatione. In proceſſu ſummario ſufficit minus ſolennis probatio, quæ nec articulis præciſe includitur, nec adverſario, ad videndum jurare teſtes, & ad danda interrogatoria, citato peragitur, ſed unilateraliter einſeitig fieri poteſt. Documentorum tamen recognitio etiam in unilaterali probatione neceſſaria vid. Tit. 10. §. 303.

* Ne tamen quis ſucceſſive, & ſi in probatione per teſtes defecit, poſtea demum ad documenta provocet, prudenter legibus interdicitur, & vice verſa poſt documenta rejecta ad teſtes. Ne ſcil. falſi teſtes vel falſa documenta ſubornentur.

§. CCXLVI.

e. c. per ocularem demonſtrationem

Ipſa probationum genera jam dum attigi §. 237. ſq. Fortiſſimum & evidentiſſimum eſt illud, quod fit per ocularem demonſtrationem, per quam e. c. judicium finium regundorum ſæpe numero optime terminari animadvertimus. Sic & uxor per inſpectionem probat, ſe eſſe gravidam. Item adulterii vel fornicationis accuſatus, ubi per ocularem pudendorum inſpectionem, ſe impotentem oſtendit, firmiſſime innocentiam probat *. Econtra marito juranti ſe uxorem cognoviſſe non creditur, ſi ocularis inſpectio ejus rei impoſſibilitatem docet cap. 4. X. de probat. In criminalibus cum probationes requirantur luce meridiana clariores, quoties corpus delicti ita ſua natura & indole eſt comparatum, ut in oculos incurrat, inſpectio e. c. cadaveris occiſi inſtituitur.

* Albertus Archiepiſcopus Bremenſis, ex gente Brunſuicenſi oriundus, a Decano ſuo Joanne a Zeſterfleth, quaſi hermaphroditus ſit diffamatus, per inſpectionem contrarium probavit, & adverſarium ad deprecandam illatam ſibi injuriam coegit. Methodium Patriar-

Patriarcham Constantinopolitanum adulterii incusatum, sed pudendis, quæ ipsi dudum contabuerant, detectis innocentiam suam deducentem sistit *Zonaras* Annal. Tom. 2. L. 16. p. 154. & *Cedrenus* Tom. 2. p. 537.

§. CCXLVII.

Confessio adversarii manifesta est probatio, id quod illustrium controversiis applicaturus *Titius* Specim. Jur. publ. p. 551. 555. argumentum inde ducit pro præcedentia Imperatoris, quia reliqui Reges pro supremo eum agnoscunt. Nec interest, num confessio adversarii expresse an tacite * declaretur, dummodo spontanea sit, nec vi aut errore elicita, alias confessus ad erroris probationem merito admittitur. Præsertim liquida esse debet confessio, quæ flecti in alium sensum nequit. Hinc eum, qui actionem familiæ erciscundæ instituit, non præcise alterum heredem fateri, sed saltem supponere infert *Titius* l. c. p. 286. Qui propriam turpitudinem allegat, confessione sua sibi quidem, non autem aliis nocet. Se ipsum enim præter rem nemo gravabit, allegata vero turpitudo ad testimonium in alius causa ferendum inhabilem reddit. Conf. L. 30. C. de Transact. L. 4. C. de revoc. donat. cap. 8. X. de donat. cap. 9. X. de excess. Prælat. Unde *Barbosa* infert spernendam esse confessionem testis, qui falsum se dixisse asserit, & *Mascardus* pariter negat, judici in mortis articulo fasso, se pecunia corruptum judicasse, fidem esse habendam. *adversarii confessionem*

* Criminis suspectus qui sibi vim citra vitæ tædium vel impatientiam doloris intulit, puniendus dicitur *quasi de se sententiam detulit* L. 3. §. 6. Dig. de bonis eor. qui ante sententiam. Tacite etiam per contumaciam reus fateri censetur, quod tamen confessionis genus in criminalibus pœnæ ordinariæ locum non facit.

TITULUS IX.

DE

Probatione per Teſtes.

* *
*

Teſtis idoneus reputatur homo, qui juſto rationis uſu prædituś, integræ famæ, nec partium ſtudii ſuſpectus, de propria negotii ſcientia deponit. In propria cauſa ne Princeps quidem teſtis eſt idoneus. At in negotiis, quæ publicæ adminiſtrationis intuitu peragit, plena, ipſi ſine jurejurando fides debetur. Subditi in dominorum cauſa teſtimonium ferre inviti haud coguntur. Si volentes illud perhibent, non omni exceptione ſunt majores, ſicut nec membra univerſitatis in cauſa, quæ ſingulorum intereſſe reſpicit.

§. CCXLVIII.

In quantum voluntas in teſte

Ut valida ſit inſtituta per teſtes probatio, requiritur, ut teſtes & potuerint & voluerint teſtimonium perhibere. Voluntas requiritur, quia teſtimonium perhibere ad illa officiorum genera pertinet, quorum naturali jure imperfecta eſt obligatio, adeo ut teſtis in conſcientia

tia quidem teneatur testimonio suo proximi commodum promovere, sed cogi ad illud invitus nequeat, quia se nullo suo facto ad id alteri obligavit. In societate autem civili testibus ab imperante vi factæ subjectionis, ortique inde imperii, testimonii dicendi necessitas imponitur, a qua nonnisi justa excusationis causa allata liberantur. Talis est metuenda ex testimonio capitalis inimicitia, it. necessitudo debitusque pietatis cultus. Sic ad testimonium nec liberi contra parentes, nec hi contra illos coguntur, nec conjuges aut fratres & sorores contra se invicem, nisi pro uno fratre contra alterum testimonium sit perhibendum. Nec subditi, ut testimonium contra magistratum suum ferant, cogi aut juberi solent, possunt tamen, si ita summo Principi visum fuerit, quo casu tacite ipsis fides & juramentum, quo magistratui tenebantur, jam dum est remissum, utut majoris cautionis & solennitatis ergo diserte tunc remittatur.

§. CCXLIX.

Facultas & habilitas testandi æstimatur ex statu, moribus & affectu testis. Intuitu status requiritur, tum ut testis sano rationis usu polleat, quidque actum sit, noverit ac intelligat, tum ut idem referre aliis speciatimque judici* valeat. Posterius nequit is, qui & loqui & scribere nescit *& facultas testandi requiritur?* it. ex civili instituto, quo nonnisi jurato creditur, is, qui a jurejurando repellitur. Prius deficit furiosis, amentibus, infantibus, qui omnes proinde a testimoniis merito arcentur. Rhetorice magis quam vere dicitur apud *Senecam* L. 7. Declam. 5. & L. 3. Controv. 20. nihil puero teste esse certius utique quinquenni, quippe qui ad eos pervenerit annos, ut intelligat, & nondum ad eos, quibus fingat. At experientia docet, infantes simulac aliquam utut confusam & indistinctam rerum ideam concipiunt, ad fingendum esse pronos aptosque. Jure Romano in causa civili testis 14. in criminali 20. annos habere jubetur L. 19. & 20. Dig. de testib. scil. ad convincendum. Namque ad inquirendum etiam 20. annis minorum depositio admittitur. Et in Majestatis crimine etiam impuberes ad testimonium provocantur L. 10. §. 1. Dig. de quæstionib. Qui de auditu saltem, aliorumque relatione deponit, quoniam illa fallere facillime potest, testis idoneus non est, adeo ut ne Principi historice quid asserenti, aut de re inter alios gesta, vel consuetudine extrajudiciali testanti, aut de rebus

physicis vel artificialibus quicquam asserenti fides simpliciter habeatur. Vid. *Schneider* de testimon. Principis c. 2. §. 9. c. 3. §. 2. sqq. Quod vero in causis antiquis etiam narrativa & historica Principis verba de facto alieno fidem merentur, non tam a valore præstiti a Principe testimonii, quam antiquitatis privilegio & indole pendet, quæ & imperfectas probationes & præsumtiones admittit.

*Hunc in finem testimonium perhibetur, ut judici de facti veritate fides fiat. Quamobrem eadem persona simul judex & testis esse nequit. Sin forte de rei veritate judici, qui superiorem haud agnoscit, jam dum aliunde constat, testimonio quidem non absolute ad sententiam ferendam opus erit, sed hæc citra illud ferri poterit. Sinistræ tamen suspicionis vitandæ causa rei veritas etiam in aliorum conspectum per testes prudenter deducitur, judici autem inferiori plane interdicitur, ne ex sola propria sua scientia, sed ad prævia acta & probata sententiam ferat, Conf. de pœnis T. 1. §. 208. Valde est memorabile, quod Conceptum Ordinationis Cameralis part. 2. tit. 22. §. 5. judicio Camerali permittat, super litigiosa possessione cognoscere, ubi metus armorum adfuerit, etiamsi de eodem non ex actis, sed aliunde judici constet. Qui locus existimatur unicus, ubi in hoc Concepto quicquam statuitur, quod in legibus Imperii prioribus haud continuetur, ac de cujus autoritate proinde dubitatur, quia dictum Conceptum Comitiali Statuum assensu nondum roboratum.

§. CCL.

Fœmina an testis esse possit?

Fœminas nec naturalis sexus imbecillitas, nec prætensa inconstantia, aut timiditas ad testimonium reddit inhabiles, sive solennitatis causa, sive ad factum quoddam probandum illud sit perhibendum. Matrem Heliogabali SCti conficiendi testem in Senatu adhibitam, & ad Consulum subsellia scribendo adfuisse memoriæ prodidit *Lampridius* in Vita Heliogabal. c. 4. Civiles Romanorum leges fœminarum testimonia in iis, quæ juris sunt, quæ ad jus probandum scribuntur, haud admittunt e. c. in testamentis, donationibus, stipulationibus, mutuo &c. §. 6. Inst. de testam. bene

bene tamen in factis e. c. delictis probandis vid. L. 18. Dig. de testib. ibique *Gothofred.* Jure Canonico mulierem nec testem esse, neque fidem dare posse, vulgo perhibent ex dicto *Augustini* repetito in can. 17. caus. 33. qu. 5. quem circa misere se torquent interpretes. Nonnulli consuetudine eum abrogatum interferunt, alii explicationem ex jure civili recipere contendunt, ut scil. mulier, quibus casibus jure civili testificari nequit, nec jure Canonico possit. Alii ad jus mariti referunt, ut citra hujus consensum mulier testis esse nequeat. Alii denique restringunt ad causas criminales & arduas, quæ testes omni exceptione majores requirunt. Mihi nec Augustini, nec Gratiani tanta, quæ jus inducere valeat, autoritas videtur. Certe in Decretalibus vestigia testimonii muliebris in criminalibus pariter ac aliis causis validi passim deprehenduntur. Conf. cap. 13. X. de restit. spoliator. cap. 3. & 33. X. de testib. ut mirum sit, *Joannem Fridemannum Schneiderum* in dissertatione de testimonio Principis Corol. I. non modo asserere, mulierem in criminalibus nagotiis de jure Canonico testem esse non posse, sed & inde ulterius inferre, ergo nec Augustam.

§. CCLI.

Mores perversi testem suspectum atque inhabilem reddunt ideo, quod mali male de aliis sentire & loqui solent. Unde eum qui propriam turpitudinem allegat, sua quidem confessione se gravare, at testimonio suo aliis non nocere observavimus Tit. 8. §. 247. Hinc porro infames a testimonio dicendo repelluntur, ubi tamen alia adhuc accedit ratio, quia nimirum personam standi in judicio non habent, testes vero jurare in judicio tenentur. Sic & perjuri, in se si res spectetur, non quidem plane inhabiles, nec tamen testes sunt omni exceptione majores. Quia tamen perjuri tanquam infames L. 41. C. de transact. ad juramentum non admittuntur, prorsus a testimoniis arcentur, in causis tamen criminalibus post pœnitentiam actam eos admittit cap. 54. X. de testib. *An turpes, infames, perjuri?*

§. CCLII.

Ob affectum testis inhabilis censetur, quoties metuendum, ne vel amore vel odio ductus alterutri parti nimium faveat. Hinc in propria *In propria cau-*

causa ob inordinatum sui ipsius amorem, quo quilibet suæ magis, quam alienæ causæ favet, nemo testis esse potest. Nec obstat, quod Christus in sua causa ad proprium suum testimonium provocasse legitur Jo. VIII. 18. Cessabat enim in sanctissimo servatore causa prohibitionis, inordinatus sui ipsius amor, adeoque & ipsa prohibitio, quæ regulariter testem in propria causa esse vetat, & in ipso Christo obtinuisset, nisi per naturæ divinæ, summæque perfectionis communicationem sicut a reliqua peccatorum labe, ita & philautia seu inordinato sui ipsius amore, fuisset exemtus. Jo. V. 31.

§. CCLIII.

ne Princeps quidem potest.

De cetero adeo vera & universalis est lex, quæ neminem in causa propria testem esse sinit, ut nec ipsi summi Principes ab eadem eximantur. Namque in causis quæ vere ipsorum sunt propriæ, h.e. quarum emolumentum vel damnum ad ipsos suo nomine pertinet L. I. §. XI. Dig. quando appell. e.c. pactis & contractibus privatis nulla proprii ipsorum testimonii ratio habetur, quia dignitas a communi philautiæ labe eosdem immunes haud præstat, utut in negotiis, quæ publicæ administrationis intuitu Principes peragunt, plena ipsorum testimonio fides merito habeatur, ob integritatis nimirum, quæ pro ipsis militat, præsumtionem *. Qua tamen in re vix quicquam habent præcipui præ aliis, qui muneris & officii intuitu testimonium perhibent. Soli nuntio publico plena de citatione rite insinuata, soli Notario & Actuario de rebus ad acta consignatis sive registraturis, soli judici de judiciali consuetudine, soli militum præfecto de rebus coram se actis, soli opifici de bene transacto a tyrone tyrocinio plena fides habetur. Quidni igitur habebitur fides Principi de concessione feudi, dignitatis, nobilitatis, privilegii, veniæ ætatis aut delicti, moratorii, aut facta legitimatione, vel celebrata coram se adoptione, emancipatione &c. attestanti, quorsum spectat formula: *teste me ipso* a Richardo Anglo, Pictonum Comite, in beneficio Rupellanis civibus concesso adhibita apud *Bodinum* de Republ. L. 4. c. 6. p. 928. Conf. dicenda Tit. 10. §. 275.

* Imo testatur *Leyser* Medit. ad Dig. Spec. 288. Medit. 2. se vidisse acta, in quibus testimonio Principis injurato, quod contra Mini-

Ministrum suum, capitalium delictorum reum, scripto exhibuerat, plenam fuisse habitam fidem.

§. CCLIV.

Plenius hoc argumentum excussit *Jo. Frideman Schneider* de testimonio Principis c. 2. qui tamen §. 4. sqq. incongrue huc refert exempla de testimonio Principis super belli justitia, aut ærarii indigentia lato, cui ideo fidem deberi contendit, quoniam non super propria & privata Principis, sed publica causa perhibetur. Sed cum subditi regulariter jus inquirendi in justitiam belli a Principe suscepti, aut rationes a Principe postulandi non habeant, plane probatione nulla, testimonio nullo, nec proinde testimonii validitate tunc erit opus, & ex superfluo & mera benevolentia hæc talia a Principe subditis repræsentantur, qui & omissa tali remonstratione ad militiam & tributa æque obligarentur. Ubi vero cum populo publica administratio in tantum est communicata, ut jus in belli justitiam inquirendi, rationesque postulandi habeant, facile patet, privatam tunc concurrere Principis causam, ubi soli ipsius testimonio fides non habetur. Sic & ubi Princeps jus nobilitandi, famam restituendi sibi competere testatur, *Mylerus* in Nomologia c. 3. §. 6. Principem in propria causa testimonium præstare retur, econtra *Schneiderus* l. c. §. 12. in publica officii atque imperii causa, nec proinde suspectum esse habendum. Sed iterum existimo, pro Principe contra subditos in dubio militare præsumtionem summi imperii, omniumque inde pendentium Regalium, nec ulla probatione, testimonio ullo opus esse.

§. CCLV.

Quemadmodum in propria causa nemo testis esse potest, ita nec in illa, in qua quis interesse commune habet, quia eatenus, quatenus interesse ad eum spectat, causa ipsius est propria, nimiique affectus & favoris metus subest. Hinc conjugis pro conjuge testimonium merito spernitur. Si tamen dicta affectus ratio inter conjuges cessat, e. c. in frigusculo, judicis arbitrio relinquendum, quantum ejusmodi testimonio tribui debeat. Vid. *Petr. Muller.* de frigusculo c. 4. §. 13. Hinc porro parentes, & liberi, *nec conjux aut propinquus in conjugis aut propinqui.*

nec

nec non fratres pro se invicem testimonium perhibere nequeunt, quoties tali testimonio dicta affectus & favoris ratio obstat * hac vero cessante e. c. si fratris pro fratre contra fratrem testimonium desideratur, non modo admittitur, sed & cogi ad illud a judice potest. In causis matrimonialibus item in cognatione probanda tantum abest, ut propinquorum testimonium rejiciatur, ut potius præ reliquis requiratur & audiatur c. 3. X. qui matrim. accus. poss. c. 22. X. de testib. quia majorem harum rerum habere solent notitiam, quam extranei. At in probatione dotis & illatorum ob proprium interesse non admittuntur. Contra se invicem testificari propinqui inviti regulariter haud coguntur. L. 4. & 5. Dig. de testib.

* Ad Vitricum & novercam dicta ratio non quadrare, nec extendenda videtur ad parentes spirituales seu susceptores baptismales. In judicis erit arbitrio, quantum tali testimonio tribuere velit, nec adversarius omittet, quas novit suspicionis causas contra testes allegare.

§. CCLVI.

nec minister in causa domini.

Ministri & famuli pro dominis testes nec volentes admittuntur, nec inviti contra dominos ad testimonium coguntur, quia ob interesse, quod ex prosperis dominorum rebus sperant, nimium iis favere creduntur. Cogi tamen possunt, si ita e re Principi visum fuerit. Fides enim domino debita ad ipsius commodum per mendacia & falsa testimonia promovendum haud pertingit. Unde apud Romanos licet servi regulariter tanquam juris communione destituti a testimoniis repellerentur, in crimine tamen adulterii, fraudati census, & læsæ Majestatis admittebantur, ita tamen ut fides ipsis aliter non haberetur, quam si sub tormentis testimonium præstiterint. L. 7. Dig. ad L. Jul. Maj. L. 7. & 21. Dig. de testib. L. 1. 10. & 18. C. de quæstionib. Trajanus tamen apud *Plinium* in Panegyr. c. 42. Nerva apud. *Dion.* L. 68. Tacitus apud *Vopiscum* c. 9. ne quidem in causa Majestatis servos contra dominos audire voluerunt.

§. CCLVII.

an subditi

Simili fere ratione se res habet cum subditis, ne quidem inviti in domi-

dominorum causa testari non coguntur, volentes autem omni exceptione *in causa* majores non sunt. Quo minus vero testimonium in dominorum causa per- *domino-* hibere possint, nec subjectionis nexus, nec homagium impedit, utpote quæ *rum.* iniquitatis vincula haud sunt, nec veritatis confessionem impediunt, adeo ut prævia homagii relaxatio superflua videatur, & per eam illorum saltem opinioni, quibus tenera nimis est conscientia, succuratur, adversario autem occasio contra tale testimonium excipiendi præscindatur. Ipsum Principem in causa subditi testem esse posse, eo minus est ambigendum, quo majus tali testimonio a fidei & integritatis, quæ pro Principe militat, præsumtione robur accedit.

§. CCLIIX.

Vasalli in causa domini, quoties de ipso eorum feudo agitur, e. c. si *an Va-* illud a tertio tanquam allodium evincitur, ob concurrens proprium inter- *salli?* esse testes esse nequeunt. Sin causa ipsos non tangit, ejus decisio *vel* ex actis in Curia feudali petenda e. c. si nova investitura probanda, & tunc Vasalli valide tum pro tum contra dominum testantur, quia rerum in curia feudali gestarum nemo meliorem notitiam habere potest, quam ipsi pares Curiæ 1. feud. 26. 2. feud. 2. 32. 33. *vel* causa ad Curiam feudalem non pertinet e. c. si dominus de crimine quodam respondere, aut aliam causam civilem cum quoquam habet, & tunc Vasallus pro domino deponens auditur quidem, non vero testis omni exceptione major existit ob affectum, quo dominum prosequi censetur. Si tamen testis ab utroque tum actore tum reo feuda recognoscit, par affectionis causa omnem suspicionem amovet. Contra dominum in causa civili exigui momenti si Vasallus sponte testatur, impune id fert, at in modica causa civili multoque magis in magni momenti, aut plane criminali, si sponte testatur, testimonium quidem non penitus spernitur: commissum vero per illud contra dominum feloniæ crimen feudi amissione multatur, quæ clara & plana satis esse videtur mens 2. feud. 33. §. similiter. utut interpretes circa illum textum misere se torqueant, in eoque difficultates præter rem quærant. Conferri de iis meretur *Jacob Frid. Ludovici* diss. de testimonio Vasalli in causa domini Hal. 1719. cap. 3. §. 2. sqq. Invitus contra dominum testari Vasallus regulariter non cogitur nisi publica id efflagitet utilitas & securitas,

c. c. in crimine læsæ Maj. Num & in quantum hæc ad Imperii Principes applicari debeant, collige ex dictis de delictis T. 15. §. 193.

§. CCLIX.

Aff. in feudalibus. Neg. in criminalibus.

Conciliari ex modo allatis forsan poterit dissensus inter varios codices Juris feudalis tum Alemannici tum Saxonici. Negant nonnulli c. 72. quod Vasallus a testimonio contra dominum ferendo se excusare possit: niemand mag wegern zu Lehn-Recht Urtheil zu finden, Gezeug zu seyn und Vorsprach, der Herr auf den Mann, und der Mann auf den Herrn, und der Mag (agnatus) auf den Magen. Atque hi causas feudales respicere videntur. Alii vero asserunt, quod Vasallus se excusare a testimonio contra dominum valeat, interserendo particulam exceptionis ohne, ausgenommen hoc modo: Niemand mag weigern zu Lehnrecht, Zeugniß zu geben noch zu urtheilen, noch auch Vorsprach zu seyn ohne (sive ausgenommen) der Herr wieder den Mann, und der Mann wieder den Herrn, und ein Blutfreund wieder den andern. Atque hi causas criminales respicere videntur, qua in sententia me confirmat textus LandR. L. 2. art. 12. Urtheil mag ein Mann nicht finden über seinen Herrn, und über seinen Lehn-Mann, und über seinen Freund NB. da es ihnen an ihren Leib oder an ihre Gesundheit oder an ihre Ehre gehet.

§. CCLX.

an membra universitatis?

Porro ob interesse commune a testimoniis repelluntur membra universitatis in caussis, quæ singulorum interesse respiciunt. Conf. L. 2. & 7. Dig. quod cujusq. universit. nom. L. 10. §. 4. Dig. de in jus voc. venditor in causa emtoris ubi ad evictionem tenetur L. 10, Dig. de testib. junct. L. 4. §. 3. Dig. de Appell. advocatus in causa clientis, adeo ut etiam post depositam advocationem, nec pro nec contra clientem testis produci possit. L. ult. Dig. de testib. tutor vel curator in causa pupilli. Mulieris tamen majorennis curator, quia Consiliarius magis, quam administrator est, nec ad præstationem damni ex suo consilio oriundi tenetur, & pro curanda & contra eam valide producitur. Quæ omnia licet civilibus legibus passim confirmentur, mere civilia tamen non sunt, sed maxime naturalia,

ipsique

ipsique testimoniorum indoli maxime convenientia, & proinde iis quoque, qui legibus civilibus alias non tenentur, merito applicantur.

§. CCLXI.

Denique ob interveniens proprium interesse inhabilis ad testimonium *an præ-* & is reputatur, qui præmio ad illud invitatus accedit, quod tamen ab eo, *miis invi-* qui illud interserit, probandum. Interim id, quod diximus de præmiis *tati* in causa litigiosa pro testimonio haud accipiendis, ad illa testimonia non pertinet, quæ solennitatis & memoriæ causa perhibentur, quippe quibus præmia valide accedunt. Sic peracta electione Cæsarea in conclave electionis, ubi Electores vel legati eorum sunt congregati, duo Notarii advocantur cum Cancellario & Secretario Moguntino & testibus, qui adsint conficiendo super electione Cæsarea instrumento, tribus vel quatuor singulorum Electorum Consiliariis, quorum duo pro testimonio suo præmium accipiunt, quivis scil. 400. thl. Vid. Diarium Electionis Caroli VI. p. 10-20.

§. CCLXII.

Ut nimia erga alterutrum litigantem propensio, ita & odium ad te- *an inimi-* stimonium reddit inhabilem. Simul enim ac de inimicitia vel odio te- *cus?* stis & rancore constat, non potest liquida, vera, & sincera sperari a livido pectore depositio, quod adeo est verum, ut inimicus testis esse nequeat, licet cum utraque litigantium parte inimicitia ipsi intercedat. At superveniens post factam depositionem inimicitia testimonium informare haud videtur. Impia vero est eorum cautela, qui ut adversarius teste, in quo probationis fiduciam ponit, privetur, suadent inimicitiis cum tali teste contrahendis verberibus aut injuriis eum afficiendo ansam præbere.

§. CCLXIII.

Postquam ostensum in superioribus fuit, quinam testes esse possunt, *De testi-* videndum nunc erit, quomodo ipsorum examen, indeque resultans pro- *um cita-* batio peragatur. Ubi nimirum testium nomina cum directorio vid. Tit. *tione.* §. §. 245. judici sunt oblata, hic terminum præfigit ad producendos te-

 stes,

stes, ad eumque tum ipsos testes ad deponendum, tum eum contra quem producuntur, qui *productus* vocari consuevit, ad videndum jurare testes, & exhibenda interrogatoria citat, & *producentem* pariter de termino certiorem reddit. Si testes ejusdem judicis jurisdictioni subsunt, ab eodem immediate citantur sin alienæ, ad dominum alienæ istius jurisdictionis judex dat literas requisitoriales, ut vel testibus comparitionem coram requirentis judicio injungat, vel, quod frequentius fit, ipse eos super articulis transmissis examinet, rotulumque transmittat, quem in finem productus etiam interrogatoria & exceptiones contra testes literis requisitorialibus jungere potest. Summis Imperii Germanici tribunalibus vindicant nonnulli jus Statuum subditos ad testimonium perhibendum evocandi. Sub Augusto Saxoniæ Electore Commissarius Cæsareus subditos Saxonicos immediate ad testimonium deponendum citavit, sed prohibuit Elector, ne comparerent testes, & quamvis Commissarius, de hac re conquestus in Camera, mandatum sine clausula impetraverit, idque Electori insinuatum fuerit, hic tamen strenue jura sua est tuitus, hodieque evocationi locum non esse, quamdiu magistratus immediatus paratus est, testem examinare & rotulum Cameræ transmittere, testatur *Ludolf.* de Jure Cameral. p. 261.

§. CCLXIV.

in specie Laicorum in causa Clerici.

Ex hypothesi Curiæ Romanæ testes Laici examinati in judicio Laico non faciunt fidem in judicio Ecclesiastico. Atque hanc ob causam prætendit Curia Romana, ut in processu criminali contra Clericum instituendo testes Laici judici Ecclesiastico ad examen sistantur. Memorabilis & valde spinosus casus contigit in Aula Cæsarea Vindobonensi 1647. Episcopus quidam cum suo Sacellano super crimine falsæ monetæ incusabatur. Aula Cæsarea reos, utpote Clericos Nuncio Papali judicandos tradebat. Hic ut instrueret processum, Romam Summo Pontifici ad sententiam ferendam mittendum, postulabat, ut sibi correi ac testes Laici ad examen sisterentur. Merito illo negabat Regimen Austriacum. Imperator tamen pro illa vice & citra illum futurum præjudicium permittebat, ut examen a Nuntii Ministris in Curia civitatis ac in præsentia judicis peragеretur, vor dem Stadt-Gericht in Beysenn des Stadt-Richters. Operæ pretium est, subjungere elegantissimum Votum desuper ad Imperatorem exaratum, quod alibi frustra quæsiveris.

Bericht

Bericht und Gutachten in causa Considerationum super Negotio Regularium carceratorum.

Der Röm. Kays. auch zu Hungarn und Boheim Kön. Maj. Ertzherzogen zu Oesterreich, unsern allergn. Herrn, übergeben hinwiederum Dero gehorsamste Nieder-Oesterreichische Regierung in aller Unterthänigkeit beykommende von der Päbstl. Nunciatura bey Hof übergebene und von E. K. M. auf Regierung um Bericht und Gutachten remittirte Considerationes super negotio Regularium carceratorum A. Krafft deren sie darzuthun vermeinet, daß diejenige Personen und Zeugen, so wieder den verhaften Bischof Georgium Bilovich und dessen Caplan P. Franciscum der imputirten falschen Müntz halber, ichtes auszusagen und zu deponiren wissen, zu thuung ihrer Aussage für die Nunciatur zu stellen seyen, und zwar darum, daß in dieser Sache entweder nur ein oder zwey process müsten geführet werden. Wenn nur einer, so gehöre derselbe für die geistliche Obrigkeit, weil unter denen Interessirten geistl. Personen seyen, und als digniores die geringer und weltliche nach sich ziehen. Da aber zween Process zu machen, so müsse alsdenn der geistliche Richter das fundament seiner intention in diesem Fall allein von weltlichen Personen und Zeugen haben, weil sonst keine geistliche Zeugen vorhanden, damit aber der process bestehe, können dieselbe allein von der geistlichen Obrigkeit examiniret und beeydiget werden. Denn da sie allein von dem weltl. Richter verhöret würden, ihre Aussagen in dem geistl. Gericht nichts erweisen thäten, und also nicht genugsam wären, eine geistl. Person eines beschuldigten Verbrechens zu convinciren. Zu dem versire man hierin in causa gravi sowohl ratione delicti, als auch der interessirten Personen, deren eine ein Bischoff, und die ander ein Priester dahero desto sicherer zu procediren, massen denn der process nach Rom geschickt, und alldort über den Bischoff werde endlichen erkennt werden. Da nun der process nicht bestehen kunte, würde wenig helffen, wenn man sagen wolte, daß keine exempla vorhanden, denn sich nicht leichtlich ein so schwerer casus wird begeben haben, daß der Reus ein Bischoff gewesen, und der process eine falsche Müntze betroffen.

Solchemnach die Weiß und Wege, so die Regierung vorgeschlagen nemlich daß allein die Interrogatoria der weltl. Obrigkeit überschickt werden sollen nicht bestehen könne, weil dadurch die vorgeschützte Nullität nicht benommen würde, sintemahlen zu Erforschung der eigentlichen Beschaffen- und endlichen Wahrheit die Zeugen nicht allein über vorhero verfaßte und schriftl. übergebene Fragstück zu vernehmen, sondern seyen nach Gelegenheit des Examinis und denen Aussagen noch weiters zu fragen, denn vielmahln die Aussag über ein Fragstück also beschaffen, daß dadurch der Richter verursacht werde, darüber gleich ex tempore andre Fragstück zu verfassen oder sonsten mehrere Fragen zu stellen, und das examen zu compliren, welches nicht beschehen könte, wenn nicht die Zeugen für die geistl. Obrigkeit gestellet werden, um willen aber die Regierung Bedencken hätte, das examen durch die ministros Nunciaturæ vornehmen zu lassen, als thue die Nothdurft erfodern, daß E. K. M. der Regierung gemessen auferlege, die Zeugen der Päbstlichen Nunciatur zu stellen: widrigen falls dieselbe die begehrte justitiam über die gelieferte geistl. Personen wegen Mangel der gnugsamen probationen schwerlich würde administriren können.

Hierüber hat Regierung auch die in Closter-Sachen verordnete Räthe mit Gutachten vernommen, vorhero aber sowohl bey der Regierung als auch der Closter-Raths Registratur ob nicht etwa exempla vorhanden, nachsuchen lassen. Es hat sich aber dergl. casus weder in terminis noch in genere befunden, so sich hierzu hätte appliciren lassen, daß nemlich eine geistliche Person wäre von der geistl. Obrigkeit processiret, und deswegen weltliche complices oder Zeugen zu stellen begehrt, oder auch examen der weltl. Zeugen über geistl. Personen von der geistl. Obrigkeit vorgenommen worden.

Es vermelden aber die in Closter-Sachen verordnete Räthe sub B. daß sie der Nunciatur gethanes Begehren bey sich darum unerhebl. befinden, daß dergl. in diesen Land und sonderlich bey diesem Mittel niemahln practiciret, sondern je und allwegen dieser Stylus observiret, daß die verhörende Zeugen einer andern Instanz zugethan gewesen, daß vor derselben sie ihre Aussage thun sollen, und sodann die Aussage auf dieses oder ein

anders

anders Mittel, bey dem causa principalis ventiliret worden, remiss weiß zu übersenden, durch Gerichts-bräuchiche Compass-Schreiben tam in civilibus quam in criminalibus begehret worden. Welcher Stylus nun auch in hac ardua causa criminali ihrer unmaßgäbigen Meinung nach observiret und gehalten werden könte juxta illud: Si fueris Romæ, Romano vivito more, sin autem alibi, vivito sicut ibi. Und ob zwar viel JCti der Meinung wären, wie Herr Nuncius anziehet, daß wo in crimine committendo Clerici & Laici zusammen kommen, connexitatis vinculo quodam, & ne continentia causæ dividatur, tota causa ad judicem Ecclesiasticum remittenda sit, auch hierzu andre und neben denen juribus communibus fast die rationes braucheten, so oben A. begriffen, als Anton de Prato veteri, Gomez Bossius, qui hanc opinionem veram dicit in Tit. de foro competente. Socinus, Follerus in Practic. Crimin. Joan. Arnold. Soliloquio 57. So findet sich hergegen, daß diese opinio in praxi nicht statt habe. Denn dieses attestiret Igneus in L. 1. §. Si quis in Villa n. 27. ad Sillanianum, Antonius Capicius in Decisionib. Neapolitanis Decis. 173. Rebuffus in Repet. Auth. habita, privilegio 106. Anton. Gomez, C. decimo delictorum n. 6. in fin. & alii plures, quos refert Didacus, Practic. quæst. n. 34. n. 1. in fin. Julius Clarus lib. 5. Sentent. q. 36. §. Evenit, qui dicit, ab hac non solum in Ducatu Mediolanensi, sed etiam communi observantia, ut videlicet judex Ecclesiasticus procedat contra Clericos, judex vero Secularis contra Laicos, non esse revertendum Gail. Lib. 1. de pace publ. cap. 1. n. 19. sagt ingleichen moribus nostris non observari, ut magis dignum id est verbi gratia Clericus delinquens trahat minus dignum, nempe Laicum, si simul capiantur, ad forum Ecclesiasticum sed quemlibet judici suo tradi, ut procedatur contra eum uti juris est, und irre dahero gar nicht, was an Seiten Nunciaturæ de more & Stylo Curiæ Romanæ in contrarium angezogen werde, denn sie sich dieses darum nichts anfechten liessen, weil das wissentl. Wiederspiel in diesen und andern Landen für diese ihre Meinung militire, solches auch sowohl in geistl. als weltl. Rechten in judicis sibi non subordinatis, de usu literarum mutui compassus vorgesehen, in curia Romana aber es gar wohl seyn könne, und sich practiciren lasse, was die Nunciatur für sich allegiren thue, um daß alldorten Jhro Päbstl. Heiligkeit utrumque gladium spiritualem & temporalem exerciren, und also nach Dero Belieben bey Dero nachgesetzten

setzten tribunalibus disponiren können, alhier aber sey man derselben einige Jurisdiction in denen temporalibus nicht geständig. Dahero denn sie sich auch in diesem Fall dessen halten, was unter andern differentiis inter jus Canonicum & civile, da solche contraria statuiren, gesagt wird, nimirum dispositionem juris civilis in terris Imperii, juris vero Canonici in terris Ecclesiæ observandam, & maxime in materia peccatum non concernente, prout hæc est: Wolten also bey dieser Beschaffenheit der unmaßgebigen Meinung seyn, es möchte die Nunciatura Apostolica mit diesem ihnen dem wissentlichen Gerichts-Stylo zuwieder gestellten Begehren, zu Verhütung allerhand Unordnungen, so leichtlich ex hujusmodi judiciorum confusione causiret würden, von Hof ab und auf den in dem Land aller Orthen gebräuchigen Stylum Curiæ gewiesen werden, welches sie auch in praxi Germaniæ Mediolanensi, Neapolitana, ungeacht daß sonsten kein solcher casus bey ihrer Registratur vorhanden, fundirt zu seyn befinden. Sie wolten aber dabey nicht zuwieder seyn daß die Nunciatur von ihren untergebenen Ministris einen oder mehr zu der Zeugen Verhör, so sie zu verhören begehren wird, abordnen, und daß die Verhör in derselben Beyseyn fürgenommen werden möge, da sie aber aus denen Zeugen oder Complicibus jemanden mit denen verhaften Geistlichen zu confrontiren ein Nothdurft zu seyn erachtet, und zu solcher Confrontation dieselbe für sich zu stellen begehren würde, sodann solches derselben von rechtswegen nicht abgeschlagen werden könte.

Aus welchen motivis auch Regierung ihres theils nicht einrathen könte, daß die weltl. Zeugen und complices der Nunciatur solten gestellet werden, zumahl in geistl. und weltl. Rechten vorgesehen, daß ein Zeug seine Aussage bey derjenigen Obrigkeit thun müsse, Dero Jurisdiction er unterworffen. Weil nun die Nunciatur oder geistl. Obrigkeit über diese Zeugen, so zu examiniren, keine Jurisdiction hat, als kan auch die Stellung um so viel desto weniger begehret werden, noch ihre Deposition alldort beschehen. Da aber Herr Nuncius auf diejenige Deposition welche allbereit sowohl vor denen von Regierung verordneten Commissarien, als auch bey dem Stadtgericht hier beschehen, nicht gehen wolte, so stehet doch bey ihme, ob er neue Interrogatoria verfassen, und darüber die Zeugen (doch bey ihrer ordentlichen Instanz dem Kayserl. Stadtgericht) vernehmen lassen wolte,

wolte, und weilen er vermeynet, daß nach Gelegenheit der Aussagen ein Fragstück das andere erwecken möchte, so man vorhin in Formirung der Interrogatorien nicht habe vorsehen können, und also der Zeug weiters zu fragen, welche Fragstücke gleich ex tempore an die Hand gegeben werden müsten, so mag er einen oder mehr verständige von seinen Ministris zu dem examine verordnen, welche demselben beywohnen, und dergleichen Nothdurften alsobald verfassen, auch darüber die Zeugen vernehmen lassen können. Sonsten aber, wenn die correi oder testes Laici selbsten vor die Nunciatur solten gestellet werden, möchten die bey dem Provosen arrestirte, darunter drey sonsten ihres theils unschuldig befunden, und allein dieser deposition halber noch aufgehalten werden, noch eine lange Zeit in Arrest enthalten, sodann auch so lang mit den Randovich die execution eingestellt werden, und also ein und andrer jene beym Pro o n und dieser im Amthauß noch lange leiden müssen. Denn weilen über den Bischoff, wie der Herr Nuncius selbsten vorgiebt, allererst zu Rom solte endlich erkennt werden, so sich noch Jahr und Tag verziehen kan, findet Regierung unbillig, diese arme Leut biß dahin in Verhafft zu halten, und kan sie auch nicht sehen, daß zu Rom dem Herrn Nuncio könte objiciret werden, quod testes Laici examinati in judicio Laico non faciant fidem in judicio Ecclesiastico, massen ausdrückl. rechtens ist, quod actitata in uno judicio etiam fidem faciant in alio judicio, so insgemein practiciret wird, und zum Fall sichs begäbe, daß wegen weltl. Personen bey dem Nuncio Clerici oder ander der geistlichen Obrigkeit untergebene examiniret und die Aussagen remittiret würden, Regierung oder das Kayserl. Stadtgericht kein Bedencken hätte, darüber den procels zu formiren und zu erkennen.

Solchemnach wäre Regierung gleichfals der gehorsamsten doch unvorgreiflichen Meinung, sonderlich auch weil laut in der Closter-Rath Voto angezogener Classicorum Authorum Meinung nach dasjenige was die Praxis zeigt denen juribus zugegen ist, und derogiret, es möchte der Herr Nuncius Apostolicus mit diesem seinem Begehren angewiesen werden, doch stehet es bey Ew. Kays. Majest. wessen sie sich hierüber resolviren wollen. Dero sich Regierung zu Kays. und Landsfürstl. Gnaden allerunterthänigst befiehlet.

Kayserl. Resolution.

Der Nieder-Oesterreichischen Regierung wiederum zuzustellen, und bewilligen Ihr. Kays. Maj. aus sonderbahr bewegenden Ursachen gnädigst, daß der Herr Nuncius Apostolicus invermelte Zeugen vor dem Kayserl. Stadtgericht in Wien und in Beyseyn des Stadt-Richters oder Beysitzer, durch eine gewisse deputirende Person selbst examiniren, articulos darzu formiren, die darüber thuende Aussagen beschreiben lassen, und die weitere Gebühr verhandeln möge. Jedoch solches allein für diesmahl, und daß dieses in andre Weg keinen præjudicirlichen Eingang gebähren noch in Consequenz gezogen werden solle.

Regierungs-Rathschlag.

Fiat allermassen Jhro Kays. Maj. sich allergnädigst resolviret, und dessen dem Herrn Nuncio Apostolico wie auch das Kays. Stadtgericht mit Ausziehung wie gebräuchig per Decreta zu erinnern, und dieses Gutachten samt der darüber erfolgten Kayserl. Resolution in das Consuetudinarium einzuschreiben.

§. CCLXV.

de beneficio egregiarum personarum.

Egregiis personis e. c. Episcopis & mulieribus honestis leges Romanæ speciatimque L. 15. Dig. de jurejur. Nov. 123. c. 7. Nov. 124. c. 1. id beneficii & privilegii indulgent, ne pro testimonio exhibendo, aut quoties alias ipsis jurandum, cogantur ad judicium venire, sed judex mittat ad eos quosdam ex personis ministrantium sibi, ut propositis sanctis Evangeliis dicant, quæ noverint. Numero harum egregiarum personarum ipsos Principes comprehendunt. *Setserus* de juram. L. 3. c. 7. n. 5. & *Just. Reuber.* de Testib. p. 112. Sed recte monet *Schneider* de testimonio Principis c. 1. §. 7. hunc pragmaticorum errorem pugnare cum summa Principum dignitate, & sicut fons non est ipse rivulus, nec stipes pro surculo habetur, nec paterfam. accensetur famulis, ita sine ratione Principem inter personas egregias, quibus id privilegii competat, tametsi omnibus his longe

longe superiorem collocari. Scilicet necessitas testimonium perhibendi solis subditis lege civili imponitur, in summorum vero Principum arbitrio & libertate est positum, num testes esse, multoque magis ubi, & quomodo, num jurato an injurato, in scriptis an oretenus testimonium perhibere velint. Imo quoad ipsos subditos illustres circa privilegium egregiarum personarum consuetudo & leges particulares omne punctum ferunt. Quibusdam in locis illud usu servari cernimus, alibi vero ut in Saxonia exulare, ubi illustres quoque subditi Comites & Barones in judicio quidem, non tamen in publico, sed in separato conclavi, in der Audienz Stuben, jurare jubentur. Ord. Proc. tit. 18.

§. CCLXVI.

In termino productionis.

In termino productionis si producens emanet, testes ad quos provocavit habentur pro amissis, sin productus emanet, interrogatoria amittit. Si vero producens comparet, testes suos tum præsentes tum absentes* producit, præsentes examinari, absentes denuo sub pœna citari petit. Productus comparens exceptiones, quas habet, contra testium habilitatem opponit, & interrogatoria, Fragstücke, ut super iis testes interrogentur, offert ** quo facto judex a teste partibus præsentibus juramentum per Actuarium exigit.

* In locum testium post nominationem mortuorum alios substituere licet. Qui vero testem tempore nominationis jam dum mortuum nominat, alium substituere haud sinitur.

** Ante terminum productionis si productus interrogatoria judici offert, ea tamen producenti communicanda non sunt, ne testes desuper instruat. Si vero productus testes extraneos litis protelandæ causa ab adversario nominatos putat, ut malitiæ juramentum ipsi injungatur, petit. Commissionibus Cameralibus pro testibus examinandis inseritur clausula, qua alteri parti, contra quam testes producuntur, permittitur examini Notarium adjungere, dem Gegentheil der Verhör einen unpartheil. Notarium zu adjungiren unbenommen. Atque hic Notarius adjunctus postea

stea in rotulo conficiendo adsciscitur. Vid. *Textor*. ad Rec. Imp. 1654. diss. 4. §. 63.

§. CCLXVII.

testes jurejur. obstringuntur.

Ex iis quæ in genere de jurejurando differuimus L. 1. T. 8. §. 5. colligere licet, juramenta tum in genere, tum speciatim testimonialia naturali jure non quidem absolute esse necessaria & præcepta, sed saltem permissa. Inter primos etiam Christianos axioma, quo testi nonnisi jurato esse credendum, traditur, haud obtinuisse, sed demum postquam Principes Christiani habenas imperii moderari cœperunt, ostendit *Thomasius* de fide juridica & *Wolffius* in Jure Ecclesiastico p. 891. Ex quo vero Constantinus Imperator jurisjurandi religione testes prius, quam perhibeant testimonium arctari præcepit L. 9. C. de testib. & in cap. 51. X. de testib. nullius testimonio, quantumcunque religiosus existat (nisi juratus deposuerit) in alterius præjudicium credi jubetur, regulariter jurisjurandi religione testes obstringere judici incumbit.

§. CCLXVIII.

Quod illustribus passim remittitur.

Has tamen leges utpote mere civiles ad ipsos summos Principes non esse applicandas, ipsa earum indoles dictitat. Quare fides Principis testimonio, sive in scriptis, sive oretenus simpliciter, multoque magis sub clausula bey Fürstl. Würden, Ehren und Worten prolato merito habetur. Vid. tamen *Ruland*. de Commiss. P. 2. L. 2. c. XI. n. 20. & 45. & *Bachov*. ad Treutler. Vol. 2. disp. 5. th. 6. Illustres quoque subditos a regula, qua nonnisi testi jurato fidem esse habendam, audivimus, particulares leges passim eximunt. *Rulandus* l. c. cap. 12. num. 13. se scire scribit, hoc in praxin forensem deductum esse, ut in nonnullis Germaniæ locis ad testimonium dicendum nobiles, aliæve personæ illustres comparere non teneantur, sed sufficere, si per scripturam deponant unter ihren Handschriften und Petschaften. Neque in Regno Bohemiæ & Archiducatu Austriæ jusjurandum a teste illustri requiri testatur *Gail*. Lib. 2. Obs. 59. n. 14. In Suecia quoque Proceres ab eodem esse immunes, monet *Brunneman*. de Process. Civil. c. 20. n. 65. Ubi tamen lex juratam testis depositionem requirit, ne extranei quidem Principis testimonium aliter, quam prævio jure-

jurejurando judex recipiet, non quod Princeps extraneus pro subdito reputetur, sed quoniam judici a suo Principe, aliud quam juratum testimonium admittere, est interdictum. Julium Ducem Brunsuicensem ad juratum testimonium Zeugen-Eyd præstandum adactum ex *Heningo Hamelio* notat *Jacobus Schultes* in addit. ad Decis. Coleri 115. n. 28. part. 1. Imo de Henrico II. Galliæ Rege, quod in privata causa, in qua de hereditate agebatur, juratus testimonium tulerit ex *Bodin.* de Rep. L. 6. c. 6. refert *Hieron. Treutler* Consil. 109. n. 20.

§. CCLXIX.

De examine & rotulo testium.

Post præstitum jusjurandum (per quod testes utrique litigantium parti fiunt communes, adeo ut a producente revocari amplius nequeant) judex singulos testes remotis partibus * L. 14. C. de testib. c. 62. X. eod. ad interrogatoria primum personalia, deinde ad generalia, (quæ tamen non ubique admittuntur) tandem ad singulos articulos, eique subjecta interrogatoria specialia examinat **, & super passibus gravioribus, si opus videtur, juramentum in mentem revocat, depositionem per Actuarium ad protocollum refert, huncque in finem, si testis est peregrinus, nostrisque idiomatis nescius, binos interpretes juratos adhibet, redactam in protocollum depositionem iterum prælegit, testem imposito silentio dimittit, ne scil. adversarius factam depositionem per testes subornatos elidat, super facto examine rotulum conficit, cui inseruntur partium & testium citationes, testium productio, juramentum, articuli & interrogatoria cum testium depositionibus, (ita ut cuivis articulo & interrogatorio omnium testium depositiones subjiciantur) denique locus & tempus examinis.

* In judicio bellico 1746. Deptfordii in Anglia in causa Summorum classis Anglicanæ præfectorum Matthews & Lestock habito, Matthews postulabat, ut sibi permitteretur, interrogatoria testibus a Lestockio productis coram & oretenus proponere. Regium Admiralitatis collegium in literis ad judicium hoc bellicum datis, ut hæc venia Matthæo daretur, intercedebat. Ipseque Lestockius literis declarabat, utut Mattheus jure hoc postulare nequeat, se tamen ad præcidendam omnem

querendi ansam, tunc ipsius petito haud repugnaturum, sed causæ suæ fiducia fretum potius rogare, ut quæcunque subsidia adversarius postulaturus sit, eidem concedantur. Nihilominus petito Matthæi, tanquam illegali, a judicio bellico non fuit delatum, sed illud penitus denegatum.

** Quodsi articuli continent passus, super quibus lis non fuit contestata, quæritur num judex desuper examinare debeat testes productos. Judicis prudentiæ & arbitrio relinquendum esse existimo, num tales articulos omittere an examen differre ac prius litiscontestationem desuper injungere, aut si periculum in mora, num testes statim recipere & ante attestationum publicationem partem adversam desuper audire velit. Sane si articuli parti adversæ prius fuere communicati, & hæc desuper haud fuerit protestata, testium examini nil obstare videtur.

§. CCLXX.

qui demum post reprobationem peractam publicandus.

Rotulus testium in scriniis judicialibus asservatur, usque dum reus exceptionum suarum reprobationem peregerit, ubi idem iterum, qui in ipsa probatione ordo & modus servatur, quo facto demum testium attestationes publicantur, ne si earum contenta reus antea resciverit, testes in reprobatione sua pro contrario asserendo subornet. Simul enim ac adversarius de testium depositione sive per publicationem, sive alio modo notitiam accepit, (super quo purgatorium ipsi potest deferri,) de iisdem aut contrariis articulis novi testes haud admittuntur. Conf. Nov. 90. c. 4. cap. 25. X. de testib. ne quidem in appellationis instantia Clementin. 2. de testib. *.

* Contra reprobationem novam reprobationem, non tamen ulteriorem indulget cap. 49. X. de testib. ne in infinitum poteletur negotium.

§. CCLXXI.

Super du-

Ex publicata testium attestatione patescit, num is, qui eos produxit,

xit, per eos intentionem suam probaverit, quod ut dici possit, non sufficit testium depositionem aliqualiter producentis intentionem juvare & confirmare, sed illa e diametro debet esse contraria iis, quæ adversarius negavit. Sic depositio, de juris vel servitutis possessione affirmative facta, non protinus involvit negationem juris alieni, & qui testatur, producentem esse in possessione pascendi, lignandi, venandi non protinus jus alios quoque prohibendi tribuit. Hinc quoties alii a jure quodam sunt arcendi, articuli testibus proponendi non ita sunt concipiendi, quod actor solus hactenus hoc jus habuerit, exercuerit, sed quod alios idem jus exercere volentes prohibuerit. Sic & in possessorio summario non sufficit generalis testium de actoris possessione depositio, quod actor semper jus pascendi, lignandi, venandi habuerit, quod nunquam servitutem, de qua quæritur, aliis permiserit, sed speciatim de actu quodam possessorio speciali testimonium est perhibendum, quod hoc vel illo tempore lignaverit, alterum pignoraverit. Dubie si testis deponit, denuo est examinandus. Quique in processu summario unilateraliter, nullis ab adversario interrogatoriis exhibitis, sunt examinati, in ordinario denuo sunt examinandi, nec sufficit ad pristinum rotulum remissio, quia in processu ordinario facultas dandi interrogatoria adversario non adimenda. Ubi testes inter se dissentiunt, si reliqua sunt paria, nobilibus præ ignobilibus major habetur fides, ob integritatis quæ pro illis inprimis militat præsumtionem L. 5. Dig. de testib. Sächß. LehnR. c. 2.

bia depositione reiterandum examen.

§. CCLXXII.

Quod vero testes de cetero habiles in testimonio ad plenam fidem faciendam conspirare debeant, a legislatoris determinatione pendere, jam dum monuimus Tit. 8. §. 237. 238. Unici depositione stare non injustum, durum tamen esse diximus. Unde nemo judicum in quacunque causa unius testimonium facile admittere sinitur L. 9. §. 1. C. de testib. In felonia probanda ob præjudicii magnitudinem quinque summæ & integræ opinionis testes requirit Jus feudale Longobardicum 2. feud. 57. Imo septem * exigit jus antiquum feudale Saxonicum cap. 15. & Allemannicum c. 27. Hodiernis tamen legibus & moribus tum in aliis delictis, per Ord. Crim. Caroli V. art. 67. tum in ipsa felonia quoque duo vel tres sufficiunt,

Quod testes ad plenam probationem requirantur

ſufficiunt, utut pro numero quinario hodienum adhibendo pugnent *Gail*, *Roſenthal*, *Tabor*, *Textor*, Conf. *Itter* de feud. Imp. c. 25. §. 25. Ad condemnandum Cardinalem ſi eſt Epiſcopus Canones 72. teſtes requirunt, ſi presbyter 44. ſi diaconus urbis Romæ 27. Si Subdiaconus aut Exorciſta 7. Vid. Can. 2. & 3. cauſ. 2. qu. 5.

* Antiquam vocem beſiebnen, quam de tortura explicat *Petr. Frid. Mindanus*, & de repetitione confeſſionis in tortura coram ſeptem teſtibus facta *Kellerus*, nihil aliud ſignificare, quam convincere reum jurato cum ſex conjuratoribus exiſtimat *Thomaſ.* de Occaſ. Conſtit. Crim. §. 15.

§. CCLXXIII.

An ſolius Principis teſtimonium ad plenam probationem ſufficit?

Ferri ex dictis poterit judicium de quæſtione, num unius Principis teſtimonio plena probatio fiat? Affirmativam plerique tuentur. Excipit tamen *Farinacius*, *Carpzovius*, *Schneiderus* aliique cauſas criminales & matrimoniales, in quibus judicis arbitrio relinquendum putant, quantam fidem ſolius Principis teſtimonio tribuere velit. *Brunnemannus* Proc. Inquiſ. c. 8. membr. 2. num. 43. in ea eſſe videtur ſententia, quaſi unius Principis teſtimonium ne ad torturam quidem aliter, quam ſi juratum fuerit, locum faciat. Et in Gallia Henrico II. Regi ſancte juranti, quod hominem quendam in turpiſſimo ſcelere deprehendiſſet, non crediderunt judices, ſed hominem dimiſerunt. Vid. *Carpzov.* ad Leg. Reg. c. 2. S. 7. n. 17. At enim vero cum univerſali naturæ aut divino jure determinatum non ſit, quod teſtes, numque præciſe jurati ad fidem faciendam requirantur, facile apparet, ad indifferentia hæc pertinere, Principisque arbitrio ſubeſſe, qui proinde in quibusvis etiam criminalibus cauſis unicum injuratum, multoque magis proprium ſuum teſtimonium ſufficere debere, poteſt edicere, in cauſis tamen gravioribus ſaltem ex prudentiæ regulis binos teſtes requirit, ipſe a teſtimonio ferendo abſtinet, extranei vero Principis teſtimonium in cauſis gravioribus nonniſi juratum admittit. Conferatur laudata *Schneideri* de teſtimonio Principis diſſertatio c. 3. §. 5. ſqq.

TITU-

TITULUS X.

DE

Probatione per Documenta, Inſcriptiones & Hiſtoricos.

* * *

Documenta privata nonniſi prævia recognitione, publica etiam ſine eadem vim plene probandi habent. Principis diplomata pro publicis inſtrumentis inter exteros haberi non debent, imo inter ſubditos non aliter, quam ſi ſuper actibus ex Principali poteſtate exercitis exarantur. De authentia documentorum ex regulis artis Diplomaticæ judicatur. Inſcriptiones in marmoribus & numis obviæ rerum, quas continent, fidem tam diu faciunt, donec probetur contrarium. Neque Annalium & Chronicorum nulla, neque tamen plena eſt fides, quippe quæ per fortiores pariter conjecturas & probationes labefactatur.

§. CCLXXIV.

Instrumenta quid?

Documentorum, seu ut alias vocantur, instrumentorum nomine in sensu generaliori veniunt ea omnia, quibus causa instrui potest, & ideo tam testimonia quam personæ instrumentorum loco habentur L. 1. Dig. de fid. Instrum. At in sensu specialiori per instrumenta publicæ literæ denotantur, literisque privatis sive simpliciter positis contradistinguuntur L. 1. C. de jurejur. propt. calumn. Hoc loco sensu intermedio instrumenta accipiuntur pro scripturis ad rei gestæ fidem consignatis, & sunt vel publica vel privata. Publica sunt, quæ publica autoritate vel confecta vel confirmata sunt. Privata, quæ privata autoritate sunt conscripta.

§. CCLXXV.

Publica a quo conficiantur?

In publicorum igitur numero non modo sunt ea, quæ ipse Princeps sua subscriptione aut sigillo immediate firmavit, sed & illa, quæ ab illis sunt confecta, qui publicam publica talia documenta conficiendi potestatem a Principe acceperunt, quales sunt scribæ publici, qui si ad certum judicium constituuntur, *Actuarii* *, sin in genere ad omnis generis instrumenta publica conficienda *Notarii* appellantur. Judices, qua tales, facultate publica instrumenta conficiendi haud pollent, sed quia simul magistratus jura habent, vid Tit. 5. §. 113. super negotiis publico ** magistratus nomine gestis publica quidem instrumenta valide condunt, at actorum judicialium autoritas potius a scriba publico, & concessa eidem potestate arcenda, adeo ut acta judicialia sine Actuario plane sint invalida, quia fides actis deest, nihilque ex iis potest probari. Vid. *de Wernher* Part. 7. Obs. 72.

* Actuarius ab actis dicitur, quia ipsius officium est, in judicio acta diligenter consignare & asservare. Quod officium ut tanto exactius faciant Actuarii, jurejurando adstringuntur, & quidem quod passim observatur, in præsentia subditorum. In Criminalibus Registraturis passim, ut in Saxonia per Dec. Nov. 38. requiritur, ut Actuarius sit Notarius publicus Cæsareus. Et per Decis. sq. 39. Actuarii præsentia adeo necessaria in actibus jurisdi-

risdictionis contentiosæ edicitur, ut nec sufficiat nobilem cum Sculteto & Scabinis adesse. Eandem personam non esse posse Actuarium duorum judiciorum, inter quorum dominos lis intercedit, monui Tit. 1. §. 3. Asservare Actuarii solent acta filo compacta in forma libri. In judicio Camerali vero componuntur singula producta juxta ordinem quadrangulorum, & solum protocollum filo compingitur, in quo recessus Procuratorum cum sententiis publicatis comprehenduntur. Vid. *Ludolf.* de Jur. Cameral. p. 231.

** Instrumentum, quod a magistratu contractum celebrante conditur, pro publico non habetur, quia magistratus tunc ut privatus consideratur, sed tali instrumento non aliter fides habetur, quam quatenus recognoscitur. Pro quarentigionato autem instrumento habetur talis contractus e. c. emtio locatio it. rationes a magistratu subscriptæ, eine Berechnung, licet nec sigillo munitum, nec a consule subscriptum, sed saltem nomine collectivo der Rath daselbst, ita ut ex tali instrumento executive agi possit, & magistratus ad ejus recognitionem teneatur.

§. CCLXXVI.

Notarii sunt personæ, quibus a summo imperante nunc immediate, nunc mediate per Comites Palatinos conceditur facultas conficiendi * super quibusvis negotiis licitis instrumenta, quibus publica fides adhibeatur. Unde ad rerum gestarum fidem faciendam tam sollicite Notarios, etiam a personis dignitate ipsis longe superioribus, requiri videmus. Ne dominis quidem censualibus in conficiendis libris censualibus, vulgo Erb- oder Saal-Bücher, fides aliter habetur, quam si iidem coram Notario & testibus, auditis ** & confitentibus subditis, sint conscripti. Quandoque tamen circa anxiam Notariorum requisitionem in excessu passim peccari animadvertimus. Exemplo sint, quæ narrat *Muller.* in der Histori von der Evangelischen Stände protestation und appellation L. 2. c. 7, & 9. *Notarii.*

* In Ord. Notar. de 1512. §. Item die Notarien sollen Notarii jubentur instrumenta sine abbreviationibus mit gantzen, gemeinen,

leßlichen und erkannten Buchstaben NB. in Pergamen, und nicht Papier, in lateinischer und teutscher Sprache zu schreiben. Quamplurima tamen quotidie Notariorum instrumenta non pergameno, sed simplici chartæ inscripta citra difficultatem admittuntur. Acta judicialia papyro non membranæ inscribi jubentur Ord. Cam. part. 2. tit. 31. §. Weiter als

** Utiliter præterea juramentum a subditis exigitur, ne tanquam universitas in integrum restitutionem petant.

§. CCLXXVII.

anxie nimis requisiti Nimirum cum 1529. in Comitiis Spirensibus multa durius contra religionem Evangelicam decernerentur, Ordines eidem addicti statim quidem protestabantur, obtinere tamen non poterant, ut hæc protestatio reciperetur. Ablegabant itaque Joannem Ehingerum Consulem Memmingensem, Alexium Frauentraut, Marchionis Brandeburgici Secretarium, & Michaelem Kaden Syndicum Norib. qui Cæsari, Placentiæ in Italia tunc versanti, dictam protestationem offerrent. Cæsar eos difficilius & nonnisi post iteratas flagitationes admittebat, admissis carcerem denuntiabat, & ne ad suos in Germaniam literas mitterent, interdicebat. Legatis hæc hærebat opinio, protestationem & appellationem non aliter esse validam, quam si coram Notario publico interponeretur, cumque præviderent, nullum se Placentiæ Notarium reperturos, qui Cæsaris indignationi caput fortunasque suas exponeret, hoc capiebant consilii, ut unus ex ipsis, qui Notarius jam erat, se legati munere solenniter abdicaret, atque protestationem non tanquam legatus, sed tanquam Notarius perageret.

§. CCLXXVIII.

Exemplum. Qua in re duplici nomine peccatum existimo. Primo, quod memoratus modo legatus propria privatoque ausu mandatum sibi legati munus, insciis a quibus erat missus, deposuerit, quod quam sit criminosum dixi in Jure Person. illustr. L. 3. T. 20. §. 485. Secundo, quod legati existimarint, majorem Notario quam legato publico fidem esse habendam. Cuivis

vis quippe ministro publico in rebus ad officium pertinentibus plena fides debetur. Simplici nuntio judiciali in relationibus suis officii intuitu depositis illa habetur. Cur igitur quæso legato publico negabitur?

§. CCLXXIX.

Jure Civili Romano in casu, quo tabularii publici copia haberi nequit, instrumentis trium testium subscriptione munitis, eadem quæ publicis fides haberi jubetur L. 2. C. de annali exceptione. Unde talia instrumenta quasi publica vocantur in L. XI. C. qui potiores in pignore. In ipsis summis Imperii tribunalibus appellationes deficiente Notario coram personis honestis interpositas recipi, testantur *Gylmannus* Symphorem. Supplicat. Tom. 3. Voc. Appellatio judicialis, *Blumius* Procesf. Cam. tit. 48. num. 18. *Uffenbach.* de Consil. Aul. c. X. Sect. 2. Subsect. 2. Hypothecas tamen, in instrumento a tribus testibus signato constitutas, publicis non ubique æquiparari, sed concessam ipsis lege Romana prærogativam legibus provincialibus passim ablatam dixi in Reali Principum Jure L. 3. T. 2. §. 390. Conf. Commentatores ad cit. L. XI. C. qui potiores in pignore. *Instrumenta quasi publica.*

§. CCLXXX.

Vis & autoritas publicorum instrumentorum ea est, ut plenam fidem mereantur, cujus quidem rei ratio non a Vicariatu divino, seu Vice-Deatu Principum arcenda, quia Principes DEI vices in terris gerunt, DEUS autem est ipsa veritas, qui *Mascardi* est flosculus de Probat. Conclus. 1273. n. 7. 8. sqq. Mallem provocari ad electam & probatam fidem ac integritatem specialem ejus, qui tale instrumentum condidit. Principi, dum summa in Republica potestas concreditur, non modo ob electam hanc ipsius dexteritatem & integritatem publicæ rei administratio, sed & potestas de rebus coram se gestis publica testimonia perhibendi tribuitur, quibus nisi fides haberetur, exitum certe administratio capere non posset. Magistratui autem aut Notario officii intuitu testantibus ideo fides habenda, quia Princeps, ipsis publica hæc munera ob spectatam specialem eorum fidem concedendo, eo ipso subditis necessitatem imponit agnoscendi illorum testi- *Autoritas publicorum instrumentorum.*

monia officii intuitu perhibita. Nam alias officia ipsorum itidem exitum haud sortirentur. Conf. Tit. 9. §. 253.

§. CCLXXXI.

Principum diplomata saltem subditorum intuitu publica sunt

Quare ut documentum pro publico habeatur, & plena ipsi fides tribuatur, requiritur, ut signetur & conficiatur ab eo, qui publicam talia condendi autoritatem accepit*, & quidem super re, cui autoritatem interponendi facultatem accepit. Cui est consequens, ipsa summi Principis Diplomata saltem subditorum intuitu pro publicis esse habenda, atque a subditis solis ex debito quodam plenam fidem iis esse tribuendam. Quemadmodum enim ipsa reipublicæ administratio] ad subditos solos pertingit, ita & facultas de rebus, in dicta administratione coram se actis, publice atque ad effectum plenæ fidei testandi. Exteri autem nullo jure cogente, & quasi ex debito, soli tali vel ipsius Principis vel Notarii extranei testimonio fidere tenentur, sed quantum eidem tribuere velint, pro arbitrio determinant. Interim nec ab iis facile Principis extranei Diplomatibus seu tabulis publicis fides denegatur, ne scil. ipsorum tabulæ publicæ similia apud exteros fata experiantur. Confer tamen *Rhet.* Inst. Jur. publ. L. 2. T. 4. §. 6. & *Lyncker.* de Archiv. Imp. circa fin.

* In Gallia Edictis & Instrumentis Regiis Regis nomen non subscribit ipse Rex sed ad ejus jussum Status Secretarius & Sigillum Regium apponit Cancellarius.

§. CCLXXXII.

Si super actibus ex Principali potestate exercitis exarata.

Sed nec inter ipsos Principis subditos cunctæ Principis tabulæ vim publicorum documentorum habent, sed illæ saltem, quibus publica Principis autoritas robur addere potuit. Tales sine dubio sunt, quæ super actibus ex Principali potestate exercitis exarantur e. c. Diplomata concessæ dignitatis, nobilitatis, feudi, privilegii, celebratæ adoptionis, emancipationis, legitimationis &c. Sed an & tabulæ super privatis Principis contractibus hunc in censum sunt connumerandæ? Sane illi, quos Princeps cum exteris celebrat, etiamsi ad publicam utilitatem tendant, e. c. si annonam aut

appa-

apparatum bellicum pro publico exercitu emit, publici negotii rationem intuitu venditoris non habent, quia Princeps non qua talis, sed ut quilibet alius privatus cum eo contrahit. At quem Princeps cum suo subdito contractum celebrat, duplicem rationem habere videtur. Ipsum negotium, quod celebratur, privatum esse potest, privatumque solum Principis interesse tangere, at solennitates, quibus illud peragitur, nihilominus publicis possunt annumerari, & instrumentum desuper confectum publicum esse, quia Princeps sua subscriptione illud confirmavit, at confirmata a Principe instrumenta privata fieri publica audivimus §. 1. Quamobrem plena publicaque fides tali instrumento tunc saltem neganda non erit, si æquale vel majus exinde emolumentum ad subditum, quam ipsum Principem redundat. At si Princeps peculiare inde commodum captare vellet, publica fides tali instrumento vix tribuenda, ne princeps in propria sua causa autoritatem interposuisse videatur.

§. CCLXXXIII.

Multo minus Principis Diplomati vis publici instrumenti aut plena fides tribuenda, quatenus in eodem jura certa sibi asserit e. c. jus nobilitandi, famam restituendi &c. tum quia sic Princeps fieret testis in propria causa, tum etiam quia decisio ejusmodi controversiarum Principi haud competit, adeoque nec jus de facta decisione fidem publicam faciendi. Nec enim a Principis judicio aut testimonio pendet, num hæc jura ipsi competant, sed aliunde e. c. ex Capitulatione, de facta a populo vel omnium vel quorundam jurium Majestaticorum collatione constare debet, de qua ubi constet, & jus Principis nobilitandi, restituendi &c. est liquidum de actibus, quos circa hæc jura Princeps exercuit, plena ipsius Diplomati fides habenda.

non autem quatenus jura certa sibi asserit Princeps.

§. CCLXXXIV.

Sic & Diplomati, quo Princeps rerum sub antecessoribus actarum fidem facere conatur, plena publicaque fides haud debetur. Tale enim Diploma de re præterita ac aliena testatur. Principis autem potestas ad sui regiminis tempus ad acta est adstricta. Sic etiamsi Imperator publico Di-

aut rerum antiquarum fidem facit.

plomate

plomate testetur, Henricum VII. Imperatorem a Monacho Franciscano sublatum veneno haud esse, inde tamen Franciscanorum innocentia non protinus evinceretur, sed id saltem, inquisivisse Imperatorem hanc in rem, nihil tamen invenisse, quod culpæ dari Franciscanis possit.

§. CCLXXXV.

aut exploratam rei veritatem labefactat. Plane ubi rei veritas satis est explorata, eidem haud præjudicabitur, etiamsi Princeps publico Diplomate contrarium asserere suscipiat, sive studio præmeditato, sive errore ductus id faciat. Suis veritas constat principiis, nec a Principis arbitrio aut testimonio pendet. Facient bis quatuor octo, etiamsi Princeps contrarium edixerit. Manet Schisma tertiæ declinationis, etiamsi primæ esse ab Imperatore jubeatur. Est matrimonium, quo conjux ex eaque suscepta proles a mariti & patris dignitate & successione excluditur, Morganaticum, etiamsi tale esse a summo Principe aut familiæ capite publicis tabulis negetur. Paterno perire non debent supplicio, in quibus paterni criminis metuuntur saltem exempla, etiamsi contrarium asserant & L. 5. C. ad L. Jul. Maj. & ipsa A. B. c. 24. §. 1.

§. CCLXXXVI.

vel errores admittit. Multo minus, quæ casu & concipientis incuria & errore publicis tabulis irrepsere, falsa sola Principis subscriptione efficientur vera. Nonnunquam ii, qui privilegia ac tabulas publicas desuper impetrant, falsa narrata supplicibus libellis inserunt, quæ postmodum ipsis tabulis publicis tanquam vera inseruntur. Quorsum forte pertinet, quod Carolus IV. in privilegio, Abbatibus Fuldensibus 1358. dato, eosdem inde a sua origine Imperatoris Archi-Cancellarios fuisse asserit, utut in nullo Diplomatum antea datorum, quorum *Schannatus* satis multa ex Archivo Fuldensi produxit, ullum hujus rei vestigium occurrat. Quidquod in ipsis nostri Imperii legibus non infrequentes cernuntur errores, concipientium incuria admissi, quod si peritus quidam ex instituto colligeret, multum prodesset iis, qui alias legum publicarum autoritate incauti decipiuntur. Aliquot saltem hic subjecisse exempla sufficiet.

§. CCLXXXVII.

§. CCLXXXVII.

Notissimum est, Titulum Augusti, ab augurio dictum *Sueton.* in Octav. c. 7. Germanorum inscitia, quasi ab augendo derivetur, in ipsis Imperii legibus aliisque tabulis publicis efferri per allezeit Mehrer des Reichs, quem errorem vix *Sexti Aurelii Victoris* testimonium, dum Octavianum ob victoriam Augustum cognominatum scribit, tuebitur. In subscriptione Rec. Imp. 1542. §. 145. Episcopatus Leodiensis per errorem vocatur *Archiepiscopatus.* In R. I. Augustano de 1548. §. 47. 48. legitur publico Imperii decreto civitatibus Hanseaticis, quasi Imperio omnes subessent, collectas fuisse imperatas, sed multas quoque extraneas civitates, quæ nullo nexu, adeoque nec ad tributa Imperio obstringebantur, huic fœderi nomen dedisse ostendit *Ludewig* de dispari civitatum nexu cap. 9. In Rec. Imp. 1641. §. 2. dicitur ad Imperii Comitia indicenda Electorum consensum *vi Aureæ Bullæ* requiri. At ipsa Aureæ Bullæ inspectio cap. 12. docet, de solis conventibus Electoralibus non autem de Imperii Comitiis ibi esse sermonem, & ad Imperii Comitia indicenda demum in Capitulatione Caroli V. Electorum consensus est requisitus. Titulum, quo Comites Schwarzburgici se vocant Gevierte Grafen des Reichs per incuriam in ipsos Imperii Recessus irrepsisse vid. R. I. Ratisbon. de 1567. Sed putido atque anili hominis vani & inepti commento de Germaniæ in quaterniones divisione inniti, observat *Vitriar.* Jur. publ. L. 2. T. 6. §. 30. Frequens satis in aliis Recessuum subscriptionibus Schwarzburgicorum mentio occurrit, at sub simplici axiomate derer Graffen. Sed & alios passim in Recessuum subscriptionibus errores animadvertere licebit, quia in illis sæpe legati occurrunt, qui vel nunquam in Comitiis comparuerunt, vel jam mortui erant tempore subscriptionis. Desumit enim Cancellarius Moguntinus ex literis, Cancellariæ Moguntinæ exhibitis, hæc nomina. At in illis literis sæpe plures nominantur legati, & aliquando tales, qui deinde impediti vel nunquam in Comitiis comparuere, vel saltem non adfuere tempore subscriptionis. *Exempla.*

§. CCLXXXVIII.

Sane quam præpostere rebus, quæ in Diplomatibus & documentis *Multo.*

minus fal- sis conclu- sionibus prodest au toritas publico- rum docu- mentorum

plane non continentur, sed per falsas conclusiones inde eliciuntur, ex iisdem fides concilietur, res ipsa loquitur. Sic status Imperii qualitas frustra suscipitur probanda inde, quod quis in Imperii matriculam est relatus. Est Imperii matricula publicum documentum, plena eidem fides constat. Sed non hunc in finem est confecta, ut catalogum Imperii statuum exhibeat, sed eorum saltem membrorum, quæ ad publicas collectas quicquam conferre tenentur. At potest quis esse Imperii Status, h. e. voto & sessione in Comitiis gaudere, etiamsi a collectis & oneribus plane sit immunis, quod exemplo Austriacorum aliorumque discimus. Vice versa & fœderatus, imo & solus subditus, tam mediatus, quam immediatus ad commune ærarium quid conferre potest, etiamsi nullæ ipsius Imperii Comitiis sint partes. Sic Stettinum & Magdeburgum in matricula inveniuntur, licet mediate imperio subsint. Nobilitas immediata confert aliquid, Status tamen qualitas eidem a plerisque negatur. Male igitur a relatione in Imperii matriculam ad Status qualitatem concluditur a *Besoldo, Limnæo* aliisque.

§. CCLXXXIX.

aut inci- denter saltem as- sertis

Imo ratione eorum, super quibus Diploma principaliter non est exaratum, sed quæ incidenter saltem in eodem asseruntur, præsumtio quidem, non autem plena probatio ex publico tali instrumento resultat. Hinc cum aliquando in senatu provocationum Dresdensi literæ investituræ producerentur, quibus fatebatur dominus, se ad preces Vasalli simul investivisse ejus agnatos, de receptione autem investituræ aliunde non constaret, existimatum est, jus reale, quod ex simultanea investitura prætendebant agnati, ipsis non fuisse acquisitum, utut haud exigua sit præsumtio, quæ ex ejusmodi investituræ tabulis oritur. Videantur Accessiones *Hornianæ* ad Jurisprudentiam feudalem c. 12. §. 29. p. 64.

§. CCXC.

Instru- menti au- thentia an

Quodsi dubium suboritur, num instrumentum publicum verum sit, authenticum, atque genuinum, an suppositum, transsumtum aliove defectu laboret, ex regulis artis diplomaticæ earumque ad instrumentum, de quo

quo quæritur, applicatione decisio erit petenda. Dantur, qui fidem instrumentorum a loco Archivi * arcent, quod dummodo bene sit custoditum, etiamsi officialem non ** habeat, præsumtione gaudere ajunt, nonnisi vera & genuina instrumenta in eodem contineri, adeo ut exemplum etiam antiquum, die & consule aut sigillo carens probet, dummodo constet, ex Archivo illud esse desumtum, & cujus manu sit scriptum. Vid. *Nicol. a Passeribus* de Scriptur. privat. Lib. 1. qu. 16. n. 37. ex eoque *Rhetius* Inst. Jur. publ. L. 2. T. 4. §. 5. *Lyncker* de Archivo Imperii p. 36. *Eisenhard.* de Jure Diplomatum p. 95. sq. *a loco archivi pendet.*

* Archivum dicitur Conclave, in quo asservantur instrumenta, quæ asservari publicæ rei interest. Vocatur & tabularium, chartophylacium, grammatophylacium, sacrum Scrinium, Cancellaria, cujus mentio occurrit L. 9. §. 6. Dig. de pœn. L. 30. C. de Episc. Audient. L. 19. C. de testam. Nov. 15. c. 5.

** *Myler.* de Principib. & Statib. Imp. c. 47. scriptis ex Archivo prolatis, utut originalia haud sint, dieque & consule destituantur, plenam quidem sine recognitione etiam inter extraneos fidem tribuit, dummodo 1) Archivo præsit Officialis, 2) scriptura inter authenticas sit reposita, & 3) Archiota testetur., eam ibidem esse repertam. Has tamen limitationes non omnino esse admittendas ex *Rulando* de Commiss. part. 2. L. 5. cap. 8. docet *Schilter.* Inst. Jur. publ. L. 4. T. 6. §. 5. Si lis inter duos sit Principes, literas ex alterius Archivo prolatas non quidem plenam fidem facere, at magnam pro iis præsumtionem esse, scribit *Coccej.* Jur. publ. prud. c. 23. §. 26.

§. CCXCI.

At enimvero potest esse instrumentum verum, & genuinum, utut nunquam in Archivum relatum, & vice versa potest esse falsum & suppositum, utut diu satis in Archivo asservatum. Nolo omnem veritatis præsumtionem Archivi loco negare, sed sufficit, tantam eam haud esse ut contrariis indiciis infringi nequeat. Solent in Archivis cuncta asservari, *Neg.*

quæ ad ſervandam rerum geſtarum memoriam conducentia reperiuntur, Chronica, Annales, Relationes. Poteſt ſuppoſitum & effictum diploma afferri, poteſt illud erronee pro vero agnoſci & reputari, in Archivum referri, per plura Secula genuinum haberi. Hæc tamen omnia non impedient, quo minus contraria indicia poſtea demum eruantur, inſtrumentique falſitas oſtendatur. Veritati quippe nunquam præſcribitur, nec ab Archivi loco præjudicium infertur. Quod vero in Nov. 49. c. 2. dicitur, chartam, quæ profertur in Archivo publico, teſtimonium publicum habere, ipſe contextus docet, accipiendum non de quavis charta in Archivo cuſtodita, ſed NB. ibidem publice confecta. Quare cum ab Archivi loco inſtrumenti vis non pendeat, fruſtra quæritur, num illud contra eum ſaltem probet, ex cujus Archivo productum, an etiam contra alium? Id quidem extra dubitationem eſt poſitum, inſtrumentum, quod contra eum, ex cujus Archivo deſumtum, allegatur, minori ſuppoſitionis ſuſpicione laborare, quam ſi aliunde allatum. Interim ſi reliqua ſe rite habent, valida quoque deſumitur probatio tum ex diplomate, quod alibi repertum, tum ex eo, quod quis ipſe ex ſuis ſcriniis ad cauſam ſuam inſtruendam produxit.

§. CCXCII.

Ad ſubſcriptionem & ſigilla potiſſimum reſpiciendum.

Rectius in dijudicanda inſtrumentorum authentia ad id reſpicitur, num ea, quæ ex locorum & temporum conſuetudine adhiberi & obſervari in iisdem conficiendis ſolent, adhibita appareant, nec ne? Plerumque ad fidem inſtrumento faciendam ſubſcribi illud & ſigillari ſolet. Quodſi igitur in ipſo Diplomate ſubſcriptionis & ſigilli mentio diſerta occurrit, alterutrum tamen diplomati deeſt, non poteſt non ipſius vacillare autoritas. Si vero utriusque mentio haud eſt injecta, alterutrum ſufficere videtur, vel ſubſcriptum vel ſigillatum eſſe Inſtrumenta privata ſigillo deſtituta, ejusque loco nonnunquam formulam in Ermangelung meines Petſchaffts oſtendentia paſſim reperiuntur. At publica inſtrumenta absque ſigillo vix reperies*. Econtra inſtrumenta privata ſubſcriptione vacua, ſoloque ſigillo munita non invenies, & ſi inveniantur, nulla eorum habebitur ratio. At publica inſtrumenta, citra ſubſcriptionem ſolo ſigillo munita, multa dantur antiqua pariter ac recentiora, adeo certa & valida, ut quæſtionem ipſis movere,

vere, insipidum reputaretur. In ipso authentico & indubitato Aureæ Bullæ exemplo nulla Caroli IV. aut ulla alia subscriptio sed solum sigillum aureum comparet. Hodienum multis in Aulis & Cancellariis e. c. Wurtenbergica Decreta sub solo sigillo Ducali sine subscriptione expediuntur.

* Meminit *Jo. Dav. Kæler.* in Commentatione de Castro Brun Diploma, quo Jodocus Imp. 1410. Joanni Archi-Episcopo Moguntino privilegia confirmare promittit, quam cito Regalem Coronam susceperit, quia (ita sonant verba) ad præsens Regiæ Majestatis sigillo caremus. Sed ipsum hoc Diploma non quidem Imperiali, Principali tamen sigillo fuisse munitum suspicor, prout Ludovicus Bavarus ante suam coronationem d. 25. Nov. 1314. factam Paderbornensi Episcopo chartam dedit d. 21. Oct. quæ ita fert: tradentes tibi has literas sigillo communitas Palatinatus Rheni & Ducatus Bavariæ, quod sigillum Regium adhuc non habemus apud *Schatenium* Annal. Paderborn. part. 2. Lib. 12. p. 231. Exemplum liberorum illustrium, qui sigilla non habentes, illa parentum instrumento apponi curarunt, attuli de tutel. T. 3. §. 385.

§. CCXCIII.

Cujusnam valoris sit documentum a solo Principe subscriptum, si absit nomen subscribendarii Ministri, des contrasignirenden Ministre, proponitur apud *Lyncker* Decis. 985. Regulariter nulla ei vis tribuenda, quoniam Princeps negotiorum multitudine obrutus, facile ita posset circumveniri. Aliud dicendum, si Princeps certa literarum genera solus subscribere solitus, aut in itinere, ubi abfuit minister, solus subscripsit.

Pariter quæsitum 1690. num subscriptio Principis hereditarii, antequam veniat ad regiminis gubernacula facta, sit obligatoria? quod itidem negandum, quia penes eum nulla potestas regendi, sed sub Principis regentis potestate agit. Contra tamen sentiendum, si Princeps regens hanc subscribendi spartam otii lucrandi causa heredi demandavit. Tunc

 heres

heres est instar mandatarii, nec sibi olim nocebit subscriptio facti alieni. *Menoch.* Lib. 3. præs. 66. n. 15. *Hœpingk.* de jur. sigillor. c. 15. n. 187.

§. CCXCIV.

De Copiis.

Instrumentum & subscriptione & sigillis destitutum aut futuri cujusdam negotii nuda est designatio, ejusque, utpote super negotio imperfecto conscripti vis est nulla, aut apographum, h. e. alius cujusdam instrumenti copia est, quæ si privatim est transsumta, nuda copia vocatur, quæ cum ad recognoscendum proponi nequeat, nihil regulariter probat, sin publica autoritate e. c. a judice aut Notario transsumta, vocatur copia vidimata, vel transsumtum authenticum, & fidem facit, adfuisse authenticum eidem consonum, unde eadem ipsi autoritas cum originali tribuitur in cap. 16. X. de fide instrum. conf. §. 302. Consiliarii Mergentheimenses aliquando Candidatum Ordinis Teutonici admonuerunt, daß keine andere vidimationes bey dem hohen Orden angenommen werden, als welche gerichtlich und obrigkeitlich oder von dem Balley Officianten bewürcket worden: die Vidimationes derer Kayserl. Notariorum aber anderst nicht vor gültig geachtet werden, als wenn dabey von derjenigen Obrigkeit, worunter die vidimirende Notarii angesessen, und ihr Amt zu verrichten pflegen, zugleich mit attestiret worden, daß sie legale Notarii seyen, und dafür gebrauchet und geachtet werden: immassen auch dieses von den Pfarrern zu sagen als zu deren Bestallung eine Beglaubigung erfodert wird. Conf. *Estor* Ratio demonstrandi Nobilitatem proavitam p. 22. Plane in causis antiquis, quarum alia probatio haberi nequit, privatæ etiam copiæ ad probandum admittuntur. Vid. §. 290. Tit. 8. §. 238.

§. CCXCV.

instrumento rupto.

Si ruptum apparet documentum, & ita quidem, ut studio dataque opera id fuisse factum conjectura capi possit, ipsa obligatio tacite sublata atque extincta videtur. Sin casu ruptura facta, e. c. rosæ a muribus tabulæ, vel linum vetustate putrefactum, sua nihilominus documento constabit validitas. Conf. L. 1. §. 11. Dig. de bonor. possess. secund. tabb. Rasura, in essentialibus documenti partibus apparens, fraudis admissæ suspicionem

exci-

excitat. Atramenti in eodem documento diversitas tum demum falsitatem arguit, si in parte suspecta e. c. die & anno apparet, manusque diversitas concurrit. Alias autem cum antiqua diplomata novo quandoque atramento superinduci soleant, non protinus exinde falsitas diplomatis arguenda, etiamsi corruptela aut vitium in tali renovatione admissum.

§. CCXCVI.

Indicia, quibus Diplomata redduntur suspecta.

Plura Diplomata si reperiuntur, quorum alterum alteri est contrarium, magna exinde oritur de alterutrius falsitate suspicio. Si tamen, instituto desuper examine, utrumque authenticum deprehendatur, cuinam tunc per alterum derogetur, supra in pactorum doctrina exposui. Sic & ubi Diplomata quædam continent, quæ cum aliis indubitatis historiarum monumentis, usitatisque tum dictionibus tum literarum ductibus &c. pugnant, eo ipso fiunt suspecta. Sic *Heiderus* & *Conringius* novitatem Diplomatis Ludovici II. cœnobio Lindaviensi nimium faventis, inter alia ex subjecta dati sive diei formula a Christi nativitate computati detexerunt. Namque Cæsares Regni Francici Diplomata ad annos sui regiminis direxerunt, & primus fuit Carolus Crassus qui in Diplomatibus annos nativitatis Christi addidit. Edidit Conringius Censuram Diplomatis Lindaviensis Helmstadii 1672. Similibus criteriis *Benjamin Leuberus* privilegium Ottonis M. a Magdeburgensibus jactatum explosit in Disquisitione Stapulæ Saxonicæ ab Impp. Carolo M. Ottone M. Frid. III. constitutæ, Budissæ 1658. Contenta tamen privilegii Ottoniani renovanda promittuntur Inst. Pac. Westphal. art. XI. §. 8. Interim non penitus spernendum est monitum *Mabillonii* de re Diplomat. L. 3. c. 1. §. 10. quod multæ chartæ sint veræ, quarum tamen notæ Chronologicæ sunt vitiosæ, * sicut ex adverso aliæ possunt esse falsæ, utut in notis ipsarum Chronologicis nullum animadverti possit vitium.

* Genuinum superest Diploma Henrici illustris Misniæ Marchionis de 1256. in cujus fine legitur: regnante Romanorum Imperatore Domino Friderico II. cum tamen constet, Fridericum II. 1250. fatis esse functum. Sed prout suspicatur Dn. *Kœler* in seiner Reichs-Historí p. 258. res ita se habet. Mortuus Fridericus

ricus clam sepeliebatur, ne tanquam excommunicatus iterum effoderetur. Hinc orta suspicio, Fridericum se saltem subduxisse, falsumque de morte sua rumorem spargi curasse.

§. CCXCVII.

Instrumenta privata

A publicis instrumentis, quæ circa hactenus sumus versati, progredimur ad privata, quæ privata autoritate sunt conscripta *. Eorum discrimen a publicis potissimum in eo consistit, quod publica per se, & quia publica autoritate ipsorum veritas est agnita, probant, privata autem tunc demum, si per factam recognitionem eorum veritas fuerit explorata. At cum instrumenta publica h. e. publice agnita, seu plena probandivi à summa potestate donata solorum subditorum intuitu talia sint, vid. §. 281. sequitur ipsorum etiam Principum documenta extraneorum intuitu esse privata, & recognitione indigere, etiamsi forte negotia cum aliis Principibus extraneis, publicæque administrationis intuitu inita concernant. Unde quoties e. c. instrumenta pacis vocantur publica instrumenta, id vel subditorum saltem intuitu fit, vel si extraneorum quoque, alio prorsus sensu est accipiendum, quatenus scil. talis pax non ad solam paciscentium, sed communem omnium legentium notitiam mediante tali instrumento perfertur, non vero ac si potestate legislatoria eidem publica talis autoritas tribuatur, ut citra ullam recognitionem simpliciter debeat agnosci.

* Quæ si quid, quantum, cui, & a quo, quando, & qua ex causa debeatur? continent, *guarentigionata* vocantur, ex iisque executive agitur. Si tamen conditio est addita, ejus adimpletio seorsim prius probatur, & executivus processus tantisper quiescit.

§. CCXCVIII.

Editio documentorum

Modus, quo suscipienda per documenta probatio peragitur, hic esse solet. Specificatio & copiæ (si suppetunt) documentorum articulis probatorialibus subjiciuntur, & si quoddam horum ab adversario detinetur, ejus simul * editio ** petitur hac formula: diesen Articul beweiset das Document sub ☉ dessen edition von Bekl. hiemit gefodert wird. Sin tertius, qui

qui ejusdem judicis est subditus, illud possidet, ejus exhibitio ita postulatur, um dessen edition die gewöhnl. Compulsoriales *** an N. N. zu ertheilen gebethen wird. Si denique subditus extraneus, loco compulsorialium requisitoriales petuntur.

* Si tamen executive agitur editio simul peti nequit vid. Tit. 6. §. 189. quare tunc prius processu ordinario ad exhibendum agitur.

** Quam judex adversario moroso vel sub pœna editi, (si nimirum copia documenti in actis reperitur) vel, si copia nulla adest, sub comminatione ut articuli, super quibus documentum inductum, pro concessis habeantur, aut pro re nata bey Verlust seines vermeinten Rechts injungit.

*** Quas judex prima vice simplices, deinde, si opus, arctiores sub pœna expedit.

§. CCXCIX.

Quilibet regulariter tenetur documenta, quæ possidet, edere ei, qui iisdem ad probationem peragendam indiget, quia talis communicatio ad officia innoxiæ utilitatis pertinet. Tertium tamen ad edenda documenta, utut interesse doceatur, non teneri ex L. 10. §. 1. Dig. de edendo * & reum actori ad edendum non teneri colligitur ex L. 7. C. de testib. L. 4. & 8. C. de edend. ubi tamen non sine specie moneri posset, absurdum videri, reum non cogi instrumenta adversario prodere, & tamen juramentum ei posse deferri, eoque ipso eum plane ad animi secreta prodenda posse adigi. Imo exceptiones, quæ communi illi regulæ, qua reus actori ad edendum teneri negatur, subjiciuntur, tam late patent, ut regulam absorbere videantur. Etenim non modo fisco, ecclesiis, piis causis &c. utut actoribus documenta a reo in causis saltem civilibus esse edenda perhibentur L. 3. Dig. de edend. L. 2. §. 2. Dig. de jur. fisc. sed in genere documenta petenti cum reo communia quorsum trahitur L. 2. C. quando fiscus vel privat. debit. sui debit. L. 47. §. 1. Dig. de negot. gest. At ipsum illud interesse, quare actor documenti editionem petit, illud commune

quando reo injungenda

quodammodo esse arguit, wenn er eines gewissen Interesse halber Anspruch daran hat.

* Quæ ibi de rationibus habentur, non ad quævis documenta esse extendenda, rationis diversitas facile evincit.

§. CCC.

De Juramento Editionis.

Ubi is, a quo documenti editio postulatur, se illud possidere negat, si nec indicia possessionis adsunt, judex pronuntiat, daß er mit edition des Documents zu verschonen. At si indicia suppetunt, aut saltem is, qui editionem postulat, juramentum super possessione detulit, præstare alter, prævio calumniæ juramento, * tenetur editionis juramentum, quod documentum nec possideat, nec dolo possidere desierit, nec noverit, ubi reperiri possit. A quo juramento nec illustres personas esse immunes, in ipsis rerum argumentis pronunciavit Senatus Appellationum Dresdensis 1644. in causa Hugo von Schoenburg Bekl. eines contra Helenen Pflugin andern theils. Heres tamen, a quo editio documenti, quod defunctus possedisse creditur, postulatur, per inventarii editionem liberare se ab hoc juramento potest.

* Quo tamen opus non est, si probabile, eum a quo documenti editio poscitur, illud possidere.

§. CCCI.

Alternativa est vel recognoscendi vel diffitendi obligatio.

Si is, a quo documenti editio poscitur, ad illam est paratus, vel ipse probans illud possidet, judex terminum productionis præfigit *, in quo originale est exhibendum, cujus inspiciendi copia ubi adversario est facta, revocari illud amplius nequit, sed contra ipsum producentem potest urgeri, non obstante protestatione interposita de productione saltem in utilibus passibus facienda. Adversarius igitur deliberat, num documentum recognoscere, an diffiteri velit. Hæc quippe obligatio sua natura est alternativa juris, & libera proinde electio, etiamsi in prævia sententia recognitio simpliciter injuncta.

* Qui

* Qui peremtorius juxta quasdam judiciorum ordinationes est, ita ut, si non in prima positione, saltem intra septiduum a primo termini die documentum produci debeat, alias illud pro amisso declaratur Kl. hat sich an production des documents versäumet. Jure Canon. usque ad conclusionem in causa productio admittitur c. 9. X. de fid. instrum.

§. CCCII.

Utramque & recognitionem & diffessionem quis declinabit, si talia ad recognoscendum producuntur, quæ recognoscibilia non sunt, e. c. instrumenta in eodem processu reproducta, quia jam approbata videntur L. 15. C. de fid. instrum. L. 17. C. de testib. it. instrumenta publica *, quippe quæ per se sine recognitione probant vid. §. 280. quorsum pertinent Constitutiones provinciales, aliaque jura sub articulis probatoriis allegata, nec non sententiæ, decreta & recessus judiciales. Recognoscibilia quoque non sunt ea, quæ partem actorum constituunt, ut litis contestatio, mandata, rotuli, articuli probatoriales, in quibus & alia adhuc subest ratio, quia quæ in iis continentur, non protinus affirmantur aut conceduntur. Instrumenta rupta & lacerata, item irrelevantia recognoscere nemo tenetur, quia licet recognita, nihil tamen probant, sicut & Copiæ, utut a Notario vidimatæ, & Originalia deperdita fuerint, iis tamen non æquipparantur. Si tamen ab ordinario judicii Notario vidimatæ sint, quoad negotia ad illud judicium spectantia originalibus æquipparantur cap. ult. X. de fid. instrum. Conf. §. 294. Num instrumenta, coram alio judice in alia forte causa jam dum recognita, nova recognitione indigeant, an simpliciter probare debeant? a legislatoris arbitrio pendet. Posterius placuit Ord. Sax. tit. 25. §. 4.

Utraque declinatur, si documenta recognoscibilia non sunt

* Olim in Saxonia per Decis. El. 74. publica quoque instrumenta a producto erant recognoscenda, utut hic illa diffiteri non potuerit. Sed hæc recognitionis necessitas postea per Ord. Proc. Recogn. tit. 25. §. 2. abrogata.

§. CCCIII.

Recognitionem si is, contra quem documentum producitur, eligit, facere illam tenetur clare, & citra ambiguitatem agnoscendo veritatem documen-

Recognitio quo-

modo facienda? cumenti. Unde non sufficit dixisse, er erkenne es davor, was es würckl. ist, oder davor es passiren kan. Facultas Jurid. Viteb. 1711. tanquam nimis generalem rejecit recognitionem ita factam, man wolle das document recognoscirt haben. Generalis tamen recognitio sufficit e. c. ita concepta, er erkenne es davor, wofür es ausgegeben wird. Regulariter recognitio in loco judicii, ubi lis pendet, suscipitur, ubi tamen egregiarum personarum beneficium, de quo Tit. 9. §. 265. viget, coram Notario domi illa peragitur. Potest & per procuratorem fieri, dummodo speciali ad recognoscendum mandato instructum, quia est actus magni præjudicii. Unde etsi documenta recognoscendi facultas in mandato concessa, non tamen ideo copias pro Originalibus recognoscere poterit procurator, nisi & id specialiter mandato insertum. Facta documenti recognitione, originale producenti restituitur, relicta copia vidimata apud acta. Si tamen altera pars documenti vitia urget, desuperque disceptandum, ipsum originale apud acta retinetur, datis producenti ab Actuario literis, quibus retentum fuisse Originale testatur. Recognitum documentum contra recognoscentem plene * probat, contra tertium autem si producitur, nova recognitione eget. Ipsi vero recognoscenti etiam post recognitionem salvæ manent exceptiones, dummodo processus generi conveniant e. c. in continenti sint liquidæ in processu executivo.

* 1. Alias & citra recognitionem documentum plane non probat, ne quidem in possessorio summarissimo. Quanquam enim ibi probatio soli judici unilateraliter fieri potest, id tamen de sola per testes aut publica documenta probatione accipiendum. Quæ vero per privata instrumenta suscipitur, sua natura citra alterius recognitionem fieri nequit. Conf. Tit 8. §. 237.

2. Num vero contenta instrumenti intentioni producentis respondeant, judex facile perspiciet. Sic per instrumentum, quo producens acquisitum rei dominium probat, alterius possessionem non protinus convellit. Utrumque enim penes se stare potest, ita ut alter dominium acquisiverit, alter in possessione constituatur. Add. *Mabillon* de Re Diplom. L. 3. c. 5. §. 13.

3. Etiam

3. Etiam in criminalibus e. c. heresi, perduellione plena probatio per instrumenta potest peragi.

§. CCCIV.

Diffiteri si satagit documentum is, contra quem producitur, jurare* debet in termino, ad id post juramenti oblationem a judice præfixo, & quidem si de documento proprio est quæstio, daß es seine Hand und Siegel nicht sey, er habe es weder unterschrieben noch unterschreiben lassen, sin de alieno, daß er nicht glaube, daß es N. N. Hand und Siegel. Formula vero daß er weder Hand noch Siegel kenne, tanquam insufficiens passim repudiatur. Neque is, qui subscriptionem fatetur, contenta diffiteri sinitur, quasi instrumentum non perlectum subscripserit, aut cum charta blanca dolus sit admissus. Hæc enim vel in reprobatione, vel reconventione, vel separato processu seorsim probare tenetur. Quodsi productus ad diffitendum facilis videtur, & processus genus ejusmodi ambages admittit, ** poterit producens documenti veritatem aliunde probare, vel per comparationem alias indubitatæ scripturæ a rei scriptoriæ peritis & juratis instituendam Nov. 73. c. 7. vel per testes, qui num de credulitate saltem, an præcise quod viderint, instrumentum a producto scribi, jurare teneantur, a legislatoris dispositione pendet, nec adversario interrogatoriorum exhibitio deneganda. Plene si testes haud probaverint, pro re nata aut diffessioni aut juramento suppletorio locus fit. Quæ vero instrumentis nonnunquam inseritur recognitionis renuntiatio, vix quicquam operatur, aut diffessionem impedit, quia ad minimum illa pars, quæ renuntiationem continet, recognoscenda. Magis expedit cautela, qua quis instrumentum statim, posteaquam scriptum, a debitore judicialiter recognosci curat, quo facto postea, quando dies debiti venit, statim sine ulteriore recognitione executio potest impetrari. Effectus diffessionis est, ut nulla tunc instrumenti ratio habeatur, adeo ut ob factam in processu executivo diffessionem a debito absolutus super eodem in processu ordinario conveniri amplius nequeat propter obstantem rei judicatæ exceptionem. Ubi etiam per leges & ordinationes judiciales est interdictum, ne in locum generis probandi, in quo quis defecit aliud, cujus in articulis probatorialibus mentio non est injecta, substituatur vid.

quomodo diffessio?

Tit. 8. §. 245. non amplius erit integrum, post factam diffessionem productione aliorum documentorum vel testium sibi consulere.

* Procuratorem haud admittit Land R. L. 1. art. 46. & Ord. Proc. Sax. tit. 25. §. 4. Sed Rec. Imp. 1654. §. 43. & Ord. Cam. Part. 1. tit. 65. 66. contrarium statuunt.

** Pertinet huc formula pronuntiandi: daß Klägers Suchen wegen der comparatione literarum nach Gelegenheit dieses processes nicht statt hat: sondern es wird Beklagter zur eydlichen diffession zugelassen. Es wolte denn Kläger der jetzigen Klage renunciiren, und eine ordentliche Klage anstellen, damit würde er billig gehöret.

§. CCCV.

Probatio per monumenta. Priusquam a probatione, quæ per documenta peragitur, discedamus, pauca addere liceat de probationis genere, quod illi valde est affine, & ab inscriptionibus monumentorum, numorum, item ab Annalibus & Historicis petitur. Modus rerum gestarum memoriam per monumenta ex ligno, aere & marmore confecta conservandi atque ad posteros propagandi tanto est commendatior, quanto marmor & æs ad perferendas superandasque temporum injurias aptius & durabilius. Multarum rerum memoriam in chartaceis monumentis tantum non prorsus deletam marmora nobis conservarunt ac restituerunt. Eoque majorem ipsorum inscriptiones fidem merentur, quo minorem fraudis atque erroris suspicionem admittunt. Tales siquidem res continent, quæ illo, quæ scribebantur tempore communi omnium notitiæ patebant, ideoque si erronee fuissent expressæ, ut facillime poterant refelli, ita sine dubio emendatæ fuissent, ne intentus veritatis ad posteros propagandæ finis interverteretur.

§. CCCVI.

contraria probatio- Quanta quanta interim veritatis conjectura & præsumtio pro marmoribus militat, tanta tamen haud erit, quin probatione contraria possit elidi,

elidi. Quantum enim veritati præjudicium inferatur, si cuncta, quæ sup- petunt marmora, atque incisas iisdem inscriptiones pro veris & indubitatis agnosceremus, facile patebit secum reputanti, ad exemplum Annii Viterbiensis impostoris falsa plane monumenta pro veris sæpe effingi: alia post aliquot demum Secula a rerum, quas referunt gestarum temporibus fuisse posita, & non tam quid antiquis temporibus re vera accidit, quam quid eo, quo ponebantur, tempore creditum, continere, quorsum pertinere videtur monumentum sepulchrale Geronis, ut vocatur Ducis & Marchionis Saxonum, Gernrodæ aliquot post ejus mortem Seculis demum a Monachis positum, de quo videatur *Becmannus* in Chron. Anhalt. alia denique in ipsorum restauratione & reparatione fuisse mutata & corrupta, quale quid accidit Epitaphio Diezmanni seu Theodorici, secundogeniti Alberti Misniæ Marchionis filii, a sicario Lipsiæ occisi, ibique in templo Paulino sepulti. Annales unanimi concentu eum 1307. superstitem testantur, & bella, quæ cum Imperatoribus Adolpho, qui 1292. & Alberto qui 1298. rerum est potitus; nec non dissensiones, quæ ipsi 1307. cum Abbate Pegaviensi intercesserunt, narrant. Inscriptio vero sepulchralis ita fert: *Obiit VIII. Cal. Jan. MCCLXXX.* qui error sine dubio in templi restauratione 1545. facta admissus, quod & literarum ductus, recentius ævum spirantes, confirmant. Epitaphium Ludovici Senioris Comitis Wurtenbergici, quod Tubingæ visitur, ponit annum emortualem 1454. utut indubitata documenta 1450. eum fatis functum doceant. Documento hæc esse poterunt, quanto studio, quantaque circumspectione monumenta sint excutienda, atque cum aliis veritatis cognoscendæ adminiculis comparanda. Fundamenta quædam dijudicandi antiqua monumenta eorumque inscriptiones attulit *Antonius van Dalen* de Antiquitatibus & Marmoribus, quemadmodum circa Diplomata idem præstitit *Jo. Mabillonius* in laudato superius Opere de Re Diplomatica, circa numos vero *Ezechiel Spanhemius* de Usu & Præstantia Numismatum.

ni obnoxia.

CCCVII.

Numi rerum gestarum memoriæ conservandæ, revocandæ, & probandæ non minus, quam ipsa marmora inserviunt, imo ipsis certa ratione præferendi videntur. Nam ut metalla lapides pretio vincunt, ita fere

Probatio per numos.

numi

numi marmorum inscriptiones diuturnitate, & si hodienum superstites considerémus, antiquitate superant. Vid. *Jo. Guil. Janus* de Veritate historica p. 15. quod mirum haud videbitur consideranti, marmor nonnisi unicum, numorum vero plurima exempla fieri, marmora publice temporum injuriis exposita, negligenter quandoque a posteris tractari, numos econtra seris cistisque inclusos summa singulorum cura custodiri. Pugnant pro numis eædem, quæ pro marmoribus, veritatis conjecturæ & præsumtiones. Et per monetam publicam jus monetandi valide probatur, imo ipsius summi imperii valida præsumtio inde capitur. Conf. Matth. XXII. Quæ vero ex nummis resultant præsumtiones, infringi nihilosecius per contrarias fortiores possunt. Non dicam, quanta sit numorum effictorum & suppositiciorum copia, adeo ut sagacissimi ægre sæpenumero veros a falsis dijudicare valeant. Sed ne ipsi quidem veri ac genuini suis vacant erroribus. Solent in nuptias aliasve solennitates numi confici, in iisque dies ipsarum exprimi, qui si postmodum mutatur & differtur, frustra hoc in passu Annalium fides per numos impetitur. Comparet aliquando imago Principis cum anno, quo tamen haud fuit superstes. Cujus rei ratio inde forsan arcenda, quod forma numi in antecessum confecta. Der Stempel war im Vorrath geschnitten, oder die Müntze wohl gar im Vorrath geprägt.

§. CCCVIII.

Quare ubi de comparanda inter se marmorum, numorum aut Historicorum fide agitur, neutrius simpliciter præferenda, sed ex erutis undiquaque circumstantiis, adhibitisque omnis generis adminiculis judicium ferendum. In dubio tamen, & si reliqua sunt paria, lapidum fidem illi Historicorum, utrique illam numorum præferrem. Pariter in arte Critica ex uno alterove numo aut marmore non satis validum pro temporum priscorum scribendi ratione, seu orthographia ducitur argumentum. Quotidie videmus, quot quantique ab artificibus hoc in passu errores committantur, nec aliter rem olim se habuisse, facili conjectura assequimur. Non igitur ex uno alterove exemplo, sed constanti plurium demum concentu hujusmodi conclusiones eliciendæ.

§. CCCIX.

per Annales. Annalium & Chronicorum scriptoribus (quorum illi debent esse

coævi

coævi, hi non item) neque nulla, neque plena gestarum, quas referunt rerum fides habenda. Chronicorum compilatores eatenus & ideo saltem fidem merentur, quoniam de rebus antiquis ea, quæ suo tempore credita sunt, bona fide consignasse præsumuntur. Robur haud leve huic ipsorum fidei accedit, si fontes & tabularia, unde sua desumserint, indicant. Major tamen coævorum Annalium Scriptorum ratio habenda, quia exactior ipsis rerum, quas scribunt, esse poterat notitia. Sed & inter coævos ii, qui αυτοψίας nomine veritatis opinionem sibi conciliant, reliquos longo post se intervallo relinquunt. Quemadmodum inter antiquos *Polybius*, *Thucydides*, *Josephus*, & inter recentiores *Cominæus* aliique rerum, quibus ipsi interfuerunt, scriptores plurimum æstimantur: ita nimiæ credulitatis, & quod promiscue ea, quæ ab aliis relata acceperant, lectori pro veritate obtruserint, *Favynus*, *Oldenburgerus*, *Leti* &c. accusantur.

§. CCCX.

Sed nec illis, qui nimiæ credulitatis labe quidem non laborant, simpliciter fidendum. Nonnulli enim a veritate scribenda metu deterrentur, juxta illud *Aventini* Annal. Boj. L. 5. Vera scribere periculum, falsa crimen. Sic *Sleidano* optimo ceteroquin Scriptori, quod loquenda taceat, exprobratur. Alii intempestivo amore ducti adulantur * nimium, & Panegyristas potius, quam Historicos agunt. Ex antiquis huc *Xenophon*, *Livius*, *Eusebius*, ex recentioribus *Platina*, *Jovius* **, *Varillasius* pertinent. Alii odio & invidia ducti a veritatis orbita deflectunt. Exemplo sint *Zosimus*, *Procopius* aliique anecdotorum scriptores, ut mirum esse non debeat, ex tam diversa animorum propensione tot nasci Historicorum dissensiones. Quales uti olim inter *Herodotum & Ctesiam*, *Livium & Dionysium Halicarnassensem*, *Eusebium & Zosimum*, ita recentioribus temporibus inter *Jovium & Belcarium*, *Guicciardinum & Bembum*, *Surium & Sleidanum*, *Haraum & Grotium*, *Buchananum & Camdenum*, *Kyriandrum & Browerum*, *Chifletium & Blondellum*, *Sanderum & Burnetum Varillasium & Brunsmannum*, *Maimburgium & Seckendorfium* aliosque intercesserunt. Quidquod unum eundemque scriptorem, studio partium cum tempore mutato, de eadem re diversa tradere videas, quo nomine ipse *Puffendorfius*, illustris Seculi superioris scriptor, accusatur, quod cum Historiam Suecicam pa- *& Historicos.*

riter ac Brandeburgicam ex tabulariis publicis se sumsisse profiteatur nihilominus in hac nonnulla illi contraria scripserit. Vid. *Janus* de veritate historica p. 22. sq. Quibus nævis cum ipsi Historicorum Principes laborent, quid quæso de Diis minorum gentium erit expectandum? Rationibus igitur probe subductis, summa eo redit, ut pro Historico tamdiu veritatis præsumtio militet, donec per fortiores conjecturas aut probationes labefactetur.

* Adulationis vitium ut vitaret *Salmasius*, nullo præmio ad res Richelii literis commendandas se adduci passus est. Et *Justus Lipsius* similem provinciam a Philippo Hispanorum Rege sibi oblatam recusare, collectamque ejus gratiam effundere maluit, quam aut veritatis studio eum offendere, aut hujus fines transilire. *Janus* de Verit. Hist. p. 19.

** *Joseph Scaliger.* Ep. 1. ad Jan. Dousam, Jovium in Aula Henrici II. Regis & obscurissimo cuique mercede generis claritatem promittere, & sibi adversantibus ultionem apud posteros maledicentia sua minitari solitum fuisse scribit.

§. CCCXI.

Sermonibus funeribus denen Leichpredigten, iisque jungi solitis personalibus quanta fides haberi debeat disceptatum, cum quidam Ordinis Teutonici Candidatus proavum suum ex ejusmodi personalibus demonstrare vellet. Nam Consiliarii Mergentheimenses statim primo loco inter defectus ponebant: Es dienet dem Herrn probanten zu seiner Nachachtung daß die personalia oder Leichpredigten, wenn sie mehr als einen gradum probiren sollen, bey dem hohen Orden nicht pflegen angenommen zu werden: Es wäre denn Sache daß mehrere andere adminicula concurrirten, welchen falls dieselbe aliquo supplemento angenommen werden könten. Conf. *Estor* de ratione demonstrandi Nobilitatem avitam p. 21.

§. CCCXII.

§. CCCXII.

Jureconsultorum asserta & testimonia per se, & nisi legibus publicis aliisve argumentis idoneis fuerint suffulta, vix quicquam probant. Eorum quippe est facta ad jus applicare, non autem jus edicere. Egregium Electoris Palatini effatum contra eos, qui Palatino in Cæsarem judicium competere, ex Doctorum testimoniis probare conantur, audivimus Tit. 5. §. 59. Quare, qui aliud causæ suæ præsidium præter Doctorum opinionem afferre nequit, vix optatum intentionis successum poterit sperare. Doctori tamen de consuetudine testandi fidem esse habendam vulgo volunt. Saltem contrarii probatio non erit excludenda, nec consuetudo, de qua testatur, ad ditiones extraneas extendenda. Excellentissimos quoque Doctores, si in extraneorum causis consuluntur, ob ignoratam illorum locorum rationem gravissime quandoque labi videas. *Alciatum*, *Menochium*, *Dionysium Gothofredum*, *Renatum Choppinum*, Viros Romana jura doctissimos in Germanicis causis ab Hassis, Geldris, Palatinis consultos, nonnisi nugas vendidisse requirentibus pueriles, imo infantissimas, quoniam nulla ipsis rerum Germanicarum notitia, observat *Ludewigius* de Obligatione Successoris in Principatus p. 40. *ICtos.*

TITULUS XI.

DE

Probatione per Juramentum, Ordalia & S. Synaxin.

* *
*

Rarior inter Principes per jusjurandum cernitur probatio. Purgatorium nonnunquam ab iis adhibitum. A malitiæ autem seu calumniæ juramento sunt immunes. Probatio per Ordalia, duellum, ignem & aquam, tanquam vana dudum abrogata, nec magis est probanda illa per S. Synaxin.

§. CCCXIII.

Juramenta assertoria num vim probandi habent.

De natura indole & moralitate juramentorum supra L. 1. T. 8. disseruimus, ubi de juramentis promissoriis tanquam pactorum firmamentis erat agendum. Hoc loco, ubi in probationum doctrina versamur, assertoria juramenta consideranda veniunt. Nonnulli quidem juramentis assertoriis vim saltem lites terminandi juxta illud Hebr. VI. 16. tribuunt, probandi non item. Verumtamen cum in probationibus judicialibus non præcise agatur de investiganda veritate Logica, sed saltem Juridica, cui sufficit fides, quanta hominibus fieri potest, in rebus occultis autem alia, quam quæ per jusjurandum fit, fides haberi nequeat, probandi vis juramento denegari vix poterit, etiamsi per illud ex falso verum haud fiat. Conf. L. 5.

§. 2.

§. 2. L. XI. §. 3. Dig. de jurejur. ubi perinde haberi dicitur, quod juratum est, ac si probatum esset, & dato jurejurando non aliud quæri, quam an juratum sit, remissa quæstione, an debeatur, quasi satis probatum sit jurejurando. Add. L. 1. & 3. C. de reb. credit.

§. CCCXIV.

Neque tamen semper assertoriis juramentis probandi vis inest, sed tunc demum, si ab eo qui contradicendi vel inquirendi jus habet, causæ dubiæ decisio propriæ adversarii conscientiæ committitur, quoniam alias quivis in propria causa ipse posset esse testis, quod invito adversario haud admittendum. Conf. Tit. 9. §. 252. *& quando?*

§. CCCXV.

Inter Principes illustresque personas rarior quidem juramentorum assertoriorum usus animadvertitur. Nonnunquam purgatorium inter eos adhiberi videas. A malitiæ autem seu calumniæ penitus sunt immunes. Vid. Tit. 7. §. 214. Reliqua rarius inter ipsos deprehendes. Breviter interim singula attingere liceat. Dispesci juramenta assertoria ratione finis commode poterunt in talia, quæ faciunt ad lites vel decidendas vel promovendas, vel æstimandas. Litis decisoria sunt vel testimonialia de quibus Tit. 9. vel ipsi parti nunc ab adversario, nunc a judice delata. Quæ a judice deferuntur vel suppletoria sunt, vel purgatoria. *rariorem inter Principes usum præbent.*

§. CCCXVI.

Deferre regulariter juramentum potest quivis, cui probatio incumbit, sive actor sit, sive reus intuitu reprobationis, ut scil. per juratam alterius confessionem appareat, num obligatio contracta, aut si saltem dubium circa ejusdem interpretationem aut conditionem annexam existit, illud hac ratione tollatur. Inter Principes tamen multa obstare, quæ usum hujus remedii vix admittunt, inprimis ubi per alios est contractum, ut plerumque solet contingere, bene monet *Gribner* Princip. Jur. Nat. L. 3. c. 5. th. 6. n. 3. Infames & perjuri juramentum deferre haud sinuntur, ne suo deli- *Quis deferre*

cto ei, cui illud deferunt, referendi electionem auferant, quæ ratio cum cesset in casibus, quibus relatio locum non habet, tunc ipsis infamibus & perjuris juramenti delatio integra videtur.

§. CCCXVII.

juramentum potest?

Minores deferre juramentum nequeunt ob deficientem liberam de rebus dispositionem, quæ juramenti delationi tacite inest. At tutores pupillorum nomine valide jusjurandum deferunt. Ipsis minoribus ubi juramentum defertur, referre illud nequeunt ob rationem adductam, præstare quidem possunt, sed non tenentur, sicut nec tutores ipsorum L. 26. pr. L. 34. §. 2. Dig. de jurejur. L. 4. de in litem jurando. In causis matrimonialibus & imprægnationis habilitas delinquendi habilitatem confitendi parere dicitur. Inter plures litis consortes is, qui pubertatem plenam attigit, pro reliquis quoque saltem de credulitate jurare jubetur. Alibi rectius ad majorennem singulorum ætatem jurandi actus differtur.

§. CCCXVIII.

super quibus causis?

Super omnibus causis jusjurandum deferre licet, etiamsi nulla veritatis species afferatur, dummodo prius de calumnia juretur, sive de cetero facta, super quibus jurandum, sint propria jDuraturi, quod juramentum veritatis, sive aliena, quod credulitatis vocatur *, sive licita, sive illicita seu delicta, dummodo civiliter agatur. A criminali enim processu jurisjurandi delatio exulat. Ne tamen reo præcludatur probatio pro exoneranda conscientia, quoties super causis famosis juramentum defertur, deferens omnes loci, temporis, & personarum circumstantias specifice debet exprimere. Contra matrimonium ut transactionem omnem, ita & juramenti delationem esse irritam, vulgo quidem Doctores, invita licet juris analogia, perhibent. Unde & ipsi super imprægnatione it. sævitiis ad effectum separationis juramenti delationem admittunt. Rectius illa rejicitur, quoties tertii jus implicat e. c. super legitimatione ad causam.

* Propria soli conscientiæ committuntur, es wird ins Gewissen gescho-

geschoben, aliena scientiæ quoque & notitiæ wird zu Gewissen, Wissenschafft und Wohlbewust gestellt.

§. CCCXIX.

Quousque facultas juramentum deferendi competere debeat, a legislatoris pendet arbitrio. Jure Romano usque ad sententiam illa est integra L. 11. 12. C. de reb. credit. Iis vero in locis, ubi in locum electi semel probandi generis aliud substituere non licet, vid. Tit. 8. §. 245. exulat jurisjurandi delatio, si probatio per testes & documenta jam electa. Unde ne quidem in reprobatione juramentum deferri potest in passibus, super quibus interrogatoria ad articulos probatoriales fuerunt data, quia interrogatoria illa faciunt partem reprobationis. In causa tamen dividua, si plures heredes vel agunt, vel conveniuntur, ab uno probatio per testes vel documenta potest fieri, ab alio autem juramentum deferri, quia tot actiones in judicium videntur deductæ, quot sunt heredes. *intra quodnam tempus*

§. CCCXX.

Delato juramento alter vel suam conscientiam per probationes defendere tenetur, vel juramentum delatum, prævio tamen calumniæ juramento præstare, vel si factum, super quo jurandum, ipsius non est proprium, referre vel in totum vel pro parte. Suscepta semel per probationem conscientiæ defensione referri juramentum amplius nequit. Simul autem ac delatum juramentum acceptatum, nec acceptans probatione conscientiam defendere, nec deferens factam delationem revocare amplius sinitur, nisi beneficio restitutionis in integrum gaudeat, aut alterum pejeraturum liquide probet, quod tamen, quam sit difficile, sponte intelligitur. Dantur tamen, qui ob generalitatem Legis XI. C. de reb. Cred. revocationem usque ad terminum integram existimant. *Is cui juramentum delatum.*

§. CCCXXI.

Ad præstationem juramenti is, cui illud delatum, multis in judiciis vel ipse, vel per procuratorem speciali mandato instructum, (clausula *illud vel præstare*

tamen

tamen juramenta acceptanti quoque facultatem ad illa se offerendi comprehendere censetur) intra certum fatale se offerre debet: in aliis a judice terminus præstationi præfigitur, quæ ab ipso principali consultius exigitur, ne de perjurio vitando admonitio pereat. Hæc tamen admonitio cum illustribus cesset, facilius procurator eorum admittitur. Jure Romano & Imperiali procurator speciali mandato instructus indistincte admittitur. L. 9. §. 6. L. ult. §. 2. Dig. de jurejur. Rec. Imp. 1654. §. 43.. Jure Saxonico autem ipse principalis jurare jubetur LandR. L. 1. art. 46. Ord. Proc. tit. 18. Mutus propria manu juramenti verba scribere jubetur. Universitas autem per tria quatuorve membra jurat, quorum electio merito adversario relinquitur.

§. CCCXXII.

vel referre tenetur. Relatio juramenti in factis propriis locum non habet. (De iis enim meliorem notitiam habet is, cui illud delatum, quam quivis alius) sed tantum in alienis & communibus, pro quibus non reputantur illæ, quarum notitiam uterque habet, sed in quibus uterque concurrit. Referri autem juramentum debet in ea, qua delatum fuit, forma. Alias enim nova subesset delatio, quæ forsan admitti non præcise deberet. Hinc reus juramentum, sibi super actionis fundamento delatum, super exceptione referre nequit, sive connexio utriusque subsit, sive minus. Neque in præstatione juramenti relati requiritur præsentia referentis, quia alter utrumque juramentum & principale & de calumnia præstat*. In termino juratorio si juraturus vel emanet, vel ea, qua debet, forma jurare recusat, ex legislatoris arbitrio vel simplici expensarum refusione punitur, vel juramentum in ipsius odium pro re nata nunc pro deserto, nunc pro præstito habetur. Si is, qui de calumnia jurare debebat, emanet, principale juramentum pro præstito solet haberi.

* Quia tamen tali casu juramentum calumniæ in relato seu principali continetur, merito tunc calumniæ juramentum cessare deberet. Nam qui jurare potest adversarium sibi aliquid debere satis ostendit, quod non malitiose juramentum exegerit.

§. CCCXXIII.

§. CCCXXIII.

vel conscientiam probatione defendere

Qui juramentum ſibi delatum nec ipſe præſtare, nec referre vult, conſulere ſibi poteſt conſcientiæ per probationem defenſione, vulgo Vertretung des Gewiſſens mit Beweiß, jure Romano quidem ignorata, at Germaniæ moribus introducta. Nititur illa prætenſa quadam conſcientiæ teneritate, qua is, cui juramentum defertur, conſcientiam jurejurando onerare detrectat, quamdiu alio modo finem jurejurando intentum obtineri poſſe ſperat. Hic finis igitur ſi citra juramentum e. c. per documenta, eorumque productionem obtineri poteſt, facile patet, hujusmodi conſcientiæ defenſionem utilitate ſua haud deſtitui. At ſi per teſtes juratos hic finis demum obtinendus, valde inconcinnum videtur, unius juramenti vitandi cauſa duo aut plura a teſtibus poſtulare, quibus ex voto haud ſuccedentibus, nihilo ſecius poſtea juramentum delatum erit præſtandum, adeo ut, rite rem ſi æſtimes, defenſio conſcientiæ per teſtes tum juramentorum numerum augendo & multiplicando, tum litibus remoras injiciendo, noxia magis quam utilis exiſtat. Nihiloſecius praxis Germanica eandem admittit.

§. CCCXXIV.

quæ quomodo peragatur?

Qui igitur conſcientiam per probationem defendere cupit, intra fatalia per Ordinationes judiciales determinata plerumque intra octiduum a facta delatione ad illam ſe offerre, & intra quatuor aut ſex ſeptimanas a tempore dictæ oblationis articulos probatoriales exhibere tenetur, qui ad ipſum factum, non autem ad exceptiones peremtorias debent eſſe directi. Suſceptæ ſemel defenſioni qui renuntiat, vel articulos mere impertinentes e. c. ad exceptiones directos offert, juramentum ſibi delatum præſtare tenetur, qui vero probationem deſerit, wer ſich an der Gewiſſens Vertretung verſäumet, ipſum juramentum deſeruiſſe cenſetur. Probatio, per quam conſcientia defenditur, ceu modo diximus, vel per documenta vel per teſtes peragitur, non autem per juramentum, (ne progreſſus detur in in infinitum, aut hæc conſcientiæ defenſio cum juramenti delatione confundatur,) nec interrogatoria alia, quam generalia ad teſtium perſonas directa admittuntur, nec reprobatio ei, qui juramentum detulit permittitur, (adeoque nec interrogatoria ſpecialia ad ſingulos articulos

culos, quippe quæ reprobationis vices ſuſtinent) ne conſcientiæ defenſori, ſi in probatione deficiat, regreſſus ad juramentum adimatur. Nam ſi plene probat conſcientiæ defenſor, liberatur quidem a juramenti delati præſtatione, at ſi minus plene aut plane nihil probat, ad juramentum delatum * præſtandum admittitur **, ad referendum ne admittatur, prudenter prohibetur.

* Quod intuitu factæ minus plenæ in conſcientiæ defenſione probationis ſuppletorium vel purgatorium poteſt vocari.

** In Saxonia Electorali per Ord. Rec. tit. 19. §. 2. denegatur quidem defenſori conſcientiæ, qui in probatione deficit, regreſſus ad juramentum, reprobatio tamen & interrogatoria ſpecialia in cauſæ meritis alteri nihiloſecius interdicuntur.

§. CCCXXV.

De juramento ſuppletorio & purgatorio

Pertinent hæc ad juramenta a parte delata. Quæ a judice deferuntur locum inveniunt, quoties probatio minus plene eſt peracta. Tunc enim alterutri judex vel ſuppletorium vel purgatorium injungit, regulariter ei, qui optimam rei notitiam poteſt habere, unde is, qui de veritate jurare poteſt, ſemper præferendus ei, qui ſaltem de credulitate, adeoque & cedens ceſſionario. Sin utrique æqualis eſt notitia, reſpiciendum num ſemiplena probatio adſit. Si ſemiplene vel plus quam ſemiplene probatum, ſuppletorium dictatur der Erfüllungs-Eyd, cui quidem obſtat, quod per illud juraturus teſtis fiat in propria cauſa. At cum alia eaque ſemiplena probatio præſupponatur, ſuppletorium ſaltem tanquam quoddam probationis adminiculum conſideratur, unde & jam dum præſtito ſuppletorio adverſarius audiendus, ſi per documenta noviter reperta pejeratum eſſe probare poteſt L. 31. Dig. de jurejur. quod probandi genus in juramento ab ipſa parte delato haud admittitur ob tacitam, quæ delationi ineſt, transactionem. In proceſſu criminali autem cum plenæ & luce meridiana clariores probationes requirantur, ſuppletorio locus haud relinquitur L. fin. C. de probat. L. 16. C. de pœn. Si minus quam ſemiplene probatum, purgatorium der Reinigungs-Eyd injungitur, quod non

non modo in civili (quorſum & ſpectant juramenta editionis documentorum, documentorum noviter repertorum, diffeſſionis &c.) ſed criminali etiam proceſſu uſuvenit, ita, ut quoque ſi plus quam ſemiplene probatum ſit, ob delicti vero qualitatem ad torturam veniri nequeat, purgatorio ſaltem locus fiat, quia ſuppletorium a criminali proceſſu exulat. Ratione tamen expenſarum in inquiſitionem & defenſionem factarum id diſcriminis reſtat, quod ſi ſemiplena probatio adeſt inquiſito illæ adjudicentur, ſin ſemiplenâ minor eſt probatio, nullumque factum illicitum, quod inquiſitioni anſam dare potuiſſet, remanet, judex expenſas ferre teneatur. Si maſculo & fœminæ correis purgatorium dictatur, maſculus prior jurat, cum ex adverſo in tortura fœmina prius torqueatur, quia fœmina dolores minus conſtanter perferre, mas vero jurisjurandi gravitatem magis expendere cenſetur.

§. CCCXXVI.

quod a cauſis capitalibus rectius exularet.

Quod purgatorium quoque in criminalibus judiciis adhiberi diximus, ſua haud deſtuitur æquitate in delictis, quarum pœna pecuniaria ſaltem eſt, aliave bona concernit. Quoad graviora autem, quorum pœna eſt corporis afflictiva, vel plane capitalis, haud leves ſuppetunt rationes, quæ purgatorii uſum improbare videntur. Oritur quippe obligatio, qua delinquens judici ad delictum fatendum tenetur, ex pacto, quo ſe eidem ſubmiſit. Atqui bona quidem alienæ poteſtati ſubjicere poſſumus, de corpore & vita ſua diſponendi jus nemo habet. Quare nec pacto illud transferre poterit. Quidquod cum obligatio ſe ipſum conſervandi fortior ſit illa, qua Reipublicæ ſummæque in ea poteſtati tenemur vid. de pœnis T. 2. §. 229. potius obligamur ad declinanda ſupplicia, graviterque peccamus, eadem per propriam confeſſionem promovendo. Cui eſt conſequens, non tam eum, qui falſo purgatorium præſtat peccare, quam alterum, qui illud defert, eoque occaſionem præbet nomen divinum in vanum aſſumendi. Quæ tamen non ita accipi velim, ac ſi judex dictare inquiſito purgatorium non debeat. Judici quippe leges & ordinationes criminales ſunt præſcriptæ, quibus nec mitior nec ſeverior eſſe debet, & ſi forte peccare ſe, dum ad legis præſcriptum purgatorium dictat, eoque divini nominis profanationi anſam ſe præbere credit, officium citius deponere debet,

 quam

quam a norma sibi proposita deflectere. Legislatoris interim erit dispicere, numne magis expediat, purgatorii usum in causis criminalibus majoris momenti penitus tollere.

§. CCCXXVII.

Exempla illustria. Illustre præstiti purgatorii exemplum præbet Lotharius II. Austrasiæ Rex vid. Tit. 4. §. 67. qui coram Pontifice Romano jurejurando & sacra synaxi se purgavit, quod inde ab anno 865. pellicem suam Waldradam haud cognoverit conf. §. 335. Aliud exemplum sistit Joannes II. Nassovius Archi - Episcopus Moguntinus, qui ob cædem Friderici Brunsuicensis in Imperatorem, Wenceslao exauctorato, electi variis suspicionibus gravatus, apud Friderici fratrem Bernhardum coram Ruperto Comite Palatino Rheni multisque Comitibus solenni juramento se purgavit. Vid. *Serrarius* Rer. Mogunt. L. 10. §. 4. sq. & *Obrecht.* Apparat. Jur. publ. p. 53. Ordinatio Cameralis Electores, Principes, Comites &c. de fracta pace publica suspectos solenni jurejurando se purgare jubet part. 2. tit. 10. Electoribus tamen & Principibus id præcipui tribuit, ut ipsorum loco procurator, qui ad minimum debet esse nobilis, purgatorium in principalis animam juret. Priscis temporibus non solum ipsi criminum inculpati, sed & simul cum ipsis aliquot *Compurgatores* vel *Sacramentales* jurabant, ipse quidem accusatus de veritate, reliqui de credulitate, quod scil. ob vitam accusati ante actam, eamque ab omni vitiorum sorde vacuam sibi persuadere nequeant, quod delictum commiserit. Jure feudali duodecim requiruntur, eorumque sex ex agnatorum classe esse debebant 2. feud. 33. Jure Canonico numerus est arbitrarius XIV. vel VI. vel V. personarum c. 8. & 10. X. de purgat. Canon. Sed hic compurgatores adhibendi mos dudum jam ab usu recessit.

§. CCCXXVIII.

De juramento dandorum & respondendorum. Vidimus juramenta, quæ faciunt ad lites decidendas. Ad illa, quæ saltem ad lites promovendas faciunt, pertinent, juramentum calumniæ seu malitiæ de quo Tit. 7. §. 214. quodque illius est species restitutionis in integrum, quo quis jurat, se non calumniandi, aut executionem differendi animo restitutionem petere vid. Tit. 13. §. 402. perhorrescentiæ de quo Tit.

Tit. 5. §. 143. appellantium & leuterantium, revisionis vid. Tit. 13. §. 379. paupertatis, de quo vid. Ord. Cam. part. 1. tit. 41. & 78. denique juramentum dandorum & respondendorum, de quo nonnulla addere liceat. Scil. in multis locis ad promovendam & facilitandam probationem partes, antequam aliam probationem per testes vel documenta suscipiant, tentare solent illam *per positiones*, quibus id, quod in controversiam venit, sigillatim comprehendunt ad eliciendam ab adversario mediante juramento veritatem. Actor suas positiones (quæ κατ' ἐξοχὴν ita vocantur) ex ipso libello format, factum in libello propositum articulis includendo, quos judici exhibet, subjuncto petito de positionibus reo communicandis, terminoque præfigendo, quo actor has suas positiones juramento, quod *dandorum* vocant, confirmet, reus autem ad easdem juramento, quod *respondendorum* dicitur, respondeat. Uterque facta propria vera vel non vera esse, aliena autem se vera vel non vera credere asserit. Reus itidem positiones offert, quæ *defensionales* vocantur, & fundamenta defensionis continent, articulis comprehensa, juratoque confirmata, ad quæ actor itidem jurato respondeat, hoc fine ut *ponens* sublevetur onere probandi ea, quæ alter quem *Ponat* practici vocant, sponte fatetur. Negatarum vero positionum probationem ponens postea nihilo secius per testes aut documenta potest peragere. Si vero adversarius sine justa causa respondere ad positiones detrectat, prævia contumaciæ accusatione pro confesso habetur *.

* Differunt igitur *positiones* ab *interrogatoriis* eo, quod ponens positionibus comprehensa fatetur, non autem interrogans ea, quæ interrogatoriis comprehenduntur. Præterea interrogationes licet olim apud Romanos reis proponerentur, hodie tamen solis testibus, positiones e contra non testibus, sed actori & reo proponuntur. Ab *articulis probatorialibus* positiones differunt itidem eo, quod positiones a ponente affirmentur, articuli probatoriales autem ab offerente non habeantur pro concessis. In specie ab iis articulis, super quibus juramentum delatum est, positiones differunt, tum quod articuli ab offerente non jurato confirmentur, bene autem positiones, tum quod super articulis, super quibus juramentum est delatum,

tum, aliud probandi genus suscipi amplius nequeat, quod tamen est integrum super. positionibus a ponato negatis.

§. CCCXXIX.

ejusque usu exiguo Hic modus probandi per positiones cum juramento dandorum & respondendorum juri Romano quidem est incognitus, at approbatus jure Canonico cap.un. X. de lit. contest. cap.2. de confess. in 6. nec non jure Imperii Rec. Imp. 1654. §. 49. Aliqua ejus utilitas se quidem exerit ad statum controversiæ melius formandum in lite generaliter nimis contestata e. c. hoc modo: nego narrata, prout narrantur, & petita, prout petuntur, quæ & forsan huic probandi modo originem & occasionem præbuit. Audivimus enim, jure Pontificio positiones probari, qua pariter specifica litis contestatio haud requiritur. Clementin. Sæpe de Verb. Signif. Ex quo vero per Imperii Recessum clara & specifica litis contestatio est necessaria, parum magnifice de positionum utilitate sentire licet, unde & a multis judiciis e. c. Saxonicis exulare jubentur, præsertim cum juramenta utriusque partis super factis propriis e diametro sibi contraria non possint non amplam perjuriorum segetem producere. Quæ vero inde expectatur utilitas, quod adversarii conscientia per positiones tangatur in antecessum, antequam ad articulos probatoriales devenitur, parum convenire videtur indoli jurisjurandi, quod subsidiariam saltem probationem alia deficiente suppeditare debebat. Conf. Tit. 8. §. 237.

§. CCCXXX.

de Juramento in litem. Supersunt juramenta, quæ faciunt ad lites æstimandas. Pertinet huc juramentum *in litem* ad determinandum pretium vel verum vel affectionis. Camera Imperialis 1673. in causa Waldeck contra Ostfriesland juramentum in litem actori injunxit, gestallt sie glaubten, daß in weyland Grafen Enno zu Ostfrießland Erbschafft an Mobilien, Baarschafften, Kleinodien, guldenen Ketten, Gold und Silber-Geschir, Renten, Gülten, lößl. und unablößlichlen Zinsen, Frucht, Hauß und andern Vorrath weniger nicht als 100000. Thl. sich befunden habe. *Minorationis.* Juramentum *minorationis* est, quo ob vim expulsivam & ablativam conventus æstimationem

tionem ab actore factam, prævia judicis moderatione, minuit. Frequentius est juramentum *Zenonianum*, ubi damna per vim expulsivam data, prævia judicis moderatione, actoris juramento committuntur L. 9. C. unde vi. Pertinet hoc juramentum saltem ad damna, expensas enim judex simpliciter moderatur & adjudicat sine actoris juramento. De juramento manifestationis, seu jurata hereditatis specificatione dixi de Hereditat. T. 38. §. 798. *Zenoniano.*

§. CCCXXXI.

Excussis veris ac genuinis probationum fontibus pauca subjungere libet de variis probandi generibus perperam olim adhibitis. Quam prisca barbarorum temporum superstitio admittebat probationem per judicia, ut vocabant, divina & miraculosa, seu Ordalia vel Urtella, sagacior sequiorum temporum legislatio dudum abrogavit. Putabant quippe singularem Dei providentiam innocentes injuste opprimi haud sinere, sed per miraculum innocentiam eorum a crimine objecto manifestare. Erat autem miraculosa ejusmodi probatio potissimum triplex, per duellum, ignem, & aquam. Prima armis decertando, altera per ignem transeundo, vel ferrum candens, carbonesve ardentes tangendo, aut vomeres ignitos nudis pedibus calcando, tertia nunc immersione manus in aquam ferventem, nunc descensu in aquam frigidam manibus pedibusque ligatis peragebatur. Qui in duello vincebat, aut ignis calore non lædebatur, aut aquæ frigidæ fundum petebat, divino miraculo adjutus, ipsiusque Dei sententia absolutus judicabatur, secus ac is, qui vel duello vincebatur, vel aquæ frigidæ supernatabat, vel ferro, prunis, aut aqua fervente adurebatur. In una eademque causa miraculosa hæc probandi genera conjunctim adhibita apud *Aimoinum* Annal. Francor. L. 5. c. 34. ad an. 874. Cum enim inter Ludovicum Germanicum, & fratrem Carolum Calvum Franciæ Occidentalis Regem contentio de finibus orta esset, antequam ad arma veniretur, ille ad hunc 30. viros misit, quorum decem aqua fervente, decem frigida, & reliqui decem ferro candente, docerent, terras, de quibus contenderent, jure hereditario ad Ludovicum pertinere, & injuste Carolum eas sibi vindicare. Add. textus Speculi Sax. supra de delictis T. 13. §. 154. excitatus. *Probatio per ordalia*

§. CCCXXXII.

§. CCCXXXII.

per duella & ignem. De historia, moralitate, & abrogatione duellorum in delictorum materia fuse egimus. Originem probationis per ignem nec a Romanorum, nec Christianorum, sed antiquorum Germanorum institutis esse repetendam, ostendit *Janus* de duellorum origine §. 4. provocans ad testimonium Phocæ Metropolitæ Philadelphiensis, qui, cum Seculo XIII. Michael Comnenus Imperatori Joanni III. Ducæ rerum novarum suspectus, innocentiam suam ferri candentis tactu probare juberetur, & tum demum se id facturum diceret, si Phocas, hanc sententiam ei denuntians, exemplo sibi præiret, & ferrum candens de manu in manum traderet: his verbis respondit: o bone juvenis, hoc neque nostri neque Romani instituti, neque ecclesiasticæ traditionis, imo neque ex legibus neque e sacris ac divinis canonibus desumtum est. Sed barbaricus est iste mos, nobisque minime notus, qui jussu tantum Imperatoris exercetur: Per barbaros autem Germanos innui, legis Salicæ testimonio constat, quæ talia judicia, ut antiqua diuque jam usitata, commendat tit. 55. Postea Christiani Francorum Reges imperio potiti, institutum a majoribus traditum retinuerunt, legibusque confirmarunt. Vid. Caroli M. Capitulare 4. ad an. 803. cap. 3. & 6. Exempla ejus in historia Germanica a Sec. V. ad XIII. frequentia satis occurrunt. Super ipsa religionis veritate inter Arianos & orthodoxos probatione per aquam fervidam decertatum, vincente orthodoxia legitur ap. *Gregor. Turonens.* L. I. c. 81. * At Seculo XIII. Fridericus II. Imp. anno 1221. pudendam hanc superstitionem abrogatam voluit Constit. Sicular. L. 2. Tit. 31. eorum sensum non tam corrigendum, quam ridendum ducens, qui naturalem candentis ferri calorem tepescere, imo quod est stultius frigescere, nulla justa causa superveniente, confidunt. Et Honorius III. Papa hujusmodi judicium, quippe in quo Deus tentari videatur, interdixit cap. 3. X. de purgat. vulgari, quo nomine insignitur illa, quam vulgus vel invenit vel sequitur, & cui opponitur Canonica, quæ jurejurando peragitur, & canonibus probatur tot. tit. X. de purgat. Canon. Add. cap. 9. X. ne Clerici vel Monachi Secularibus. Tam altas tamen probatio per ignem in multorum animis radices egerat, ut vix Sec. XIV. penitus evelli posset. Apud Moravos eam usque ad Caroli IV. tempora remansisse, demonstrat *Jo. Georg. Stredowski* in Sacra Moraviæ historia L. I. c. 5.

* Fal-

* Falſum tamen eſt, quod vulgo perhibetur, Kunigundam Henrici II. conjugem adulterii ſuſpicionem ignitis vomeribus purgaſſe. Kunigundam ne moviſſe quidem Auguſto marito ſuſpicionem, omnemque fabulam deberi Auctori vitæ Henrici S. c. 21. & Vitæ Kunigundis c. 2. (qui utriusque Vitæ ſcriptor fuit *Nonnoſius*) poſt 130. demum annos ſcribenti, huncque incaute ſecutos *Kranzium*, *Mutium*, *Cuſpinianum*, *Brunnerum*, *Adlzreiterum*, *Boxhornium*, *Cluverum &c.* ſolidis argumentis evincit *Conrad. Sam. Schurzfleiſch* in diſſ. de innocentia Kunigundis Viteb. 1700.

§. CCCXXXIII.

Probatio per aquam non modo veteribus Germanis erat uſitata, juxta illud Poëtæ: ***per aquam***

Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus

quoniam ex impoſitione infantum Rheno cognoſcebant, num ſpurii an legitimi eſſent. Et in Rheno quoque adulterii purgatio perficiebatur, ut ideo *Nonnus* in Dionyſiacis Rhenum non ineleganter ἐλεγχίγαμον appellet. Vid. *Linck.* de probatione per inſignia p. 46. Sed & legibus publicis probatum fuiſſe probationem per aquam, patet ex Ludovici Pii Ordinatione de benedictione, vel exorciſmo aquæ calidæ ſeu frigidæ, in qua manus ad judicium mittitur apud *Goldaſt.* Conſtit. Imperial. Tom. 3. p. 254. ſq. ubi additur, hoc judicium petente Domino Ludovico Imperatore conſtituit B. Eugenius ne perjuri ſuper reliquias Sanctorum perdant animas ſuas in malum conſentientes. *Hincmarus* Archiepiſcopus Rhemenſis in ſuo de divortio Lotharii & Thietbergæ libro juſtitiam probationis per aquam e ſacris literis evincere, fruſtraneo auſu eſt aggreſſus. Cumque inania ſint, quæ pro eadem afferri poſſunt, jam dum Lotharius in Leg. Longobard. L. 2. tit. 55. §. 31. hoc probandi genus interdixit. Adde Epiſtolam vel Gregorii vel Alexandri II. Pontificis cauſ. 2. qu. 5. can. 7. & cit. cap. 9. X. ne Clerici vel monachi ſecularib. Sed recentioribus Seculis iſte modus iterum introductus fuit in proceſſu inquiſitorio contra ſagas, unde etiam vocari ſolet, die Hexen-Probe, peculiari ſcripto defenſus a *Guil. Adolph. Scribonio* Marpurgi 1558. Conf. *Thomaſ.* de Occaſ. & Con-

cept. Constit. Crim. §. 19. lit. S. qui & meminit probationis antiquæ per *Casibrodium*, qua panis hordaceus dabatur cum caseo, quem si deglutiret reus, habebatur pro innocente, sin deglutire non posset pro nocente *. It. probationis per crucem. Stabant rei ad crucem expansis brachiis per certum tempus immobiles, si pro innocentibus haberi vellent, quodsi vacillarent, habebuntur pro convictis. Vid. *Spelman.* & *du Fresne* Voc. Crucis judicium & locus ex Epistola *Agobardi* allatus a Dattio de Pac. publ. L. 1. c. 1. n. 27.

* *Everard Rudolph Roth* diss. de antiquissimo illo more, quo veteres innocentiam suam per S. Eucharisticam, panem execratum caseumve probasse leguntur Ulm 1677. Casibrodii mos a paganis promanasse videtur. Acron scribit, in furti suspicione reos ad sacerdotes paganorum ductos fuisse, qui crustam panis characteribus pictam singulis exhibuerint. Quam consuetudinem apud Sinenses hodienum observat *Schurten* in Acerra exot. p. II. c. 42. p. 547. In nonnullis Monasteriorum Codicibus reperiuntur formulæ, quibus ad detegenda furta jubebatur Oratio Dominica scribi in pane & caseo, variis adhibitis imprecationibus. *Petr. Pithœus* in gloss. ad Capitul. Caroli & Ludovici talem refert formulam: Præsta quæsumus domine per Sanctum & mirabile nomen tuum, ut qui reus est hujus criminis ad appositam ei pro ostensione rei veritatis creaturam panis sanctificati, vel casei vaux ei claudatur, guttur ejus stranguletur, & in nomine tuo ante illud ejiciatur, quam devoretur: Sed spiritus diabolicus in hoc negotio ad subvertendum judicium nihil prævaleat. Conf. *Wildvogel* vom Vater Unser.

§. CCCXXXIV.

per sanguinis fluxum ex cadavere occisi.

Inanis quoque existit, & parum a prætenso miraculo abest probatio, quæ petitur a fluxu sanguinis e corpore occisi ad præsentiam occisoris, de quo ex instituto *Pfauzius* & *Hundshagen* scripserunt. Sane quamdiu consecutio necessaria inter præsentiam occisoris & fluorem sanguinis occisi ostendi nequit, levi ejusmodi indicio standum haud est in re tam ar-

dua, quæ evidentes & luce meridiana clariores probationes desiderat. Rectius ad terrendum saltem, quam ad penitus convincendum, aut condemnandum suspectus de cæde ad cadaver occisum adducitur, quale quid memoriæ est proditum de Cosmo I. Medicæo, qui Garsiam filium, de cæde fratris Joannis inter venandum interemti suspectum, ad cadaver adduci jussit, & permotum secuto sanguinis e cadavere fluxu ad spontaneam cædis confessionem sua manu protinus interfecit.

§. CCCXXXV.

Denique improbanda adhuc venit instituta passim per sacram synaxin probatio aut purgatio, quæ medio præsertim ævo passim in illustribus quoque causis adhibita legitur. *per S. Synaxin* Hadrianus Papa Lothario Imperatori Romam venienti, ut se purgaret super illicita, quam cum Waldrada habuisse accusabatur, consuetudine, Sacram Synaxin porrexisse in purgationem criminis legitur apud *Sigebert. Gemlac.* ad an. 870. & Reginon L. 2. Hildebr. sive Gregorius VII. Papa itidem sacra cœna cum tremendis hisce verbis usus est: Corpus Christi subitanea interimat me morte, si reus, apud *Lambert Schafnaburg.* ad an. 1077. Imo integra Synodus Wormatiensis Canone X. & XV. hunc morem se devovendi non modo approbavit, sed & ad probandam innocentiam præcepit, quos canones postmodum Decreto suo inseruit *Gratianus* can. 23. & 26. caus. 2. qu. 5. indeque ad nostra tempora manavit mos, quo ex vulgo homines criminis incusati ad Sacram cœnam in condemnationem accipiendam provocare solent, quod tamen quam detestandum sit, satis superque colligitur ex fine saluberrimi hujus instituti, qui ad fidem confirmandam, & charitatem mutuam, ardentemque devotionem tendit, ab imprecationibus autem & execrationibus longissime abest. Conf. *Jo. Christoph Becman.* diss. Acad. 1. de judiciis Dei c. 7. §. 1. & *H. H. Meier* de occultis Dei judiciis Francof. ad Mœn. 1684. 8. c. 7. §. 1. ubi turpissimo plagio Becmannum exscribit.

§. CCCXXXVI.

Probatione & reprobatione ea, qua decet, ratione peracta, institui a partibus solet ulterior argumentorum allatorum ventilatio & deductio, vul- *De Deductionibus*

vulgo vocant die disputation Gesetze it. das Verfahren über Beweiß und Gegenbeweiß. Vestigia ejus jam dum occurrunt Nov. 90. c. 4. cap. 15. X. de testib. cum tamen ad substantialia processus haud pertineat, renuntiari eidem a partibus potest Rec. Imp. 1654. §. 41. Scripta, quibus ejusmodi deductiones comprehenduntur, vocantur producta, & modus ita procedendi producte Weise verfahren. Initium pro diversa judiciorum consuetudine nunc actor nunc reus facit. Quod actor conficit, scriptum dicitur Probation vel Salvation Schrifft it. rechtliche Deduction, rei Exception-Schrifft, quam actoris Replica, tum rei Duplica, &, si opus, actoris triplica, & rei quadruplica excipit. Quodvis scriptum judici in duplo offertur, ut unum actis inserat, alterum parti adversæ ad ipsius petitionem communicet. Tempus intra quod exhiberi debet quodvis scriptum, Ordinationibus judicialibus solet esse determinatum, quo elapso amissum sine prævia contumaciæ accusatione habetur, nec amplius a judice ad acta recipitur.

§. CCCXXXVII.

earumque requisitis

Primum scriptum continere debet facti speciem, formationem status controversiæ conferendo libellum cum litis contestatione, rationes probandi & decidendi, & contrariarum confutationem, subjuncto petito de reo juxta libelli contenta condemnando. Reus in suo scripto, si status controversiæ ab actore non rite formatus, meliorem substituit, adversarii probationem refellit, reprobationem suam deducit, seque ab actione & expensis absolvi petit. Nova autem documenta in his positionibus non admittuntur. In reliquis disputationis scriptis antea dicta ulterius confirmantur. Salutari consilio numerus certus scriptorum pro cujusque causæ & negotii qualitate a legislatore definitur. Prudens advocatus brevibus multa scit complecti. Antea dicta tædiose saltem repetere, inutile & noxium. Neque nova sunt, quæ ad jura spectant, facta tantum noviter allegari dicuntur. Conf. *Ludolf.* de Jure Cameral. p. 273.

§. CCCXXXVIII.

de Conclusione in causa.

Causa ubi sufficienter est instructa, sequitur conclusio in causa i. e. partes ulterioribus probationibus & deductionibus renuntiant, & contro-

versiam

versiam decisioni submittunt, quod fit vel expresse declarando, man wolle zum Urtheil beschlossen haben *, vel tacite positiones ad acta tradendo, aut in traditione moram committendo. In causis criminalibus & favorabilibus piarum causarum, matrimonialibus, oculari inspectione &c. non obstante facta causæ conclusione partes adhuc audiuntur, ipsi autem judici nunquam concluditur, sed semper ipsi est integrum, ubicunque quid agendum vel probandum superest, rescindere conclusionem, & partibus, quæ facienda sunt, injungere. Parti etiam revocationem conclusionis intra triduum ex L. un. Cod. de error. Advocat. permissam meminit *Ludolf.* de Jure Cameral. p. 275. ubi & monet, ad causæ conclusionem non pertinere, sed ad sententiæ promotionem informationes ex actis petitas, Assessoribus distribuendas, ut de statu causæ informentur, atque sic, perlecta prius domi informatione, referentem melius percipiant, ipsiusque errores animadvertant.

* Addi solet clausula sonder Neuerung seu Neuerung ausgeschieden, qua pars concludens excipit a submissione casum, quo adversarius nova sit allaturus. Imo hæc clausula utut omissa, tacite inesse videtur.

§. CCCXXXIX.

Judex, si non ipse, e. c. ad vitandam partium studii suspicionem, aut si partes ita petierint, sententiam ferre, sed a Collegio extraneo eandem petere vult, terminum præfigit pro inrotulatione actorum, in quo a litigantibus vel eorum procuratoribus acta, num integra sint, vel manca, perlustrantur, & ea, quæ ab adversario, altero inscio adjecta, removeri petuntur, & si partes urgent, acta ipsis præsentibus, (quod tamen passim negligitur) sunt obsignanda, quæ postmodum a Collegio Juridico remissa in termino publicationis demum resignantur. Ad quodnam vero prudentum Collegium acta sint transmissa, hunc in finem celatur, ne variis machinationibus illud flectere partes tentent. Sumtus transmissionis regulariter utraque pars suppeditat, nisi alterutra ipsius judicis sententia esse voluerit contenta, tunc enim transmissio fit sumtibus petentis. *de Actorum transmissione.*

TITULUS XII.

DE

Sententia.

* * *

Sententia debet esse actis & juri conformis, nec ipsi Principi contra jus eam ferre ex potestatis plenitudine licet. Casus autem pro amico vix dabiles existimo.

§. CCCXL.

Sententia quid & quotuplex? Sententia est causæ controversæ a judice facta decisio. Vulgo vocatur ein Urtheil, ein Bescheid, utut accuratiores sub nomine Bescheid intelligant *decretum* ab ipso judice conceptum, per *sententiam* vero in specie sic dictam, sive ein Urthel, denotent talem, quæ a rogato desuper Collegio Juridico fertur. Alibi Urthel vocantur, quæ ad præcedentes litigantium positiones auf rechtliches Verfahren decreta vero sive Bescheide, quæ in causis oretenus ventilatis, auf mündliches Vorbringen, imo & in extrajudicialibus feruntur. Utraque sunt vel interlocutoria, Beyurtheile, super momento incidenti, vel definitiva, Endurtheile, quæ causam principalem decidunt * Sententia interlocutoria vel simplex est, quæ passum mere incidentem concernit e. c. legitimationem, litiscontestationem, probationem &c. vel mixta, quæ indirecte causam principalem definit, e. c. si juramentum suppletorium vel purgatorium dictatur. Definitiva vel pura est vel conditionata. Conditio autem talis sit, quæ nova sententia non indigeat, qualis est modo memorata de juramento præstando, non autem illa, si hoc vel illud fuerit probatum. Tunc enim nova sententia opus, an probatum sit. Quamobrem tali casu rectius pure interlocutoria fertur.

Non-

Nonnunquam tamen e. c. ob competentem in integrum restitutionem reus vel absolvitur vel condemnatur, reservata ulteriori probatione.

* Eadem tamen sententia diverso respectu simul potest esse & interlocutoria & definitiva, definitiva intuitu possessorii summarissimi, interlocutoria vero intuitu petitorii & possessorii ordinarii.

§. CCCXLI.

Fert sententiam judex, sive ipse eam concipiat, sive a collegio prudentum suo nomine ferendam petat. Mos, petendi sententias ab extraneis, originem traxisse videtur a famæ celebritatæ, quam tribunalia nonnulla sibi acquisiverant *. Hæc in causis dubiis & vexatis, oborto inprimis inter judicii assessores dissensu, atque votorum paritate, aut si judex ob concurrens proprium commodum erat suspectus, tanto lubentius consulebantur, quo magis hac ratione omnis partium studii suspicio cessat. Habent sententiæ ab exteris latæ sua pariter commoda & incommoda. Haud exiguum est, quod memoravimus commodum, a cessante partium studio ipsis accedens. At superari videtur maximo incommodo, dum extranei institutorum alibi vigentium, & quorum in ipsis actis vel ideo, quod ibidem sunt notissima, mentio nulla occurrit, ignari, haud raro longe satis a meta aberrant, prout de Alciato, Menochio, Gothofredo &c. Tit. 10. §. 37. audivimus, eos, in Germaniæ Principum causis consultos, rem acu non omnino tetigisse. Quamobrem illa judicia, quæ actorum transmissioni locum haud relinquunt, eo nomine improbanda certe non sunt. Alibi tamen vi legum judici a superiore præscriptarum actorum transmissio necessitatis est, ut denegari vel omitti nequeat. Judicia minora in causis criminalibus majoris momenti sententias a collegio prudentum petere jubentur in Ord. Crim. art. 91. 133. 147. 153. 163. 219.

fertur a judice.

* Jam Romani causas difficiliores dijudicandas miserunt in Græciam ad Areopagitas. Vid. *Val. Max.* L. 8. c. 1.

§. CCCXLII.

Optimum itaque temperamentum hoc erit, ut in causis dubiis ac arduis

vel pru-

dentum Collegio. arduis *privata* quidem actorum transmissio solius *informationis* causa judici permittatur, salva tamen recedendi a sententia extranea facultate. Quemadmodum in judiciis militaribus acta, si causæ gravitas ita suadet, Collegio juridico ad sententiam ferendam transmittuntur, ita tamen, ut sententia ab illo lata non statim publicetur, sed prius judicium militare formetur, causa denuo expendatur, & juxta votorum pluralitatem sententia feratur. In Rec. Imp. 1654. §. 96. dispositum, ut consilia juridica, quæ ipsi litigantes impetrarunt, instar quasi relationis quidem admittantur, nulla vero ulterior in referendo & votando eorum ratio habeatur *, daß solche Consilia weder in referendo noch votando Ziel oder Maaß geben, noch, so viel das factum belangt, einigerley weiß attendirt werden solle, nisi quod pars, quæ ad fideliter narrata favens sibi consilium impetravit, pro temere litiganti nec haberi, nec proinde in expensas condemnari possit. At publica & solennis actorum transmissio, hoc fine fieri solita, ut collegium extraneum juxta transmissa acta originalia, quid facto & juri conforme sit, per modum *decisionis* ita pronuntiet, ut ipse judex transmittens mutare illam amplius nequeat, sed publicare salva partibus appellandi facultate teneatur, talis inquam transmissio non omnino expedire videtur.

* Cui est consequens, in casu, quo super eadem causa plura Consilia, in diversas sententias abeuntia, sunt impetrata, non præcise mitiorem esse sequendam.

§. CCCXLIII.

quomodo? Modus, quo sententia conficitur, talis servatur. Judex alicui assessorum acta perlustranda præbet, hic postmodum in judicis & assessorum consensu eadem refert, facti speciem clare & distincte juxta temporis ordinem præmittendo, controversiæ statum rite formando, quid in facto, quid in jure probatum sit, probandumve restet, subjiciendo, & suum proinde votum, allatis decidendi rationibus *, illisque dubitandi confutatio, exponendo. Quo facto reliqui suum pariter votum depromunt, & juxta votorum pluralitatem ipsa sententia concipitur. Ut vero sententia rite sit concepta, continere debet, nomen judicis, actoris, & rei, addita procuratorum, si per tales comparuerunt, mentione **, tandemque ipsum judicis

dicis jussum, qui, ut exitum capere queat, esse debet & certus & juri conformis.

* Quas tamen publicare non necesse c. 16. X. de Sent. & re jud. L. 59. de re jud.

** Interlocutoriæ sententiæ in procuratores dirigi solent, nisi actus quidam ab ipso principali peragendus, definitivæ autem in ipsos principales diriguntur, ita tamen ut in sententiæ ingressu procuratorum quoque mentio injiciatur.

§. CCCXLIV.

Certus inquam vel per se, vel per relationem ad aliud e. c. libellum, testamentum &c. Alternativus tunc demum locum invenit, si ipsa obligatio est alternativa, ut in actione ex L. 2. C. de rescind. Vend. Aliquando petitum a judice non quidem penitus denegatur, sed tamdiu saltem, donec defectus quidam, in petito admissus, fuerit emendatus, quo pertinet impius ille, & olim valde usitatus pronuntiandi modus, daß die Klage, sive das Suchen, angebrachter massen, sive gestallten Sachen nach, nicht statt habe. Exemplum illustre vidimus in emancipatione Lœwensteinensi de patria potestate T. 15. §. 286. Tunc denegatio quidem clare satis apparet, sed quia nihilominus dubium relinquitur, qua in re peccatum sit, quave ratione error commissus emendari queat, satius longe est, ea de re brevissimis simul partes reddere certiores. Hodierni judices in addendis decidendi rationibus tam parci amplius esse non solent. *debet esse certa.*

§. CCCXLV.

Porro sententiam juri conformem esse debere diximus. Nam sententia contra jus in thesi lata ipso jure est nulla, quia jus judici pro norma est præscriptum L. 1. §. 2. quæ sentent. sine appellat. rescind. L. 2. C. quando provoc. non necess. At sententia contra jus in hypothesi lata per rem judicatam pro veritate juridica habetur, quia ob dubiam facti ad jus applicationem ad judicem est itum, cujus decisio nisi terminandi faculta- *juri conformis.*

tem haberet, & pro veritate acciperetur, nullum lites exitum sortirentur. L. 4. C. de re judic. L. 25. Dig. de Stat. hom.

§. CCCXLVI.

nec Princeps contra jus. Summo quidem Principi tribuunt nonnulli potestatem sententias contra jus, pro eo ac ipsi æquum videtur, ferendi, indeque ulterius inferunt, ipsum Principem in judicando ad processum judiciarium hactenus receptum haud teneri, & e. c. contra fatalium lapsum pro lubitu posse restituere. Atenimvero jus naturale & divinum præceptivum & prohibitivum Princeps mutare nequit, nec proinde contra illud in sententiis ferendis aliam sibi æquitatem fingere, ipsi est integrum. Circa ea, quæ juris naturæ permissivi sunt, gaudet quidem facultate ferendi leges in posterum valituras. At jus subdito ex lege utut civili, jam dum quæsitum auferre ipsi nequit, quod si per sententiam forte facit, subditus quidem resistere non debet, ipse tamen Princeps nihilominus injuste agit. Hinc in processu Princeps ea, quæ eidem sunt essentialia, e. c. citationem, responsionem, probationem non sine injustitia omittit*. Jure positivo autem introducta, quorsum certæ solennitates, item fatalia pertinent, abrogare in futurum tum universim, tum in singulis causis potest, adeoque & singulas causas quoad modum procedendi & fatalia abbreviare. In meritis autem causæ jus subdito ex lege civili, & fatalium lapsu jam dum quæsitum auferre nequit. Unde cum quis ex oscitantia terminum probatorium neglexisset, ac postea a Principe ex gratia restitutus esset, tamen in judicio provinciali Lipsiensi 1694. illa restitutione non attentâ, fuit pronuntiatum, probationem pro deserta esse habendam.

* Caute igitur accipiendæ clausulæ, quæ deprehenduntur in Bulla Papali de 1668. qua Inquisitori generali datur potestas dirimendi matrimonium Alphonsi Lusitaniæ Regis cum Maria Francisca Elisabetha Sabauda, & concedendi Mariæ alias nuptias cum Petro Alphonsi fratre. Refert easdem *Relation de la Cour de Portugal* c. 3. his verbis: Par la bulle les Commissaires ont pouvoir & ordre de casser, dissoudre & annuller le Mariage d'Alfonse, meme sans son consentement, ou au cas, que le dit mariage paroisse ou *soit trouvé avoir eté valide:* & de donner dispense

penſe pour le ſecond mariage non obſtant l'empechement de *publicæ honeſtatis* d'honneteté publique, ou quelque autre empechement que ce ſoit, qui pourroit s'elever ou paroitre : decretant qu'encore que le Roi Alfonſe ou d'autres perſonnes intereſſées n'euſſent ni donné leur conſentement, ni *eté citéz*, *ni ouis*, & que les cauſes pour les quelles ces lettres avoient eté accordées ne fuſſent ſuffiſament ni *prouvées ni juſtifiées*, que non obſtant tout cela les dites lettres & les choſes, qui y ſont contenues ne ſeront jamais miſes en queſtion, retractées ou violées pour quelque legitime cauſe, ni pour quelque defaut que ce ſoit, quelque grand & eſſentiel qu'il puiſſe etre &c.

§. CCCXLVII.

Nec diſſentientes adeo multum juvabit ſalutis publicæ prætextus*, ob quam ſententias contra jus pronuntiare Principi integrum putant, illas eo referentes, quæ ex plenitudine poteſtatis feruntur, vulgo Macht-Sprüche dictas. Vid. *Böhmer.* Jus publ. Univ. part. ſpec. L. 2. c. 7. §. 22. Certe intra limites & caſus dominii eminentis, qui rariſſimi exiſtunt, hæc omnia coarctanda. Alias auſim aſſerere, nunquam ſalutem publicam aliasve circumſtantias efflagitare, ut ſententia contra jus feratur. Sane, quæ ſaltem ad abbreviandum proceſſum tendit, non contra jus lata dici poteſt, cum ipſe hic juſſus jus faciat. Quod vero in cauſis plane dubiis, ubi in utramque partem vel nullæ, vel æquales conjecturæ ſuppetunt, vel ad tranſigendum partes coguntur, vel ei, qui alterum conjecturis, utut leviſſimis vincit, victoria addicitur, vel denique ſtratagemate, bonoque dolo ejusmodi conjecturæ vel probationes eliciuntur, id omne ad poteſtatis plenitudinem, aut ſententias contra jus latas referri haud debet, cum a quovis inferiore etiam judice talia peragi poſſint. *ex poteſtatis plenitudine.*

* In Germania olim, quoties executio difficilis, vel motus inde metuendi videbantur, ſententiæ in judicio Aulico conceptæ in ſecretiori Imperatoris conſilio examinabantur, & quandoque ſupprimebantur. Quod tamen ne in poſterum fiat, cautum Capitul. Leopold. art. 42. & Carol. VI. art. 16. n. 8.

§. CCCXLVIII.

Sententias potest ferre.

Frustra igitur *Böhmerus* l. c. sententiis contra leges ex potestatis plenitudine latis annumerat judicium Salomonis 1 Reg. 3. de matre ex materno affectu dignoscenda, & illud Galbæ apud *Sueton.* c. 7. quo aliis argumentis deficientibus, jumentum ejus esse jussit, ad quem de proprietate litigantium sponte se a potu recepisset, nec non illud Rudolphi Habspurgici Imp. apud *Lehman.* Chron. Spir. L. 5. c. 109. quo Norібergæ hospitem, qui pecuniam a mercatore depositam negabat, fraudis convicit, missis ad uxorem hospitis nuntiis, qui ostenso mariti pileo in signum tradendæ pecuniæ depositæ illam afferrent. Cuivis inferiori etiam judici ejusmodi sententias ferendi facultatem putarem integram.

§. CCCXLIX.

multo minus judex in favorem Principis.

Quodsi ne ipse quidem Princeps sententiam contra jus, multo minus judex eam, Principe jubente, vel in Principis favorem ferre valebit. Injustam judicum, a Jesabele in Ahabi favorem contra Nabothum instructorum, procedendi rationem, & insecutam Numinis iram vid. 1 Reg. XXI. Si vero judex legem sibi propositam vel consuetudinem receptam injustam reputat (exemplum vid. Tit. XI. §. 326. referre dubium suum ad Principem debet, eoque haud remoto, officium citius deponet, quam sententiam vel contra legem, vel contra conscientiam feret. Ad legislatoris enim non ad judicis officium spectat, in legis vel consuetudinis justitiam inquirere. Aliter se res habet cum præjudiciis, sive rerum judicatarum exemplis, quæ normam judicandi tam diu præbent, quam, erratum in iisdem ab antecessoribus haud fuisse, apparet. At errorem si deprehendit judex, a pristinis ejusmodi antecessorum suorum præjudiciis propria autoritate eodem jure recedit, quo antecessores in causa dubia suum secuti sunt sensum. Quo posito facile intelligitur, præjudicia Cameræ Imperialis Statibus judicandi normam haud præbere. Conf. *Titius* Specim. Jur. publ. p. 715. Si denique causæ justitia adeo anceps existeret, ut neutra pars alteram conjectura probabili vincat, casus foret pro amico, ubi judex, cui voluerit, salva conscientia favere posset. Sed de existentia ejusmodi casuum merito dubitatur, quos proinde casus pro diabolo potius vocandos censet *Antonius*

tonius Tessaurus Decis. 206. n. 13. quia nihil aliud, quam summæ injustitiæ pallium esse solent, juxta illud Prophetæ: Princeps postulat, & judex in reddendo est, propter redditionem Mich. VII. 3.

§. CCCL.

Neque juri tantum sed & libello sententiam esse debere conformem, vulgo docetur. Ubi non præcise actoris petito per omnia esse annuendum facile intelligitur, cum illud exorbitans & injustum satis sæpenumero deprehendatur. Id saltem sibi volunt, non ultra actoris petita judici esse pronuntiandum. Sed neque id simpliciter admittendum. Sic ubi libellus ad possessorium saltem est directus, justitia autem petitorii ex actis simul liquida & manifesta apparet, nil obstare videtur, quo minus & super petitorio pronuntietur, utut rarus omnino sit casus, ubi possessorio instituto super petitorio quoque pronuntiari possit, cum exceptiones alteri competentes latere omnino possint. Mallem interim regulam ita efferri, ut sententia sit actis partiumque allegationibus & probationibus conformis. conf. Tit. 9. §. 249. fin. Ubi tamen iterum mentem magis respici, quam verba litigantium captari velim. Sic in casu proposito, qui in possessorio saltem se tueri cupit, multo magis in petitorio, si ejus justitia apparet, vincere gestit. Item si reus præscriptionis exceptionem opponit, ex actis vero apparet, præscriptionem quidem completam non esse, ab altera vero parte derelictionem intervenisse, quid quæso obstabit, quo minus exceptionem derelictionis suppleat judex, cum tacita & præsumta rei voluntas ad hoc sufficiat. Quare judex qui reum tunc ob factam actoris derelictionem absolvit, ceu fecerunt JCti Helmstadienses 1718. certe sententiam fert actis partiumque allegationibus conformem, utut derelictionis exceptio diserte opposita haud sit.

Quatenus libello sententia debeat esse conformis

§. CCCLI.

Quodsi igitur actor nihil, aut reus peremtorias exceptiones plene probavit, absolutoria fertur sententia, daß Bekl. von der Klage zu entbinden. Sin probatio minus plene peracta, pro re nata juramentum nunc suppletorium, nunc purgatorium injungitur, de quo Tit. XI. §. 325. Si denique

Ejus contenta

actor plene probavit, aut reus confeſſione ſua eum a probandi onere liberavit, vel in exceptionibus probandis defecit, condemnatoria fertur ſententia, & quidem expenſis vel compenſatis *, (ſi nimirum probabiles adfuere litigandi cauſæ, aut juramentum præſtitum, vel purgatorium, vel ſuppletorium, vel a parte delatum, imo & relatum, quia ibi quoque tacita transactio ſubeſt) vel victum ſimul in omnes expenſas neceſſarias condemnando, ſi nimirum temere litigavit, h. e. nullam habuit probabilem litigandi cauſam **. Ipſe etiam victor in expenſas poteſt condemnari, ſi ipſius ſolius culpa intervenit, e. c. contumacia, item in matrimonialibus, ſi quis ob metum infauſti matrimonii a ſponſalitia ſua promiſſione abſolvitur, aut a ſponſalibus clam citra parentum, quos ſuperſtites negavit, conſenſum celebratis.

* Quod & tacite fieri poteſt, nullam earum mentionem injiciendo.

** An & ſi amicabilem compoſitionem a parte adverſa admiſſam recuſavit? Legem ita ferri poſſe non dubito. Citra eam rectius compenſabuntur expenſæ. Nemo enim invitus ad aliquid remittendum facile cogitur.

§. CCCLII.

Tempus intra quod ferenda?

Tempus, intra quod ſententia eſt ferenda, regulariter judicis arbitrio permittitur. Ne tamen judices nimias in ſententiis ferendis moras nectant, paſſim legibus tempus certum, intra quod lites finiri, & ſententiæ ferri debeant præfinitur. Apud Romanos antiquis temporibus ante ſolem occaſum ad ſententiam dicendam veniebatur, niſi judex cauſam non intellexiſſet, tunc enim jurabat, ſibi non liquere Vid. *A. Gell.* Noct. Attic. L. 14. c. 2. Poſtea in L. 13. C. de judic. & L. 3. C. ut intra cert. temp. cautum, ut intra triennium proceſſus ordinarius finiretur, in criminalibus intra biennium, in fiſcalibus intra ſex menſes L. ult. C. de jur. fiſc. Acceſſerunt vero diverſa tempora appellationum, quæ ſola tantum tempus requirunt tot. tit. Cod. de diverſ. tempor. appellat * Sed cum diverſa diverſarum cauſarum ratio diverſum quoque tempus requirat, judicis arbitrio multum omnino hic relinquendum, & experientia ſatis docet, quam impoſſibile ſit, tempus lege litibus præfixum obſervare. Negari interim nequit, judicum

dicum culpa multas ſæpenumero lites protrahi, quippe quorum ſportularum intuitu intereſt, differre ſententias definitivas, interloqui ſæpius, & multiplicare inſtantias, juxta illud *Bruyerii* in libro quem inſcripſit: Characteres ou mœurs de ce Siecle: le devoir des juges eſt de rendre la juſtice, leur metier de la differer. Quelques uns ſçavent leur devoir, & font leur metier. Ne igitur ſportularum gaudiis deploranda reddatur proceſſuum facies & diuturnitas, hunc morarum fontem occludere expediret, quod fieri forte poſſet, ſportulis abrogatis, de fixo ſalario judicibus proſpiciendo, aut ſi hoc nimis difficile, jubendo ut ſportulæ per totem litem collectæ illi ſoli judici cedant, qui tempore litis finitæ officio præeſt. Nimis violentum ac parum proinde conſultum videtur medium, quod placuit Anglis Belgisque in pacificatione de 28. Apr. 1654. art. 28. quo conventum, ut arbitri, litibus quibusdam dijudicandis ab utraque gente electi, ſi non intra certum tempus eas definiverint, conclavi includantur ab omni hominum conſortio ſegregati, ibique ſine lumine, ſine cibo potuque, aut apparatu alio agant, donec lites commiſſas ſua ſententia terminarint.

* Hinc rogatus *Contardus* in L. un. C. de Moment. poſſeſſ. Opp. 3. n. 6. cur abolitum ſit triennium inſtantiarum? hujus rei rationem in eo quæſivit, quod jure Canonico a quolibet gravamine appelletur. Et *Rebuffus* in Rubr. de frivol. appell. caſum recenſet, quo Procurator in cauſa, 60. Solidos concernente ſeptuagies & ultra appellavit, ac *Vultejus* Vol. 3. Conſ. Marp. XXX. n. 41. alium in quo anni 75. præterierunt donec ad litis conteſtationem deventum. Male autem juri Canonico imputatur quaſi per cap. Venerabilis X. de judic. illud inſtantiarum tempus ſit abrogatum. Loquitur enim ille textus de ſubterfugiis tantum & dolo adverſarii ad ſenſum Legis 18, §. 4. de dol. Et Concilium Tridentinum Seſſ. XXIV. c. 20. expreſſe ſtatuit, quod cauſæ ad forum eccleſiaſticum in prima inſtantia delatæ intra biennium terminari debeant. Conf. *Lyncker* de Gravam. Extrajud. cap. 7. part. 2. §. 21.

§. CCCLIII.

Lata a judice ſententia partibus neceſſario eſt publicanda, h. e. ad ip- *Sententiæ* ſarum *publicatio*

ſarum notitiam perferenda. Quare contra mortuum facta publicatio eſt nulla etiam ſi mortem judex ignoraverit L. 59. §. 5. de re jud. L. 2. pr. quæ ſent. ſine appellatione it. contra minorem curatore deſtitutum. L. 45. §. 2. de re jud. Quibus vero ſolennitatibus id fieri debeat, a cujusque judicii ordinatione & conſuetudine pendet, e. c. num fieri debeat in termino partibus ad id præfixo, quod in Saxonia, an partibus non citatis, quod in Camera Imperiali receptum, item an publicatio præciſe in loco judicii L. 59. Dig. de judic. cap. ult. de ſentent. & re judic. in 6. judice pro tribunali ſedente, & quidem ex ſcriptura peragenda L. 3. C. de ſententiis ex periculo (ſeu ut alii legunt, breviculo) recitandis, an ſportulæ ante publicationem ſint ſolvendæ L. 15. C. de judic. it. an, ſi utraque pars rite citata emanet, publicationis terminus pro circumducto haberi, an publicatio nihiloſecius in contumaciam peragi debeat? Poſterius fit in Saxonia, contrarium alibi.

§. CCCLIV.

declaratio Dubium ſi circa ſententiam ſuboritur, ejus declaratio vid. Tit. 13. §. 366. a judice, qui illam tulit, quamdiu ipſius judicandi officium durat, peti poteſt. Poſtea vero, quam ipſius officium expiravit, fruſtranea erit petita ab eo declaratio. Sic judicis delegati officium expirat, ſimulac ſententiam tulit. Quare declaratio ſententiæ tunc a delegante petenda. Pariter in Camera declaratio, a reviſoribus ſententiarum Cameralium poſt reviſionem finitam facta, non admittitur. Cujus rei memorabile exemplum accidit 1587. in cauſa BB. contra NN. Prætendebant BB. territorium circa civitatem NN. cum jurisdictione ſuperiore, inſtitutoque deſuper poſſeſſorio a Camera Imperiali 18. Sept. 1583. per ſententiam ipſis jurisdictio ſuperior adjudicabatur, datis d. 15. Nov. ej. an. executorialibus. Civitate d. 27. Nov. 1583. reviſionem petente, reviſores d. 3. Jul. 1587. tulerunt ſententiam prioris confirmatoriam ſine omni reſervatione, imperata ſimul civitati cautione. Poſtridie nonnulli ex reviſoribus poſtea quam ſententia jam erat publicata, ipſorumque officium expiraverat, Cameralibus obtrudere volebant ſchedulam, qua civitati extraordinaria jurisdictio vel commiſſio de perſequendis facinoroſis reſervabatur. At noluerunt illam accipere Camerales, & d. 10. Sept. 1591. præſtita a civitate cautio imperata, inſtituto poſtmodum petitorio.

§. CCCLV.

§. CCCLV.

Effectus sententiæ publicatæ est litis decisio, ita ut regulariter acquiescere in eadem, eidemque obtemperare partes simpliciter debeant. Hunc enim in finem, & ut controversia terminetur ad judicem a partibus est itum. Ne tamen hac ratione totius causæ eventus unicæ sententiæ committatur, leges civiles rem judicatam, ein rechtskräfftig Urthel, non aliter adesse edicunt, quam si partes vel sententiam latam agnoscunt, (quod tum expresse fieri potest tum tacite solutionis dilationem petendo L. 5. C. de re judic. aut intra decendium remedium nullum interponendo Nov. 23. c. 1.) vel in petita sententiæ revisione, (alibi leuterationem vocant,) aut (si a judice subordinato sententia est lata) in appellatione interposita prior sententia est confirmata. *effectus*

TITULUS XIII.

DE

Remediis contra sententiam.

* * *

Per appellationem, revisionem, supplicationem & leuterationem a viribus rei judicatæ suspendere sententiam, civilia instituta sinunt. Ipsa quoque res judicata per nullitatis querelam impugnatur, gravibusque ex causis contra eam in integrum restitutio conceditur. Ceterum res judicata solos litigantes, non autem

ipsum judicem, multoque minus Principem extraneum obligat.

§. CCCLVI.

Remedia suspensiva

Ne in rem judicatam transeat sententia, opus est, ut a viribus rei judicatæ suspendatur per remedium quoddam, lege vel consuetudine probatum *, atque ab eo, qui per sententiam se gravatum ** intelligit, interpositum. Si judicem superiorem adeundi datur facultas, facta ad eum provocatio ad gravamen removendum *appellatio* vocatur. Sin ab eodem, qui priorem tulit sententiam, judice gravaminis remotio petitur, in judicio Imperatoris aulico *Supplicatio*, in Camerali *Revisio* *** *actorum*, in Saxonia *Leuteratio* vocatur, quæ tria sono, non autem effectu differunt. Appellatio suapte sua natura ad superiorem fieri debet, Vid. Tit. 2. §. 38. quem, cum summi Principes inter mortales haud agnoscant, sponte patet, nec ab iis appellari posse. Quæ enim prostant exempla appellationum a Cæsare vel Rege male informato ad melius informandum, abusive saltem appellationum nomine veniunt, & ad revisionem sententiæ ab eodem judice peragendam pertinent.

* Tale non est nuda contra sententiam protestatio, (nisi expresse addatur, per eam suspendi sententiam a viribus rei judicatæ debere) nec petitio declarationis, si forte sententia est ambigua. Illa igitur etiam post decendium potest peti, utut consultius intra decendium interposita eventuali appellatione petatur.

** Contumax, de cujus vera contumacia satis constat, gravatum se dicere nequit, nec proinde appellare aut leuterare sinitur.

*** In sensu generaliori etiam revisio de supplicatione, in judicio Aulico recepta, prædicatur Capitul. Leopold. art. 42. At in sensu specialiori a se invicem distinguuntur Ord. Cam. part. 3. art. 51.

§. CCCLVII.

§. CCCLVII.

Quod vero ſummi etiam Reges ac Principes coram ſupremo ſummi Numinis tribunali ſicut aliarum rerum, ita & ſententiarum a ſe latarum rationem reddere tenentur, hocque nomine ad ſupremi in cœlo judicis tribunal, ſeu ad Vallem Joſaphat, ut vocant ex Joël cap. 3. verſ. 7. provocatio datur, ad forum temporale, quod noſtræ conſiderationis eſt, haud pertinet. Peculiaribus ſcriptis in juſtitiam provocationis ſeu appellationis ad vallem Joſaphat inquiſiverunt *Heringius*, *Jo. Andr. Quenſtadius*, *Jo. Erneſt. Gerhardus*, *Adamus Cortrejus*, *Chriſtianus Heroldus*, *Jo. Ludov. Hannemannus*, & noviſſime *Chriſt. Frid. Faber* Paſtor Stutgardienſis. Omiſſis aliorum opinionibus mihi de eadem hæc hæret ſententia. Sumit quidem juſtiſſimum Numen vindictam ab eo, qui in proximum extitit injurius, ab eoque veniam & remiſſionem haud impetravit. Quare facta ad divinum tribunal citatio tremendo quidem exitu haud deſtituitur. Interim cum quilibet multifariam quotidie peccet, nemini autem peccata aliter a Deo remittantur, quam ſi viciſſim proximo ſuo remittat, ejusmodi ad divinum tribunal citationes Chriſtianos haud decent, & cum æterna provocati pariter ac provocantis damnatione videntur conjunctæ.

Appellatio ad vallum Joſaphat

§. CCCLVIII.

Ad exempla hujus appellationis pertinet, quod de Ferdinando IV. Hiſpaniæ Rege refertur, eum a duobus Equitibus, quos ex falſa delatione & invidia, tanquam perduellionis reos, condemnaverat, & ex altiſſima turri præcipites dari juſſerat, ad tribunal Dei citatum, utque die triceſimo compareret juſſum, eodem, cum dormire crederetur, obiiſſe. Sic & de Templario quodam Neapolitano perhibetur, quod Burdigalæ ad ignem condemnatus, Pontificem Clementem & Regem Galliæ Philippum Pulchrum ita allocutus ſit: Sæviſſime Clemens tyranne, poſtquam mihi inter mortales nullus jam ſupereſt, ad quem appellare queam pro gravi morte, qua me per injuriam afficis, ad juſtum judicem Chriſtum appello, ante cujus tribunal te voco una cum Philippo Rege, ut ante eum intra annum & diem compareatis ambo, ubi cauſam meam exponam, & jus ſine pravo affectu adminiſtrabitur. Intra quod tempus & Clemens & Philippus inte-

ejusque exempla

rüt. Charlotta Caſſellana, Carolo Ludovico Electori Palatino nupta, videns Degenfeldiam ſibi ab Electore ſuperinduci 1657. inter alia hæc ad Electorem ſcribit, J'en appelle au tribunal de Dieu, qui etant l'auteur du Mariage, vangera le tort, que Vous faites au notre.

§. CCCLIX.

Appellatio ad Pontifices

Rerum ſacrarum antiſtites ſub prætextu jurisdictionis Eccleſiaſticæ, quam ſibi in ſingula Eccleſiæ membra, ne ipſo ſummo Principe excepto, arrogant, jus appellationes recipiendi ſibi quidem paſſim vindicarunt. Non modo apud Turcas Sacerdotum Princeps, ſive Muffti, decreto miſſo Sultano Ibrahim mandavit, ut coram Char-Alla ſive juſtit'a DEI compareret, negantique denuntiavit, ſubditos juramento fidelitatis eſſe ſolutos. Vid. *Furſtener.* de Suprematu c. XI. Sed & inter Chriſtianos Romanus Pontifex appellationes ſicut ex aliis regnis, ita & Germanico ſæpius recepit, Conf. Clem. Paſtoralis de Sent. & re jud. Extrav. Jo. XXII. Si fratrum &c. quod cum primitus ſaltem in cauſis Eccleſiaſticis fieret, tandem ad civiles quoque ſub obtentu denuntiationis Evangelicæ eſt extenſum, vi cujus ob cauſam peccati, circa cauſam civilem vel commiſſi adeoque tollendi, vel committendi adeoque præcavendi, Nuntius Papalis quibusvis cauſis ſe immiſcet. At oſtenderunt dudum alii ex ſolidiſſimis Jurispublici univerſalis principiis, Eccleſiam, ſive ſocietatem ſacri cultus cauſa unitam, generali illi ſocietati civili ſeu Reipublicæ eſſe ſubordinatam, adeoque in iis etiam cauſis, quarum directio rerum ſacrarum antiſtitibus eſt commiſſa, appellationem ad caput Reipublicæ, non autem a capite Reipublicæ ad ſummum ſacerdotem appellationem eſſe dirigendam. Quam obrem tum in Rec. Imp. 1654. § 164. tum in Capitul. Caroli VI. art. 14. n.4. ejusmodi appellationes & recurſus ad Pontificem ſevere prohibentur, contrariisque Paparum, Nuntiorumque Papalium attentatis Imperatores ſtrenue reſtiterunt. Fidem faciunt exempla, quæ transferre huc lubet ex *Struvii* potiſſimum Syntagmate Jur. publ. c. 26. §. 30.

§. CCCLX.

ab Impe-

Jam dum Conradus Rex Trajectenſes, quod a ſe ad Pontificem provocaſ-

vocassent, majestatis reos declaravit teste *Ottone Frisingensi.* Fridericus III. Episcopo Halberstadiensi, cum a sententia Cæsarea ad Pontificem appellasset 1476. injunxit sub pœna privationis Regalium & privilegiorum, ut intra 15 dies ab appellatione desistat apud *Goldast.* Reichs-Satzungen Tom. 1. p. 179. Cum 1677. Nuntius Papalis Coloniæ Gerhardum Rensingium, in causa debiti ab Officiali ad Camerale judicium appellantem, banno notaret, mascule se opposuit Leopoldus Imperator. Idem factum, cum Innocentius XI. 1686. juberet, ut in posterum ab Electore Coloniensi non ad judicia Imperii, sed nuntium Papalem appellaretur. Anno 1698. Camera Imperialis se opposuit sententiæ, per quendam Auditorem Rotæ Aloysium Priolum pronuntiatæ, in causa Mottet & Walther Counotte, & contra dictum Counotte declarationem in bannum publicavit ob contumaciam, qua renuntiare detrectabat recursui ad Curiam Romanam in actione civili sumto. Cum Capitulum Thorense in causa feudali contra Abbatissam suam ad Nuntium Papalem appellaret, Abbatissa desuper in Comitiis fuit conquesta atque obtinuit, ut per Conclusum trium Collegiorum Imperator imploraretur de annullanda hac nuntii affectata potestate. Eadem ratione Josephus Imperator contradixit acerrime dum Clemens XI. Papa in causa præcedentiæ inter Petershusanum Abbatem & Creuzlingensem judicium suscipere conaretur. Sic & in judicio Aulico cassata est sententia Romana 3. Dec. 1708. in causa Amersbeck & Schreiber & d. 16. Maj. 1708. in causa Gras contra Werneking.

ratoribus improbata.

§. CCCLXI.

Quid de appellationibus ab Imperatorum sententiis ad Palatinum sentiendum sit, dixi Tit. 3. §. 58. sicut & de recursu ab Imperatore, summisque Imperii tribunalibus ad Comitia jam dum quædam monui Tit. 4. §. 108. Hoc loco addendum, recursui ad Comitia tum demum esse locum, si commune gravamen subest e. c. si status non ut singuli, sed in Corpore Catholicorum, Evangelicorum &c. considerantur. Erroneum eorum est principium, qui solas causas, publici status administrationem concernentes, Staats-Sachen, objectum Comitiale constituunt. Etiam ex causis justitiæ Justiz-Sachen gravamen commune potest oriri. Si autem res ad Cæsaris reservata spectat, recursus ad Comitia haud datur, quo-

Recursus ad Comitia.

niam alias reſervata reſervatorum naturam amitterent, & cum Statibus communicarentur. Quodſi ſuper dubia legis interpretatione declaratio authentica eſt neceſſaria, non tam partibus litigantibus recurſus eſt concedendus, ſed ipſum judicium Camerale vel Aulicum illam a Comitiis deſiderabit. Neque tamen cuncta, quæ partes afferunt, maximamque partem fingunt, dubia vere talia ſunt, ſed ab ipſis judiciis poſſunt removeri. Conf. *Ludolf.* de jure Cameral. Append. 3. ubi & inſeruit *Chriſt. Valent. Happelii* diſſertationem de Recurſu ad Cæſaream Majeſtatem vel ad Comitia univerſalia Erfurti 1702. habitam, quæ tamen recurſum ad Comitia ab illo qui ad Cæſarem fit, non ſatis diſtinguit.

§. CCCLXII.

Appellatio a Statibus ad Imperatorem.

A Statibus Imperii eorumque judiciis jam dum antiquis temporibus appellationes ad Imperatorem fuiſſe in uſu, monuimus Tit. 5. §. 150. Hodie ejusmodi appellationes a Statibus ad ſumma Imperii tribunalia, ſi gravamen 400 thl. Capital. excedit. vid R.I. 1654. §. 112. † per publicas leges extra dubium ſunt poſitæ, nec impediri aut reſtringi (1) ſaltem a ſtatibus per leges provinciales poterunt, quia id ipſum ad mutandam Imperii formam tenderet. Nonnulli tamen Status vi privilegiorum (2), ab Imperatore conceſſorum, jure de non appellando gaudent, vel abſoluto (3) vel reſtricto, nunc ad certam ſummam (4), nunc ad ſententiæ (5), aut objecti (6) qualitatem, nunc denique ſub modo obſervandorum ſolennium (7), quibus non præſtitis juxta privilegii tenorem appellatio vel non admittitur, vel in dubio partis periculo admiſſa, ſi opponatur exceptio, pronuntiatur deſerta. Conf. Rec. Imp. 1654. §. 115. Capitul. Carol. VI. art. 18. n. 4. Catalogum privilegiorum de non appellando ſiſtit *Ludolf.* de Jur. Cameral. Append. 5. p. 173. 196. ſqq. Electoribus jus de non appellando illimitatum tribuitur Aurea Bulla tit. XI. §. 3. Trevirenſis tamen & Colonienſis eodem quondam non uſi, ut ſumtibus, quos judicium reviſorium requireret, parcant.

† Si litis objectum ſummam appellabilem haud attingit, loco appellationis conceditur transmiſſio actorum ad impartiales R. I. N. §. 113.

(1) e.

(1) e. c. jubendo, ut appellans pecuniam certam, in casu succumbentiæ amittendam, prius deponat. In Episcopatu Monasteriensi libera appellatio relinquitur a Curia provinciali vel ad Cameram Imperialem, vel ad territorii dominum, ea tamen lege, ut territorii domino electo, ulteriori ad Cameram appellationi renuntietur. Cum appellationi pro se renuntiare quilibet possit, is qui territorii dominum eligit, quidem obligabitur, salva adversæ parti appellatione. Vid. *Ludolf.* de Jur Camer. p. 178. In der Wolffenbüttelschen Hofgerichts-Ordnung tit. 69. §. Und sollen solche ꝛc. is, qui supplicationis remedio in causa appellabili utitur, potestati appellandi tacite renuntiare dicitur. Sed neglecta hac lege, appellationes quoque eorum, qui supplicaverant recipi testatur *Leyser.* de feudis Brunsuicensibus in Additionibus §. 17. hanc suppeditans cautelam, ut a supplicante expressa appellationis renuntiatio exigatur.

(2) Privilegia hæc mere personalia non sunt, sed simul ad territorium restricta. Sic Electoribus intuitu ditionum Electoralium iisque incorporatarum illud competit, non autem intuitu aliarum, quas possident, & quarum intuitu separata privilegia impetranda ipsis sunt.

(3) Casus tamen denegatæ justitiæ semper excipitur.

(4) Duces Brunsuicenses, Megapolitani ad 2000 fl. Landgravii Cassellani & Principes Schwarzburgici ad 1000 fl. Marchiones Brandeburgici ad 800 fl. privilegia de non appellando habent.

(5) Hanovici, item Reussii Comites, nec non civitas Hamburgensis in interlocutoriis.

(6) In Frevel, Schmach-Sachen Lämbd, und fliessenden Wunden betreffend jus de non appellando habent Marchiones Brandeburgici ex privilegio Caroli V. de 1541. Duces Brunsuicenses

ſes in debitis liquidis & confeſſatis, ac cauſis injuriarum ex privil. Ferdinandi III. Juliacenſes in poſſeſſoriis cauſis.

(7) In Landgraviatu Caſſellano in cauſis appellabilibus calumniæ juramentum intra 30. dies a die ſententiæ latæ una cum cautione præſtandum. Simile quid Francofurti obtinet.

§. CCCLXIII.

a mandatariis jurisdictionis ad mandantem.

A mandatario jurisdictionis e. c. Gerichtsverwalter ad mandantem den Gerichts-Herrn non appellatur, quia utriuſque eadem eſt jurisdictio, & hi duo habentur pro uno, appellatio autem ad ſuperiorem fieri debet conf. L. 1. §. 1. Dig. quis. & a quo appelletur. Secus tamen ſe res habet cum Commiſſariis Principis, a quibus ad Principem mandantem recte appellatur. Sic a Commiſſariis Cæſareis ad judicium Aulicum appellatur, ad Cameram non item. Vid. *Ludolf.* de Jure Cameral. Append. V. p. 240. Add. dicta Tit. 5. §. 120.

§. CCCLXIV.

ab arbitri laudo.

Ab arbitri laudo ad reductionem ad boni viri i. e. judicis arbitrium ob enormiſſimam læſionem recte provocari, ſed cum ejusmodi provocatio non præciſe ad ſuperiorem, ſed ad ordinarium judicem fiat, abuſive eam appellationis nomine venire ex Rec. Imp. 1594. §. 67. obſervavimus Tit. 1. §. 29. Exemplum reformati per ſententiam Cameralem de 13. Decembr. 1664. laudi in cauſa Comitum Solmenſium meminerunt *Lyncker* diſſ. de laudi vitiis Aphor. 26. & *Ludolf.* de Jur. Cameral. p. 383. Reductionem a ſententia *arbitratoris* intra 30 annos fieri poſſe, ad appellationem a laudo *arbitri* intra decendium interponi debere monui cit. Tit. 1. §. 29.

§. CCCLXV.

quando appellare liceat?

Appellare regulariter quivis poteſt, qui judicis facto * ſe gravatum ſentit. Neque enim ſolum a ſententia, ſive definitiva ſit, ſive inter-

interlocutoria ** L. 2. Dig. de appellationib. recipiend. L. 5. §. 1. Dig. de appell. ſed & alio judiciali pariter ac extrajudiciali judicis facto appellatio admittitur e. c. ab injuſta incarceratione, mulcta irrogata aut ſi proceſſus ab executione incipitur. Neque ſolum in petitorio, ſed & in poſſeſſorio ordinario appellatio admittitur. Nec cauſæ cambiales appellationem ſimpliciter reſpuunt, dummodo gravamen haud contineat probationes altioris indaginis, plerumque tamen reſcribitur, man ſolle ſich kein appelliren irren laſſen. Ab executione, utpote quæ in ſe ſpectata juſtum gravamen non alit, appellatio non admittitur, bene tamen ab exceſſu executionis *** cap. 15. X. de ſent. & re judic. In cauſis capitalibus cum ſententia nunquam tranſeat in rem judicatam, ſed ſemper integra ſit defenſio, nec appellatio aut aliud remedium ſuſpenſivum, imo in ſummis Germaniæ tribunalibus nec *devolutivum* **** admittitur. Conf. Tit. 4. §. 86. & 105. & L. 2. C quorum appell. non recip. Poſſeſſorium ſummariſſimum cum a ſpeciali legislatione formam accipiat, per illam determinandum, num in eodem appellatio debeat admitti nec ne? quod poſterius omnino videtur conſultius. Nimiæ enim ab appellatione orirentur moræ, quæ ab indole hujus proceſſus ſunt alienæ. Gravamen vero, ſi quod forte ſubeſt, in poſſeſſorio ordinario vel petitorio adhuc urgeri poterit. Unde & Jus civile talem appellationem reſpuit L. un. C. ſi de moment. poſſeſſ. Jus Canonicum vero admittit cap. 10. & 15. X. de reſtitut. ſpoliator. Denique ſi appellationi aliive remedio ſuſpenſivo per pacta renuntiatum, iisdem ſine dubio ſtandum erit, etiamſi damnum ex gravamine oriundum ſit enormiſſimum. Conf. L. ult. §. ult. C. de tempor. & repar. appell. junct. L. 29. C. de pact. L. 12. §. 1. C. de reb. credit. Judici tamen ſuperiori ſuum intereſſe urgere, integrum manet. Conf. Tit. 4. §. 104. Hinc Innocentius III. Papa in literis ad Petrum II. Arragoniæ Regem 1213. datis ſcribit: licet Regina, quod non opponeret appellationis obſtaculum juramento præſtito promiſiſſet, quia tamen facultas a nobis ſententiam audiendi, ſi mallet, eidem in literis noſtris fuerat reſervata, uti volens beneficio earundem . . . ne quaquam ream eſſe perjurii decernimus, quod cauſam ad nos remitti poſtulavit inſtructam, cum id ſicut eſt expreſſum ſuperius, in noſtris literis ipſi fuiſſet reſervatum. Vid. *Hieron. Surita* Index rerum ab Arragoniæ Regibus geſtarum L. 1.

* Sola ſententia iniqua appellatione indiget, nulla etiam citra appellationem corruit, cautionis tamen ergo etiam a ſententia nulla alternative ſaltem ita appellatur: ſententiam nullam dico, vel ſi qua eſt appello, quo caſu nullitatis & appellationis remedium cumulatur. Conf. L. 1. C. de Appell.

** Namque & ex interlocutoria ſententia gravamen poteſt oriri e. c. quando fidejuſſores idonei declarantur, actorum copia denegatur, exceptio fori incompetentis rejicitur. Quoties igitur interlocutoria ſententia parti in cauſa principali præjudicium affert, merito habetur pro appellabili. At rejicitur appellatio, ſi cauſæ principali nullum per interlocutoriam præjudicium affertur e. c. quando probatio injungitur, interrogatoria pro impertinentibus declarantur, juramentum malitiæ dictatur &c. Conf. L. penult. C. quor. appell. non recip. cap. 62. X. de Appell. Rec. Imp. 1654. §. 58. L. 4. §. 2. L. 5. §. 1. Dig. de Appell.

*** Frequentes in Camera Imperiali propter exceſſus executionis appellationes interponuntur, rariſſime vero recipiuntur, ſed prævia informatione & cauſæ cognitione, quid executoribus agendum, & quomodo gravamen, ſi quod ſubeſt, ſit tollendum per decretum ſignificatur. Vid. *Ludolf.* de Jur. Cameral. p. 401.

**** Alias appellationes in criminalibus non quidem ſuſpenſivum ſed devolutivum effectum habent, ita ut judex a quo, non obſtante appellatione interpoſita, pergat inquirere in delictum, ſalvo reſpectu appellationi debito.

§. CCCLXVI.

Fatale appellationis Modus, quo appellatio perficitur, ſicut ipſa appellatio a lege civili pendet. Plerumque quatuor circa appellationem fatalia obſervari jubentur, adeo ut unico prætermiſſo ipſa appellatio expiret & deſerta habeatur. Tempore

pore justitii tamen fatalium lapsus non nocet. *Primum* fatale est appellationis interponendæ intra decendium a tempore publicatæ sententiæ Nov. 23. c. 1. cap. 15. X. de sentent. & re jud. Si tamen ad publicationem citatio solita non rite est facta decendium demum a tempore cogniti gravaminis currit Authent. hodie C. de Appellat. L. 1. §. 1. Dig. quand. appel. Si tempus interpositæ appellationis haud annotatum, tempestive quidem interposita præsumitur, salva tamen contrarii probatione. Sive autem viva voce, sive in scriptis appellatio interponatur, nihil interest, etiamsi contra definitivam sententiam appelletur. Sed & eventualiter appellari potest, si a metuendo demum gravamine e. c. incompetente judicis facto, aut declaratione sententiæ aliter, quam speratur, forte casura appellatur, quo casu quidem decendium interponendæ appellationis demum a tempore publicatæ declarationis currit, ad resecandas tamen disputationes aliorumque dissensum expedit, statim cum petita declaratione eventualem appellationem interponere. Interponitur appellatio coram judice a quo L. 1. §. 7. 9. & 10. Dig. quando appellandum. Si tamen judicis copia non datur in præsentia bonorum virorum * e. c. Notarii & testium, qui judici, a quo appellatur, eandem insinuant, valide appellatio interponitur cap. 73. X. de appellationib. L. 2. in fin. C. de his qui per metum judicis non appellarunt. Add. Ord. Cam. part. 2. tit. 29. Si appellatio in genere ad superiorem est interposita, plures autem concurrentem jurisdictionem habent, appellans determinat, ad quem apostolos dirigi velit.

interponendæ.

* Rarum casum ex observationibus *Magenhorstianis* refert *Ludolf.* de Jure Cameral. p. 398. quo probatio actus appellationis, viva voce interpositæ, per testes fuit admissa in Camera Imp. contra protocollum judicii prioris instantiæ Salisburgensis, in quo notatum erat, nullam fuisse interpositam appellationem.

§. CCCLXVII.

Alterum appellationis fatale est petendorum Apostolorum, seu libellorum dimissoriorum, qui intra 30 dies a tempore publicatæ sententiæ a judice, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cognituros est, peti debent

petendorum Apostolorum.

debent cap. 6. de Appellationib. in 6. instanter & sæpius L. un. §. 2. Dig. de libellis dimissoriis, quæ verba licet petitionem per intervalla reiterandam innuant, ab hoc tamen rigore Clementin. 2. de Appellationib. & praxis hodierna in tantum recedit, ut uno contextu sæpius & instanter apostolos petere sinat, nec præcise formulam usitatam instanter, instantius, instantissime requirat. Dispesci Apostoli solent in *conventionales*, quos partes dant; *testimoniales*, qui nihil aliud sunt, quam Notarii coram testibus de appellatione interposita instrumentum; *dimissoriales*, quos judex dat, qui appellationi deferendum esse existimat; *restitutorios*, quibus judex revocat gravamen illatum; *reverentiales*, quibus judex inferior testatur, in honorem superioris appellationi esse delatum; & *refutatorios*, quibus judex frivole appellatum esse docet, causam superioris judicis arbitrio relinquens. At conventionales, dimissoriales & restitutorii plane in usu non sunt, testimoniales vero rariores, adeo ut reverentiales & refutatorii saltem frequentari videantur. Illi peti, hi dari plerumque solent. Communicatio tamen refutatoriorum appellanti a judice ad quem cum termino ad eos elidendos non facile denegatur.

§. CCCLXVIII.

introducendæ appellationis.

Tertium fatale est introducendæ appellationis apud judicem superiorem, cujus determinatio jure Civili & Canonico judici inferiori, qui Apostolos dat, relinquitur. L. 2. & 5. C. de tempor. & repar. appell. cap. 4. & 54. X. de Appellat. At in Recessu Imp. 1654. §. 67. sex menses appellationi apud Cameram Imperialem introducendæ tribuuntur, ita ut intra quatuor menses ab interposita appellatione extrahi & insinuari processus debeant, reliqui autem duo menses a tempore insinuatæ appellato citationis præparationi relinquantur. Petit autem appellationem introducens, ut judex superior ad judicem a quo emittat literas tum *inhibitoriales** de abstinendo ab ulteriore causæ cognitione, tum *compulsoriales* de edendis prioris instantiæ actis, tum denique ut terminum ** justificandæ appellationi præfigat. Quo facto judex superior deliberat, num appellationem ad justificationem admittere, an rejicere velit. In Gallia omnes appellationes recipi solent. In supremis Germaniæ tribunalibus non item. Nonnullis in locis, ut Leodii solus Actuarius inconsultis Senatoribus appellationes admittit, teste *Ludolfo* de Jur. Camer. p. 241.

* Qui-

* Quibus non obſtantibus ſi judex inferior in lite cognoſcenda pergit, *attentatum* committit, quo nomine venit omne, quod inferior facit in præjudicium litis, coram ſuperiore judice introductæ. Camera Imperialis, ſi appellatio videtur ex narratis libelli forte non recipienda, literas informatorias a judice a quo petere ſolet, cui decreto pro qualitate circumſtantiarum additur, ne judex ante relationem factam, & donec de voluntate ſuperioris ſit certus, quicquam innovet, quod vocant inhibitionem temporariam. Conf. *Ludolf.* Jur. Cameral. p. 256.

** In qua partes ſaltem citantur, non autem judex a quo, etiamſi uni parti fortiter aſſiſtat.

§. CCCLXIX.

Quartum itaque fatale eſt juſtificandæ appellationis, qua deducitur juſtitia appellationis tum quoad *formalia*, quando vel in genere per relationem ad acta, vel in ſpecie ſingulorum fatalium expreſſionem omnia fatalia ab appellante rite obſervata docentur, tum quoad *materialia* per ſpecificam * gravaminum recenſionem & deductionem, addito petito de reformanda priore ſententia. Tempus huic fatali jure civili annuum, vel ſi juſta cauſa exigit biennium a tempore interpoſitionis præfinitur. Authent. ei qui appellat C. de tempor. & reparat. appell. L. 3. & 5. §. 4. C. eod. Nov. 49. Jure civili etiam eo ipſo dum terminus probatorius peremtorius haud eſt, vid. Tit. 8. §. 13. in appellationis inſtantia nondum deducta deducere licet L. 4. C. de tempor. appellat. modo controverſiæ ſtatus haud mutetur L. 13. C. de Procur. In judicio Aulico & Camerali libellus gravaminum qui appellationem tum quoad formalia, tum quoad materialia rite ſe habere deducit, intra quadrimeſtre ab interpoſita appellatione debet offerri, vel ad eum producendum fatalium prorogatio peti. Poſt obtentos denique & inſinuatos tum judici inferiori, tum parti adverſæ appellationis proceſſus obſervari debet fatale reproductionis, quod eſt bimeſtre ab inſinuatione computandum R. I. 1654. §. 67. *Juſtificanda.*

* Namque in interpoſitione appellationis ſufficit in genere dixiſſe,

ſe gravatum eſſe, aut quædam ſaltem gravamina allegaſſe, nec cuncta exprimere eſt opus L. 3. §. ult. Dig. de appell. & relationib. Sed num in appellationis juſtificatione inter gravaminum recenſionem nova antea non deducta & probata deducere & probare liceat? proponitur. Jus quo utimur ob ſolam quidem novam probationem appellationem haud admittit, ſed reſtitutionem in integrum. Quodſi vero ob aliud gravamen appellatio licita, novæ quoque probationes admittuntur L. 4. C. de temporib. & reparationib. appellationum. Exigit R. I. N. §. 73. ſimul juramentum, quo appellans aſſeverat, ſe in prima inſtantia novæ probationis notitiam non habuiſſe vel ſaltem eam non neceſſariam exiſtimaſſe. Atque ſub hac cautione in appellationis inſtantia teſtes tum novi tum iidem, qui in prima inſtantia jam erant auditi, ſuper iisdem aut contrariis articulis denuo poterunt examinari, ſi nimirum in priori examine jure aliquid deſiderari poſſet. Alias enim poſt atteſtationes publicatas novum examen haud admittitur ob metum ſubornationis Clement. 2. de teſtib. Quæ omnia ſumma nituntur æquitate. Neque me movet *Ludolphus Hugo* in Conſultatione de proceſſu appellationis emendando, quem adeo male habet hæc nova in appellationibus deducendi facultas, ut penitus eam abrogari optet, quippe quæ fini & inſtituto appellationis adverſetur, ac fomentum temeritatis & levamen negligentiæ appellantium præbeat, adeo ut judex a quo, cui nova illa nunquam fuerunt propoſita, fruſtra iniquitatis ab appellante inſimuletur, nec judex ſuperior ſine injuria eloquatur, quod judex a quo male pronunciaverit. Hæc enim omnia ex modo dictis ſatis temperamenti accipiunt, eo quod appellationes ob ſola nova haud admittantur. Ubi vero alia adſunt gravamina, expedit omnino, nova ſimul audiri, ne nimium multiplicentur proceſſus.

§. CCCLXX.

Utilitas fatalium. Si de eo, quid expediat, quidve prudentiæ ſit legislatoriæ quæratur, nec ſpernanda aut abolenda penitus appellationum fatalia videntur, ne appel-

appellationes in infinitum concedendo lites nimium perpetuentur, neque tamen cuncta recensita hactenus fatalia necessaria, sed quodammodo noxia videntur, cum litibus nimium protrahendis ansam præbeant. Sufficere posset, si gravatus intra decendium gravamina sua deducere juberetur, iisque a judice inferiore ad superiorem ex officio statim transmissis, hic terminum præfigeret, quo appellatus pariter contra gravamina adducta audiatur, desuperque si opus est, mutuis positionibus disceptetur. In termino si appellans emanet, appellatio habetur deserta L. 5. C. de tempor. & reparat. appell. Clement. 3. de Appell. sin appellatus h. e. alter litigantium, contra quem appellatum emanet, per Nov. 126. c. 2. extremo fatali die causa deciditur. Sin utraque pars emanet, num terminus pro circumducto, an appellatio pro deserta haberi debeat, itidem a legislatore pendet. Posterius litibus rescindendis magis convenire videtur.

§. CCCLXXI.

Post interpositam appellationem eadem utrique parti communis reputatur L. 39. C. de appell. adeo, ut is, qui intra decendium haud appellavit, alterius tamen appellationi adhærere*, & sua pariter gravamina etiam in justificationis termino demum adjicere possit, dummodo appellatio gravamen commune contineat**, aut contra totam sententiam in genere appellatum. Sed præstat peculiarem interponere appellationem, quia nonnulli adhæsionem intra decendium faciendam existimant. Plane si appellans appellationi ante citationem emissam renuntiat, alter qui adhæsionis beneficio uti decreverat, suo damno experietur, imperiti esse, sumtibus appellationis peculiaris parcere. *adhæsio appellationis*

* Qui adhæret appellationi, superius tribunal eo ipso tacite agnoscit. Unde *Ludolf* de Jur. Camer. p. 363. bene observat, cum adhæsione appellationis imperite cumulari exceptionem causæ non devolutæ, ni forte adhæsio saltem fiat eventualiter.

** Si uterque super eodem sententiæ capite appellavit, alteruter vero appellationem deseruit, tunc appellationi adhærere nequit ob jus ex desertione quæsitum.

§. CCCLXXII.

§. CCCLXXII.

renuntiatio Renuntiari appellationi interponendæ in quantum possit, vid. §. 94. & 365. interpositæ renuntiari ab appellante re integra potest h. e. usque ad citationem emissam. Post illam enim quamdiu appellatio commune beneficium reputatur, jus adhærendi alteri auferri nequit. Tacite appellationi renuntiatur, fatalia recepta negligendo. Pariter si contra appellationem appellans attentat, h. e. quid facit in præjudicium litis & sententiæ, a qua appellavit, appellationis beneficio excidit, eaque deserta declaratur *. Non tamen attentat, qui naturali libertate uti pergit, vel qui possessionem, utut turbidam, continuat L. un. §. 4. Dig. nihil innov. it. qui alteri attentanti in continenti resistit. Si uterque & appellans, & appellatus vere attentat, compensationem attentatorum non esse admittendam censet *Ludolf.* de Jur. Camer. p. 411. quia attentatorum causa non pertinet tantopere ad partium jura, quam ad vindicandum judicis contemtum. Quare judex superior, si causa principalis instructa satis non est, providebit, ut quies conservetur usque ad decisionem. Sin instructa est, decisione eam finiet, simulque accessorium attentatorum articulum judicabit. Namque super appellationis justificatione ** judicis superioris est ferre sententiam vel mere interlocutoriam, vel definitivam, eamque vel prioris confirmatoriam seu inhæsivam, (quorsum & declaratoria potest referri,) quo casu simul causa ad pristinum judicem remittitur, vel reformatoriam, vel mixtam, quando quoad quædam gravamina sententia corrigitur, quoad reliqua confirmatur. De pœna temere appellantium Vid. R. J. 1600. §. 17. & 1654. §. 120.

* Attentatum quod judex a quo, vel appellatus contra interpositam appellationem committunt, processum continuando, possessionem turbando &c. vel per modum exceptionis removetur, vel per implorationem judicis superioris, qui mandatum decernit vel cum vel sine clausula.

** At super inadmissibilitate appellationis ob neglectum fatale interponendæ appellationis aut petendorum apostolorum judex a quo seu inferior cognoscit.

§. CCCLXXIII.

§. CCCLXXIII.

Alterum remedium ſententiam a viribus rei judicatæ ſuſpendens, quodque pro diverſo judiciorum ſtylo nunc reviſionem, nunc ſupplicationem, nunc leuterationem vocari diximus §. 356. eſt petitio de mutanda ſententia ad illum ipſum judicem, qui eam tulit, directa infr. §. 379. in fin. Probe autem ſimplex ejusmodi petitio diſcernenda eſt ab illa, quæ cum jure quoddam eſt conjuncta, & ex neceſſitate quadam recipi & exaudiri debet. Poſterior vim ſuſpenſivam habet, prior non item. Si quidem cuivis eſt integrum latæ ſententiæ mutationem vel ſaltem reviſionem petere. Sed judex huic petito non ſemper deferre tenetur, imo quandoque deferre non poteſt, utut voluerit. Judex enim, qui dependenter jurisdictionem exercet, ſine prævia revidendi permiſſione, ſententiam ſemel a ſe latam mutare nequit, ac proinde fruſtra ejus reviſionem ſuſcipit, ſed a ſuperiore demum vel reviſionem vel revidendi facultatem expectat. Nec arbiter regulariter latam ſemel a ſe ſententiam mutare ob jus parti exinde quæſitum valebit. At judex independens ſummusque imperans poteſt quidem, ſi vult, petitam ſententiæ reviſionem ſuſcipere, non autem præciſe tenetur. *Reviſio ſententiæ.*

§. CCCLXXIV.

Pertinent huc appellationes ſeu provocationes a Regibus male conſultis vel informatis ad eosdem bene conſultos meliusve informandos, quæ, ſi immodeſte terminisque in ſummam poteſtatem injuriis interponuntur, e. c. a Rege vinolento ad ſobrium, pœnam omnino merentur. * Modeſte vero interpoſitæ pro imperantis arbitrio libere vel rejiciuntur vel recipiuntur. Machetas a Rege Macedoniæ male conſulto ad eundem bene conſultum provocaſſe, & Rex illam provocationem admiſiſſe, ſed quoniam res a ſe judicatas reſcindi turpe ducebat, quo minus levitatis & inconſtantiæ coargueretur, Machetæ, quem inique condemnaverat, damnum illatum de ſuo reſarciviſſe, memoratur apud *Bodin.* de Republ. L. 1. c. 10. p. 256. ubi eodem provocandi genere uſus legitur Ludovicus Burbonius Princeps Condæus a ſententia Franciſci II. Regis Francorum. *Appellationes a Rege male informato ad melius informandum.*

* Nihilo ſecius eam probat Doctor Gregorius Heymburg in appel-

latione contra Pium Papam qui ipſum excommunicaverat. Vid. *Paralipom. ad Abbat. Urſperg.* pag. CXI. ubi Heymburg ita loquitur : Laudata eſt illa mulier quæ a vinolento Rege Philippo ad eundem ſobrium provocavit. Sic ergo mihi gradus primus ab irato Papa, qui me laceſſit, ad eundem mitem factum appellare &c.

§. CCCLXXV.

in Germania improbata. In Germania quoque frequentes olim erant appellationes ab Imperatore male informato ad melius informandum. Tali ſub Friderico III. uſi fuerunt Grœningenſes coram Notario, haud tamen ſecuta ob Cæſaris mortem inſinuatione. Porro Wigandus Epiſcopus Herbipolitanus 1552. in cauſa contra Albertum Brandeburgicum. Duces Megapolitani 1576. in cauſa ſeſſionis contra Ducem Juliacenſem. Henricus & Guilielmus Luneburgi Duces 1596. contra Hamburgum & Magdeburgum. Duciſſa Vinarienſis 1613. in cauſa præcedentiæ contra domum Altenburgenſem. Denique Philippus Chriſtophorus Archi-Epiſcopus Trevirenſis 1640. Vid. *Myler* ad Rumel. in A. B. part. 2. diſſ. 2. th. 18. & *Struv.* Syntagm. Jur. publ. c. 24. §. 60. Hactenus quidem in Imperatorum arbitrio ſtetiſſe videtur, quantum ejusmodi petitis interpoſitisque appellationibus tribuere voluerint, qui plerumque ejusmodi provocationes rejecerunt. Sic Mylerus l. c. memorat, cum Princeps quidam Imperii 1614. talem provocationem tentaret, eam non modo cum reprehenſione per Cæſareum reſcriptum eſſe rejectam, ſed & Notarium, qui deſuper inſtrumentum cofecerat, exauctoratum. Pariter 1628. in ſimili caſu Aulicum Conſilium decreviſſe, daß Ihro Kayſerl. Majeſtät die Appellation a Cæſare male informato ad melius informandum als nichtiglich und ſtraffmäßiger Weiſe eingewant, die auch an ſich ſelbſt null und nichtig, von Kayſ. Majeſtät Macht hiemit caſſiren und aufheben.

§. CCCLXXVI.

Temperamentum. Tandem vero per publicam pacis Weſtphalicæ art. 5. §. 55. legem fundamentalem parti gravatæ eſt indultum, a ſententia in judicio Aulico lata

lata ad Cæsaream Majestatem supplicare, ut acta judicialia denuo, adhibitis aliis gravitati negotii paribus, neutrique partium addictis ex utraque religione æquali numero Consiliariis, & qui concipiendæ & ferendæ priori sententiæ non interfuerint, aut certe referentium & correferentium partes non sustinuerint, revideantur. Conf. Reichs-Hoff-Raths Ordn. tit. 5. §. dafern sich nun. *pacis Westphal.*

§. CCCLXXVII.

Ab hoc tempore * supplicationis remedium in judicio Aulico vim remedii suspensivi, quod admitti necessario debet, consecutum videtur. Olim ipsa prioris sententiæ executio usque ad finitam revisionem differebatur Rec. Imp. 1600. §. 146. prout factum in causa Principis de Lichtenstein contra Principem Frisiæ Orientalis vid. *Schweder* part. spec. Sect. I. c. XI. §. 4. ** Ne tamen inde moras nectendi, litesque protelandi occasio captaretur, hodie per R. J. 1654. §. 124. *** executio non obstante supplicatione decerni solet, præstita tamen a parte victrice cautione de restituendo, si supplicans vicerit, qui certam pariter summam, Succumbenz Gelder vocant, deponere, & intra quatuor a die latæ sententiæ menses libello (Haupt-gravatorial libell) argumenta sua exponere tenetur. Add. *Uffenbach* de judic. Aulic. c. 23. ex eoque *Struv.* Syntagm. Jur. publ. c. 24. §. 60. Equidem Dn. *Ludolf.* de Jur. Cameral. p. 338. revisionem in Camera a supplicatione in judicio Aulico differre existimat in effectu suspensivo, quem revisioni quidem negat, supplicationi autem tribuit, ideo quod supplicatio nomine remedii suspensivi insigniatur in Ord. Jud. Aul. tit. 5. §. dafern sich nun. At enim vero Ordinatio supplicationem remedium suspensivum vocat, non quia executionem suspendit, sed quia sententiam a plenaria rei judicatæ vi suspendit, quod vel sola judicii Aulici praxis evincit, de qua non modo *Uffenbach* l. c. testatur, sed & ipsum allatum a Ludolfo præjudicium Consilii Imperialis Aulici in der Oldenburgischen Successions Sache. Ceterum cum processus judiciarius, in Ordinatione Camerali præscriptus, pariter in judicio aulico servari debeat per Instrum. Pac. art. 5. §. 55. princ. eadem, quæ circa revisionem in Camera receptam fatalia & requisita obtinent, etiam in judicio Aulico circa supplicationis beneficium observari debere, bene monet Ludolfus. *Supplicatio in judicio Aulico.*

* Feren-

* Ferendi non ſunt, qui originem harum ſupplicationum repetunt a ſupplicationibus contra Præfectorum Prætorio ſententias intra biennium vel decendium indultis L. un. C. de ſententiis Præfectorum Prætorio Nov. 119. c. 5.

** Cum Camera Imperialis per decretum commune de 5. Febr. 1619. interpoſitis reviſionibus effectum ſuſpenſivum denegaret, Electores, Duces Brunſuicenſes aliique acriter ſe oppoſuerunt, ipſeque Imperator 1631. hoc decretum commune annullavit. Vid. *Lyncker.* de Gravam. Extraj. c. 9. part. 2. §. 12.

*** Num hæc legislatio & denegatus reviſioni effectus ſuſpenſivus etiam ad reviſiones ante 1654. interpoſitas pertineat, an ad ſolas reviſiones poſt Receſſum Imperii introductas ſit reſtringendus, acriter diſceptatum in cauſa Hœvelich contra Bronckhorſt nunc Winkelhaus contra Salm. Interpoſita erat a Salm reviſio 1618. Ferdinandus III. Imperator edicto de 1653. juſſerat partes, quæ interpoſitas reviſiones proſequi vellent, ut ſe deſuper ante ultimum Maji 1654. declararent coram Cancellaria Moguntina & Camera Imperiali. Sed quoniam Salmenſes ſaltem apud Moguntinum non autem in Camera declaraverint, reviſio a Camera 1734. pronuntiabatur deſerta. Recurrebat Salmenſis ad Comitia, interſerens, Receſſum Imperii & diſpoſitionem de tollendo ſuſpenſivo reviſionis effectu ad ſolos caſus futuros pertinere, nec jus parti antea quæſitum poſſe auferre.

§. CCCLXXVIII.

Reviſio in Camera indulgetur

In Camera Imperiali jam dum per Ord. Cam. part. 3. tit. 53. cui jungendus R. J. 1654. §. 124. ſqq. litigantibus, qui ſe per ſententiam Cameralem gravati exiſtimant, beneficium Reviſionis * actorum eſt conceſſum, his tamen conditionibus, *primo* ut cauſa ſit appellabilis, nam ubi non conceditur appellatio, nec reviſio locum habet. Rec. Imp. cit. §. 125. 127. *Secundo* ut gravamen excedat ſummam 2000. thl. in ſorte absque uſuris cit. §. 127. *Tertio* ut intra quatuor menſes a die latæ ſententiæ ſub pœna deſertionis ab Electore Moguntino, aut, ſi cauſa ipſum tangit?

git?

git, a Trevirensi petatur Rec. Imp. 1654. §. 125. Quo facto Elector ex Cancellaria sua gravato schedulam intimationis dat, quam gravatus Camerae per Notarium publicum extraneum, qui Camerae jurejurando obstrictus haud est, insinuari curat, addita oblatione ad juramentum revisorium & depositionem sportularum a Camera determinandarum.

* Revisio Cameralis differt a restitutione in integrum subjecto & materia. Restitutionis judex est idem qui fuit antea, adeo ut idem etiam referens possit retineri. Revisionis autem judices sunt Deputati ex Statibus Imperii. Restitutio petitur ex novis probationibus, revisorium judicium novas probationes respuit, unde & anceps est difficile, & plerumque inutile *Ludolf* de Jur. Camer. p. 333.

§. CCCLXXIX.

Post insinuatam Camerae intimationem, factamque a Moguntino requisitionem ad Imperatorem & Visitatores Camerae*, ut Consiliarios suos ad hanc visitationem mittant, deputati hi Consiliarii revisores constituuntur **, qui postquam de sententia fideliter ferenda jurarunt, ante causae cognitionem acta oblata taxant, ac sportulas a Camera determinatas moderantur, quas revisionis remedio usurus antequam ad juramentum revisionis admittitur in Archivo actu deponere tenetur, atque amittit, si aut prior sententia confirmatur, aut revisione jam coepta post frustra tentatam amicabilem compositionem revisioni iterum renuntiat. Rec. Imp. 1654. §. 126. Ord. Cam. part. 3. tit. 53. Si revisionem petens est pauper, juratoria cautio sufficit, & postea succumbens poena corporali afficitur. Pecuniâ depositâ, gravatus demum admittitur ad juramentum revisorium, a quo neminem esse immunem, audivimus Tit. 7. §. 214. & jurat, se causae justitia fretum, non autem ex malitia aut protelandi animo revisionem petere. In revisione instituenda Camerae Assessores, qui priorem sententiam tulerunt, ejusdem causas & rationes afferunt. Postea Visitatores seu revisores soli sententiam vel confirmant vel reformant. Executio sententiae reformatae non ad revisores sed Cameram spectat. Ord. Cam. part. 3. tit. 53. §. 4. in fin. *Ejusdem modus*

* Status qui ſine juſta cauſa venire, vel Conſiliarios ſuos mittere differt, 500. fl. multatur R. J. 1654. §. 128. (1000. thl. ponit R. J. 1598. §. So ordnen wir) Neque ob aliquos emanentes reliqui a reviſione deſiſtunt.

** Supra §. 373. diximus reviſionem ſententiæ ab illo ipſo, qui eam tulit, judice fieri, cui non obſtat, quod h. l. dicitur, reviſores alios conſtitui, quam qui priorem tulerunt. Utrique enim nomine Cameræ, totiusque Imperii pronuntiant, nec reviſores iis, qui ab initio ſententiam in Camera tulerunt, ſuperiores ſunt. In Reviſione igitur ad aliud ſuperiusve judicium non itur, ſed in Camera Imperiali, ubi ſententia erat lata, eadem quoque revidetur, & alia ſaltem individua reviſioni adhibentur, quemadmodum & in judicio Aulico circa ſupplicationem fieri diximus §. 376. quæ tamen ideo reviſionis naturam haud amittit, aut in appellationem transmutatur.

§. CCCLXXX

effectus Effectum reviſionis hunc eſſe, ut ſententiam quidem a viribus rei judicatæ ſuſpendat, executionem tamen haud differat, quippe quæ ſtatim ac ante finitam reviſionem fit, dummodo victor cautionem de reſtituendo præſtet, ex dictis §. 377. apparet. *Ludolfus* de Jur. Cam. p. 318. reviſionis remedium difficile, ſumtuoſum, & anceps pronuntiat. Difficile ob multas ambages petitionis apud Moguntinum, notificationis per Moguntinum Collegio Camerali faciendæ, introductionis per Notarium Collegio Camerali juramento non obſtrictum, convocationis reviſorum per Electorem Moguntinum, congregationis &c. Sumtuoſum ob depoſitionem pecuniæ in caſum ſuccumbentiæ. Anceps denique ob incertitudinem eventus. Exempla ſententiarum Cameralium in reviſorio judicio correctarum numerari pauca, tantumque abeſſe, ut metuat vel ſubterfugiat Camera reviſiones, ut potius integritatis ſuæ teſtimonia fuiſſe & futura eſſe exiſtimet. Ex quo reviſio executionem non ſuſpendit, rarius quidem petitur, nonnunquam tamen hunc in finem, ut adverſarius victor, ſi cautionem præſtare nequeat, effectu ſententiæ non fruatur.

§. CCCLXXXI.

§. CCCLXXXI.

Reviſionis reviſio, ſi prior ſententia a reviſoribus eſt confirmata, haud conceditur, ne lites fiant immortales. Imo nec concedi ſolet etiamſi prior ſententia a reviſoribus ſit reformata, quo tamen caſu haud foret iniqua, ne is, pro quo Camera pronuntiavit, deterioris conditionis habeatur. Paria ſi reviſorum vota exiſtunt, num prior ſententia confirmata, an nil actum exiſtimari debeat, diſceptatum fuit 1706. cum revideretur ſententia Cameralis pro Erbmannis Monaſterienſibus lata, & in Comitiis 1686. confirmata. Diſcedebant quippe ſex ſtatus Imperii, quibus reviſio erat commiſſa, in partes æquales. Re iterum ad Comitia delata, Collegium Electorale putabat, nil eſſe actum, quemadmodum inter arbitros votis paribus nil actum eſſe cenſetur, ideoque novam commiſſionem eſſe conſtituendam & addendum ſeptimum Commiſſarium Cæſareum. At Collegium Principum & civitatum dicta in prima ſaltem inſtantia procedere dicebant, at in ulteriori inſtantia, ſi de priori ſententia judicanda agatur, votis paribus illam confirmatam eſſe cenſendam. *Reviſionis reviſio*

§. CCCLXXXII.

In Saxonia Reviſionis beneficium *Leuterationis* nomine venit, & tria præſtituta habet fatalia. *Primum* interponendæ leuterationis, quod pariter ac in appellatione decendium continet*. Repetenda hic igitur ſunt dicta §. 366. & de adhæſione §. 371. it. renuntiatione §. 372. *Secundum* fatale eſt petendi terminum leuterationis proſequendæ, quod eſt ſpatium Saxonicum ſex ſeptimanarum, trium dierum ab interpoſita leuteratione ſi tamen judex prius proprio motu terminum præfigit, hoc fatale ceſſat, ſicuti exadverſo terminum petiiſſe ſufficit, etiamſi reapſe a judice conſtitutus non ſit. Nonnullis in locis certa pecuniæ ſumma, in caſum ſuccumbentiæ amittenda, nec non judice urgente ſportulæ pro emittenda & inſinuanda citatione ſub deſertionis pœna ſunt deponendæ. Si tamen dicendum, quod res eſt, depoſitio der Succumbenz-Gelder legislatoris intentionem, reſtinguendi ſcil. leuterandi pruritum non ſatis aſſequitur **. Rariſſime enim de dolo aut malitia litigantium vel appellantium conſtat. At citra eam ideo ſaltem, quod quis rei ſuæ conſervandæ & vindicandæ *Leuteratio.*

fuit

fuit intentus, eum mulctare, inhumanum pene videtur. Qui autem cupido est alios vexandi, morasque nectendi animo, in graviori præsertim causa tantillam pecuniam parum curabit, & plus longe per executionis dilationem lucrabitur. *Tertium* Leuterationis fatale est ipsius prosequendæ in termino ad id præfixo, tum quoad formalia tum quoad materialia vid. §. 369. ita ut prima termini die ad minimum quoad unum gravamen prosecutio fiat. Inter plures litis consortes unius prosecutio prodest & iis, quorum intuitu leuteratio alias forte esset deserta, e. c. ob fatale neglectum, aut attentatum commissum.

* Quo nondum elapso judex leuterationem, licet eam jam rejecerit, adhuc recipere potest. A rejecta leuteratione leuterans intra decendium a tempore insinuatæ de rejectione notificationis potest appellare, quo facto judex superior appellationem vel rejicit, vel ad justificationem admittit, vel judici a quo appellatum est rescribit, ut leuterationem rejectione non obstante ad prosecutionem admittat.

** Jam dum in veterum Romanorum judiciis moris erat, ut actor & reus se invicem sponsione provocarent, ut uter victus esset alteri præter id, quod in lite erat, certam summam pecuniæ solveret, qui vero sponsionem detrectabat, litem perdebat. Vid. *Carol. Sigon.* de judic. L. 1. c. 21. *Barnab. Brisson.* de formul. L. 5. p. 369. Athenis accusatores, nisi quintam suffragiorum partem tulissent, 1000 drachmis multabantur. *Sigon.* de Republ. Athen. L. 3. c. 1. Apud Septentrionales litigandi temeritatem sponsionibus & pignoribus coercitam scribit *Grotius* Prolegom. ad hist. Goth. p. 67. Simile fere est Cameræ Imperialis circa revisionis beneficium institutum per dicta §. 379. Atque hoc illud idem est remedium, quod *Ludolphus Hugo* ad appellantium temeritatem coercendam idoneum putat, & tantopere commendat in Consultatione sua de appellationum abusu tollendo. At experientia dudum docuit, hoc hominis alienorum numorum cupidi inventum, quem debebat, finem haud attingere, & plus incommodi quam utilitatis alere. Observarunt jam alii, hinc effici,

effici, ut ipsum revisionis in Camera beneficium vel plane non vel difficulter in praxin deduci queat. Contrarium huic instituto est illud Hispanorum, quo is qui in suprema curia victricem reportat sententiam eidem 1500 Pistolettas pendere jubetur, quæ curia exinde Camera quingentarum Pistolettarum, die 1500 Pistolen Cammer vocari consuevit. At cum in suprema instantia victor culpam admiserit nullam, nulla quoque apparet ratio, quare mulctari debeat?

§. CCCLXXXIII.

In Saxonia Electorali prudenti consilio per Ord. Proc. Recogn. tit. 35. §. 5. fatale petendi terminum leuterationis prosequendæ (sicut & in appellationibus illud reluendi apostolos §. 7. & introducendæ appellationis §. 9.) plane est sublatum * simulque tit. 10. §. 3. constitutum, ut utraque parte emanente, terminus leuterationis prosecutioni vel appellationis justificationi præfixus non pro circumducto, sed leuteratio vel appellatio pro deserta haberi debeat. Id tamen in Saxonicis judiciis passim taxatur, quod nimium per leuterationes multiplicentur instantiæ, adeo ut per sex sæpenumero eundum sit instantias. Coram judice inferiore sunt duæ, prima & altera, quæ Leuteratio vocatur. Hinc itur ad Curiam provincialem, ubi post appellationem decisam repetitur beneficium Leuterationis. A Curia provinciali iterum appellatur ad Principem, & rursus, ut antea duplicantur instantiæ. Vid. *Ludolf.* de Jur. Cam. p. 176.

Ejusdem fatalia.

* Imo expediret forte in omnibus revisionibus, leuterationibus & appellationibus prorsus resecare ulteriores partium deductiones, simpliciterque acta perlustrare & examinare. Certe maximo emolumento nonnisi unicum scriptum cuique parti ad gravamina deducenda eaque refellenda indulgeretur. Qua in re maxima pars occupatur Consultationis Hugonianæ de abusu appellationum tollendo, & Camera Imperiali immenso earum cumulo levanda.

§. CCCLXXXIV.

Leuteratio leuterationis.

Leuteratio leuterationis, seu Oberleuteratio, in judiciis subordinatis, nec non in causis mediante appellatione ad Principem devolutis non admittitur, sed iis tantum, quæ immediate coram Principe in prima instantia fuerunt ventilatæ. Si prior sententia in leuterationis instantia confirmatur, leuterare amplius non licet, sin reformatur (nuda declaratio non sufficit, quia illa virtualiter priori sententiæ inerat, utrique parti per vicissitudines ob idem gravamen in infinitum leuterare licet, donec duæ conformes sententiæ immediate se consequantur, quia in omni mutatione novum gravamen subesse censetur. In Saxonia Electorali tamen in judiciis inferioribus singulis partibus unica saltem leuteratio permittitur, quam si ad alterius leuterationem correctoria, ex qua gravamen oritur, sententia sequitur, gravato ad appellationem recurrendum.

§. CCCLXXXV.

Res judicata.

Lata a judice sententia ubi a partibus vel sponte agnita, vel in revisionis aut appellationis instantia confirmata, in rem judicatam transit, cujus ea est vis, ut super eadem re *, inter easdem personas, ex eadem petendi causa ** lis restaurari amplius nequeat, sed res semel judicata simpliciter jus *** inter litigantes faciat, & pro veritate ac lege accipiatur L. 25. Dig. de Stat. hom. & L. 207. de R. I. **** nec Principis rescripto possit rescindi L. ult. C. sentent. rescind. non poss. nec contraria probatione, nisi instrumenta noviter sint reperta, quod licet negare videatur L. 4. C. de re jud. & L. 35. Dig. eod. rectius tamen asseritur per L. ult. C. de reb. Credit. Add. Peinliche Halßgerichts-Ordn. art. 107. aut si mavis ipsa quidem res judicata non rescinditur, sed contra eam saltem fit restitutio ex justa causa antea ignorata. Certe contra juramentum suppletorium probatio per instrumenta noviter reperta admittitur L. 31. Dig. de jurejur. Conf. dicta Tit. II. §. 325.

* In his, quæ incidenter in judicium deducta, sententia rem judicatam non gignit.

** Hinc usuræ, quæ solo judicis officio debentur, postea, quam senten-

ſententia in rem judicatam tranſiit, peti amplius nequeunt, ſecus ac illæ, quæ ex conventione debentur.

*** Reſolutiones, Mandata Germ. Auflagen nec non reſcripta vim rei judicatæ non habent, nec remediis ſuſpenſivis indigent. Tot. tit. Cod. Comminationes, epiſtolas, programmata ſubſcriptiones autoritatem rei judicatæ non habere.

**** Unde dici ſolet, rem judicatam ex falſo verum, ex albo nigrum, ex injuſto juſtum facere. Quamvis autem injuſta ſententia abſolutus in foro civili non debeat, in conſcientia tamen debet, & natura debitor permanet L. 60. Dig. de Condict. indeb. Error calculi etiam ſemper emendari poteſt L. 1. §. 1. Dig. quæ ſentent. ſine appell.

§. CCCLXXXVI.

Ratio, quare tanta rei judicatæ competit vis, arcenda eſt a tacita litigantium transactione, qua judicis deciſioni cauſam ſubmittunt, cujus arbitrium cum ſemel agnitum ſit, impugnari poſtea non debet. Hæc ubi ratio ceſſat, ipſam quoque rei judicatæ vim exulare obſervabis. Sic e. c. in cauſis capitalibus ſententia nunquam tranſit in rem judicatam, ſed reus ſemper adhuc poſt ſententiam latam cum ſua defenſione audiendus, quia nimirum de vita tranſigendi jus nemo habet, nec proinde ibi res judicata tanquam transactionis effectus poteſt concipi. *tacita transactione nititur.*

§. CCCLXXXVII.

Pariter ſententiam contra matrimonium latam in rem judicatam haud tranſire, vulgo ex cap. 7. X. de ſent. & re jud. colligitur, quod ſi reſtringitur ad matrimonium perfecte conſummatum, de quo in dicto capitulo eſt ſermo, rationem ſatis firmam habet in indiſſolubili matrimonii nexu, quem cum ſolvere transactione ſua conjuges nequeant, nec res judicata poterit. Quodſi vero de matrimonio futuro, & per ſponſalia ſaltem promiſſo, agitur, cum ibi dicta ratio ceſſet, verius omnino in puncto juris *Ejusdem vis in matrimonialibus.*

erit, ſententiæ contra matrimonium futurum latæ vim rei judicatæ omnino competere, utut praxis contraria in foris regnet. Vice verſa nec lata pro matrimonio ſententia in rem judicatam tranſibit, ſi illud in gradu prohibito contrahendum, quia tum itidem transactio foret invalida cap. 10 & 11. X. de ſent. & re jud. *

* Nonnulli a ſententia ad confeſſionem argumentando hinc inferunt, & confeſſionem adverſus matrimonium factam poſſe retractari. Vid. *Berger.* Elect. Proceſſ. Matrim. §. 48.

§. CCCLXXXVIII.

contra tertium. Denique rem inter alios judicatam tertio non officere, ex eodem principio intelligitur. Quia enim litigantium transactio tertio præjudicare nequit, nec res judicata poterit, quæ transactioni innititur. Generalis igitur eſt regula: ubi res non pendet ex voluntate partium, aut ſuper quibus tranſigere non licet, nunquam fit res judicata. Hinc res judicata ſuper paſſu, adverſarium haud tangente, citra ejus conſenſum poteſt mutari e. c. quando prorogatur fatale der Succumbenz Gelder. Hinc porro ſententia in miniſtrum conductorem, uſufructuarium lata non obeſt domino, locatori, proprietario tot. tit. Cod. int. alios act. it. tit. Cod. quib. res jud. non noc. L. 63. Dig. de re jud. L. ult. C. de acquir. & retin. poſſeſſ. quibus tamen talem ſententiam prodeſſe recte aſſeritur. Interim cum quidam diſſentiant, expedit per ceſſionem juris ex re judicata quæſiti ſibi proſpicere. *

* Correo ſententiam prodeſſe, licet nulla in ſententiæ introitu ipſius mentio facta, non ambigitur. Quæ deſertionis ſententia in favorem conjugis deſertæ lata, in odium ipſius trahenda non eſt, quare renuntiari eidem a parte deſerta poteſt, adeo ut deſertor ad partis deſertæ petitum ad redintegrandum matrimonium poſſit compelli.

§. CCCLXXXIX.

contra Res contra ſubditos judicata Principi ipſiusque fiſco regulariter haud

nocet,

nocet, sed tunc tamen, si subditos in sua causa defendere debuisset, & nihilo secius sciens tacuit L. 63. Dig. de re jud. Hinc cum fiscus Regis Borussiæ & civitas Halensis ambo sibi jurisdictionem in suburbium Glaucha vindicarent, & civitas actionem confessoriam contra fiscum, qui in possessione erat, institueret, fiscus autem incolas suburbii intervenire, totamque litem in se transferre pateretur, tandem autem pro civitate judicaretur, fiscus novas probationes offerens amplius non audiebatur, quamvis rem inter alios judicatam interfereret, fiscique favorem publicamque utilitatem urgeret. *fiscum.*

§. CCCXC.

Circa Vasallum id peculiare est, quod licet alias ex ipsius de feudo transactione dominus directus haud teneatur, si tamen lis ipsi de feudo movetur, solus utiliter agere, excipere, imo & transigere possit, adeo ut ex re judicata vel transactione secuta, (dummodo fraudulenter actum non sit,) ipse etiam dominus teneatur, si forte feudum ipsi postea aperitur 2. feud. 43. *dominum directum.*

§. CCCXCI.

Quod rem judicatam partes solas obligare diximus, adeo verum est, ut ne ipse quidem judex ex eadem obligetur. In causis præsertim criminalibus, ubi plures sunt correi, observamus aliquando, actis ad Collegia prudentum transmissis, contra præsentes inquisitionem specialem decerni, ipsisque responsionem ad articulos injungi, simulque addi, absentes & fugitivos ulterius esse persequendos. Facile patet, additam hanc clausulam saltem quid judici liceat docere, non autem necessitatem id præcise exequendi imponere. Unde si forte judex e re sua haud esse existimat, fugitivos persequi, quod forte sumtus in inquisitionem erogandi sperandum inde commodum superant, hunc passum prorsus negligi, & ne quidem literas arrestatorias expediri animadvertimus. Es werden nicht einmahl Steck-Briefe ausgefertiget. *contra ipsum judicem.*

§. CCCXCII.

Multo minus judex extraneus rem inter alios subditos judicatam agno- *inprimis*

 scere

extraneum. ſcere tenebitur. Autoritatem judicantis non idem in exteros quod in ſubditos valere, bene monet *Grotius* L. 3. c. 2. §. 5. Rem illuſtrare licebit caſu memorabili, qui Londini in Anglia 1729. accidit. Gallus quidam Dominus de Campagnole in templo S. Martini globulos ignitos ex ſclopeto emiſerat concionatoris necandi cauſa. In jus deſuper vocatus, mente captum ſe ſimulat, & talis per ſententiam declaratur. Frater ipſius Abbas de Campagnole publicum rerum actarum teſtimonium ſecum in Galliam aſportat, fratremque in noſocomium amentium detrudi, ſibi autem bona ipſius, quorum 30000 lb. annui erant reditus adjudicari petit. Hic ſane in Galliarum Regis arbitrio poſitum, quantum rei ab Anglis judicatæ tribuere, num eam ſimpliciter agnoſcere, an denuo amentiam prætenſam explorare voluerit. Imo poſterius præeligendum & quodammodo neceſſarium videtur, tum quia amentia ceſſare iterum potuit, tum etiam quia in criminalibus judiciis alia ſæpe, quam in civilibus ſententia ferenda.

§. CCCXCIII.

Impugnatur res judicata querela nullitatis. Quanti quanta autem inter litigantes rei judicatæ vis cernitur, tanta tamen haud eſt, quin ex capite nullitatis admiſſæ impugnari, aut juſtis ex cauſis contra eandem in integrum reſtitutio impetrari queat. Nulla dicitur ſententia, quæ neglectis ſubſtantialibus proceſſus eſt lata, e. c. a judice incompetente it. omiſſa citatione, probatione, aut quæ manifeſte injuſta imperat. Atque tali impune non paretur. Imo judici violenter manifeſte injuſta agenti recte reſiſtitur L. 5. C. de jur. fiſc. L. fin. C. de diſcuſſ. At ubi periculum in mora haud eſt, metuendum ex tali ſententia præjudicium urgetur per nullitatis querelam, quam talem hic innuo, quæ principaliter, ſeorſim & ſeparatim per modum actionis inſtituitur. Acceſſoria enim, quæ incidenter, acceſſorie & conjunctim una cum remedio ſuſpenſivo interpoſito urgetur, jure remedii ſuſpenſivi, quocum conjungitur, cenſetur.

§. CCCXCIV.

quæ vel in inferiore vel ſupe- Per modum ſeparatæ actionis querela nullitatis, ſi plures dantur inſtantiæ, pro lubitu coram inferiore aut ſuperiore judice poteſt moveri, dummodo ipſius officium adhuc duret. Sic judex delegatus, ubi ſemel pro-

pronuntiavit, officio suo est functus, ipsiusque jurisdictio finitur, adeoque nullitatis querela non coram ipso sed delegante movenda L. 4. C. quo mod. & quand. jud. sent. proferre deb. cap. 9. & 10. X. de off. & potest. jud. deleg. Nec arbitros de nullitate circa laudum commissa cognoscere existimarem. Conf. T. 1. §. 28. Certe consultius erit, quoties superior datur, coram eo nullitatis querelam movere, quia inferior per nullitatem commissam quodammodo fit suspectus.

riore instantia instituitur.

§. CCCXCV.

In Camera Imperiali & Consilio Imperatoris Aulico a sententiis in summis his tribunalibus latis nullitatis querela haud recipitur teste *Ludolfo* de Jur. Cam. p. 337. 338. ob autoritatem nimirum horum judiciorum, & quia alia legitima remedia iis, qui per sententias ibidem latas se gravatos sentiunt, suppetunt. At contra sententias in statuum tribunalibus latas in summis Imperii tribunalibus nullitatis querela admittitur, quod exemplis confirmat laudatus Dn. de *Ludolf.* p. 199. Anno 1596. d. 8. Apr. reproducta in Camera fuit citatio super nullitatibus cum Compulsorialibus in causa Alberti Comitis Schwarzburgici contra Duces Saxoniæ, quia in curia provinciali Jenensi Vasallo Schwarzburgico a sententia Comitis appellationis processus fuerant decreti. Actorum editio etiam facta licet cum protestatione 1601. post arctiores compulsoriales d. 17. Aug. 1599. Anno 1597. reproducta similis citatio cum compulsorialibus ob incompetentiam fori in causa Wolfgangi Comitis in Barby contra Duces Saxoniæ lineæ Coburgicæ, quia actione personali conventus erat coram ipsis, & processus ab executione inceptus.

etiam contra Principum Imp. sententias

§. CCCXCVI.

Per Rec. Imp. 1570. §. 69. remedium nullitatis ad summam appellabilem restringitur, quam per R. I. 1654. §. 112. usque ad 400 thl. auctam novimus. Frustra autem *Textor* in diss. de restit. in integr. ex clausul. gener. §. 30. existimat, legem correctoriam non esse extendendam ad summam appellationis auctam. Utrinque certe eadem pugnat ratio. Ceterum privilegium de non appellando nullitatis querelam haud excludere,

dummodo summa appellabilis.

sed

ſed hæc duo eſſe diverſa, imo ex ipſa nullitatum indole dari & impetrari non poſſe privilegia ad nullitates tuendas fuſius oſtendit *Ludolf.* p. 196. ſqq. Add. *Rumelin.* ad A. B. part. 2. diſſ. 2. th. 15. ubi vero nulla apparet evidens nullitas, ſumma tribunalia querelam nullitatis, cujus obtentu forte animus eludendi privilegium de non appellando tegitur, haud recipiunt, ſed petitum denegant.

§. CCCXCVII.

quamdiu? Circa tempus, quo moveri debet nullitatis querela, leges diſtinguunt inter nullitatem ſanabilem & inſanabilem. Rec. Imp. 1654. §. 121. ſq. per ſanabilem ſenſu latiori & improprie intelligere videtur quodvis gravamen, quo ſe litigans in ſententia gravatum putat, & talem nullitatem intra decendium urgeri præcipit. Quoad inſanabilem vero ex perſona vel judicis *, vel partis **, vel ex omiſſis ſubſtantialibus proceſſus *** oriundam diſpoſitioni juris communis inſiſtit. Scilicet nullitas inſanabilis *ſimpliciter talis* e. c. ob defectum citationis, mandati &c. ſemper omnique tempore, at *ſecundum quid* talis e. c. quando contra jus in theſi, aut omiſſa probatione, aut ex actis mutilatis, aut dolo, errore, metuve interveniente pronuntiatum, 30 annis urgeri poteſt. In Saxonia per Ord. Proc. tit. 38. movendæ nullitati inſanabili ſecundum quid ſpatium Saxonicum ſex ſeptimanarum, trium dierum eſt præſtitutum. Neque tamen nullitatis querela executionem impedit, niſi in continenti ſit liquida, aut præjudicium irreparabile per executionem inferatur. Renuntiari querelæ nullitatis poteſt tum expreſſe, tum tacite e. c. appellando a ſententia contra falſum procuratorem lata, tunc ſi in appellatione non mandati defectus, ſed aliud gravamen urgetur, tacite is, qui procurator non erat, pro tali agnoſcitur, & nullitatis querelæ renuntiatur.

* Quia forte incompetens aut venalem ſententiam tulit L. 7. C. quando provocare non neceſſ. aut dolo metuve impulſus.

** Deficiente forte mandato.

*** E. c. citatione, probatione. Aut quod ſententia contra jus in theſi lata. Dicitur autem ſententia contra jus in theſi lata cum

de

de jure constitutionis, in hypothesi vero cum de jure litigatoris pronuntiatur. L. 1. §. 2. Dig. quæ sentent. sine appell. rescindunt.

§. CCCXCVIII.

De restitutione in integrum alibi jam observavimus, eam in sensu generali quamvis in pristinum statum repositionem * denotare, adeo ut in hoc significatu petita contra sententiam in integrum restitutio nihil sit aliud, quam actio causæ redintegrandæ, suoque ambitu leuterationis, revisionis aliaque similia remedia comprehendat. Unde in Pomerania it. in Ducatu Brunsuicensi, & Episcopatibus Paderbornensi & Leodiensi restitutio in integrum tanquam commune & usitatum frequentatur remedium, quo quævis sententia, per quam quis se gravatum intelligit, intra decendium a viribus rei judicatæ suspenditur. At in sensu magis proprio ac specialiori restitutio in integrum tale remedium dicitur, quo ob novas**, & antea haud adductas allegationes causa redintegrari, seu in pristinum statum reponi petitur. Ex qua restitutionis in integrum descriptione intelligitur, eam non modo ad privatorum, sed summorum quoque Principum causas quadrare. Quodsi enim ostendatur, priorem sententiam dolo metuve interveniente esse latam, vel probationes novas, quarum copia haberi antea non potuerit, nunc demum emersisse, aut supremam salutis publicæ legem repugnare, quo minus sententia antea lata, quæque alias, & nisi adductæ intervenirent circumstantiæ, iniqua haud esset exitum capere haud queat, tunc ipsa naturalis ratio causam de novo ordiri, aliamque rationibus adductis attemperatam sententiam ferre suadet & jubet. *Restitutio in integrum.*

* Quamobrem restitutio in integrum pertinet saltem ad jura jam dum acquisita, posteaque amissa, non autem ad sperata & demum acquirenda. Hinc dominus non restituitur contra omissam a ministro possessionis apprehensionem. Econtra restituitur contra non petitam tempestive domini nomine bonorum possessionem, quia ibi domino jam dum jus erat quæsitum.

** Quorsum inprimis pertinent instrumenta noviter reperta vid.

ſupr. §. 385. quippe ob quæ datur in integrum reſtitutio (non quidem contra transactionem cap. 1. X. de transact. L. 19. C. de eod. quia partes tranſigentes objectum transactionis pro re dubia habuiſſe, ac etiamſi forſan plus juris habuiſſent, eidem renuntiaſſe cenſentur: bene tamen) contra ſententiam judicis: hæc enim licet vim habeat transactionis, cum partes judicem adeundo & agnoſcendo ipſius deciſioni rem committunt: bene tamen obſervandum, quod non ſimpliciter ipſius deciſioni res a partibus ſit commiſſa, ſed ſub conditione, ſi ſingula cauſæ momenta judici prius fuerint expoſita, quod ſane de inſtrumentis noviter repertis dici nequit.

§. CCCXCIX.

quibus ex cauſis competit? At leges civiles alias præterea effinxere reſtitutionis cauſas, dum minoribus, atque ad horum imitationem Eccleſiis, piis locis, Rebuspublicis & univerſitatibus eandem indulgent vid. de pactis L. 1. T. 14. §. 400. ſimul tamen ad quadriennium* reſtringunt L. fin. C. de tempor. in integr. reſtit. intra quas temporis anguſtias reſtitutio ſummis Principibus competens ſe coarctari haud patitur.

* Si tamen negotio alicui lege brevius tempus præſtitutum e. c. dum jure Sax. res mobiles anno & die præſcribuntur Landr. L. 2. art. 29. vel jure civili actiones ædilitiæ æſtimatoriæ anno præſcribuntur, redhibitoria 2 vel 6. menſibus, tunc abſurdum foret, ſi ſpatium petendæ reſtitutionis foret longius ipſa præſcriptione principali.

§. CD.

Novas allegationes requirit. Eo ipſo autem, dum reſtitutio in integrum proprie ſic dicta novas allegationes deſiderat, apparet, per ejus petitionem judici nullam, quaſi inique judicaſſet, culpam (doli caſu excepto) imputari, nec proinde in reſtitutione petenda inferioris primique judicis inſtantiam eſſe prætereundam*, ſed tum demum ſuperiorem adeundum ſi inferior petitam reſtitutionem denegat. Unde reſtitutio in integrum differt *primo* ab appellatione. Appellatio

pellatio enim fit ad superiorem, restitutio ab eodem judice petitur. Restitutio nova semper argumenta requirit, appellatio non semper. *Secundo* restitutio differt a leuteratione seu revisione. Utraque quidem peragitur coram priori judice, at restitutio novas allegationes requirit, leuteratio non item. *Tertio* speciatim a revisione sententiarum Cameralium differt restitutio eo, quod restitutio ab eodem judice fit, ita ut idem etiam referens adhiberi possit, revisio autem non ab Assessoribus, qui priorem sententiam conceperunt, sed a Statuum Deputatis. Restitutio novas probationes requirit, revisio contra easdem respuit. Denique *quarto* a nullitatis querela restitutionis petitio differt eo, quod is, qui restitutionem petit, priorem sententiam non præcise dicit nullam, sed potius hactenus deductis conformem, atque eatenus approbat, & saltem ob nova deducenda mutari cupit. Alia accedit differentia a diversis temporibus, lege civili cuivis remedio præfinitis. Appellatio enim & leuteratio intra decendium interponenda. Revisio in Camera quatuor mensibus petenda. Nullitatis querela triginta annis durat. At restitutio in integrum quadriennio expirat **, quod computatur non præcise ex die e. c. publicatæ sententiæ, contra quam restitutio petitur, sed a tempore, quo innotuit causa petendi restitutionem e. c. reperto instrumento.

* Qui vero judex sententiam non-devolutionis semel tulit, seque incompetentem asseruit, nec de restitutione poterit judicare. Sententia quæ petitam restitutionem denegat, *inhæsiva* proprie vocari nequit, quasi rei prius judicatæ insistat, quia ex *novis* probationibus de restitutione fuit judicandum.

** Ne tamen interim frustretur, qui in sententia victor extitit, in Camera Imperiali remedium fuit inventum salutare, ut terminus parendi sententiis adjiceretur. Si non pareatur & victoris procurator imploret judicis auxilium, coarctatur terminus per sententiam paritoriam, quam mox sequitur mandatum de exequendo Rec. Visit. Noviss. §. 83. junct. R. I. 1654. §. 76. 159. sq. Qua ratione succumbens compellitur restitutionis petitionem accelerare. Est & alia via moras compescendi, si quis ad restitutionem petendam provocet, tempusque petat ad exhibendum libellum, ut præfigatur ei terminus sub præjudicio

præclusionis. De praxi Camerali hoc in passu testatur *Ludolf* de Jur. Camer. p. 314.

§. CDI.

& in Camera juramentum speciale

In Judicio Imperatoris Aulico & Camera Imperiali remedium restitutionis in integrum obtinere docet *Ludolf.* de Jur. Cam. p. 339. & 279. sqq. hac tamen differentia, ut in judicio Aulico novitas argumentorum & juramenti præstatio non tam rigorose exigatur. In judicio Camerali autem per decreta generalia Cameræ de 1669. & 1671. & Recess. Visitat. noviss. juramentum speciale præstandum est a principali & advocato, & simul ipso procuratore, ne scil. per calumniam solius executionis impediendæ causa restitutio petatur. Atque ab hoc juramento in Camera nemo est immunis, ne quidem Imperii Status, eorumque Consiliarii. Non quidem est necesse, ut præstatio in eadem audientia fiat, qua supplica pro restitutione in integrum a Procuratore causæ (Notario enim id non permissum, ut in revisionis petitione vid. §. 378.) exhibetur, sed sufficit, paratum se ostendere, offerendo mandatum speciale.

§. CDII.

& adversarii citationem

Conceditur in integrum restitutio nonnisi prævia citatione alterius partis ad videndum restitui, ut scil. audiatur illa contra novas allegationes, ob quas restitutio petitur. Si tamen justitia restitutionis per se jam satis apparet e. c. si contra fatalia citra partis culpam forte durante justitio lapsa restitutio concedenda, tunc id brevi manu i, e. parte adversa inaudita, fieri solet, prouti factum post restitutum a diuturno justitio Camerale judicium, ubi contra fatalia appellationum interim interpositarum nulla partium culpa præterlapsa omnes, quibus decreti processus brevi manu in integrum fuerunt restituti.

§. CDIII.

an ad remedia ordinaria

Impetrata in integrum restitutio suapte sua natura executionem sistit. Quare prius haud conceditur, quam de causis sufficientibus constet, quæ si idoneæ afferri nequeunt, & si saltem ad executionem impediendam petita

tita apparet denegatur. Num in integrum restitutio ordinariis an extra- *pertinet?* ordinariis remediis annumeranda sit, quæstio est, in logomachiam abiens, nullumque usum spirans præsertim cum ab antiquo formulario Romanorum jure pendeat, quippe quo ordinariæ cognitiones dicebantur, quæ in judicio coram judice pedaneo exercebantur, extraordinariæ autem quæ in jure coram Prætore. Omnis quidem restitutio ex Prætorum edictis proveniebat L. 1. Dig. de in integr. restit. quædam tamen per judices datos exercebantur, & erant ordinariæ cognitionis L. 14. §. 1. Dig. quod metus caus. L. 1. §. 1. Dig. de dolo, quæ vero per ipsos Prætores, erant extraordinariæ, talesque erant quæ minoribus læsis concedebantur L. 1. & 14. §. ult. Dig. de Minorib. At sublato per jus Justinianeum illo cognitionum ordine, omnes restitutiones jurisdictionis ordinariæ sunt factæ L. ult. C. ubi & ap. quem restit. in integr. Quodsi restitutionem in integrum ordinarium remedium iis in locis dicere velis, ubi locum remedii suspensivi ob quasvis causas liciti subit, vid. §. 398. extraordinarium vero, ubi saltem ob nova argumenta datur, nemo facile repugnabit, dummodo, quid tibi velis, sciat. Certe tunc regula: competente ordinario remedio cessat extraordinarium ex L. 16. Dig. de minorib. huc non quadrabit.

§. CDIV.

Potius id in controversiam venit, num si minor curatoris, aut cliens procuratoris culpa damnum passus est, statim læso per remedium extraordinarium restitutionis in integrum sit succurrendum: an prius actione ordinaria tutelæ vel mandati contra curatorem vel procuratorem læsus experiri debeat, & demum his excussis in subsidium restitui debeat in integrum? Claræ sunt satis leges 13. in fin. C. de judiciis L. 16. pr. Dig. de minoribus L. 8. §. 1. Dig. mandati, quæ procuratores prius excuti, & tunc demum, si actio apparet inanis, restitutionis auxilium superesse jubent. Quia tamen hac ratione lites ex litibus orirentur, in praxi læsi statim solent restitui, indicta saltem procuratoribus mulcta, quia dubium plerumque existit, nec determinari satis potest, quantum procurator clienti sua culpa nocuerit.

§. CDV.

an appellationem excludit? Si vero quæritur, num restitutio in integrum excludat appellationem, & vice versa appellatio restitutionem? respondeo, utramque diversum fontem & fundamentum agnoscere, utramque igitur se invicem subsequi posse, ita ut neutra alteram excludat. Appellatio competit ob gravamen contra priorem judicem, restitutio ob nova argumenta, quæ si demum post appellationem emergunt, peti post appellationem poterit restitutio, quæ tamen tunc non a priori judice petenda, quia per appellationem semel superioris jurisdictio electa. Sin restitutio ante appellationem petita, & circa restitutionem gravamen contra judicem oritur, e. c. si denegat restitutionem, appellari ad superiorem post petitam restitutionem potest, & tunc fallit Brocardicon, quod electo remedio restitutionis regressum ad appellationem dari negat. Nam quia in restitutione novis argumentis insisto, nil intererit, num circa priora bene maleve judicatum sit, nec proinde appellatione opus, quod secus se habet, ubi gravamen ex rejectis novis argumentis oritur.

TITULUS XIV.

DE

Executione Sententiæ.

* *
*

Sententiæ si sponte parere renuit condemnatus executione ad parendum compellitur quæ in bona extra judicis territorium sita solis precibus

bus impetranda. In Germania contra ſubditos mediatos magiſtratus ordinarii, contra immediatos die Crayß-Außſchreibende Fürſten decretam ab Imperatore executionem peragunt. De bonorum ceſſione & competentiæ beneficio, quæ impediunt, ne in ſolidum executio fiat, otioſa quondam in Principum jure fuit materia, hodie tamen competentiæ beneficium locum etiam in Principe debitore habere poſſet, civitatibus autem merito negatur.

§. CDVI.

Ubi circa ſententiam omnia ſe rite habent, & ita comparata ſunt, ut objici illis nihil poſſit, victi eſt eidem parere, quod ſi detrectat, victor ea, quæ fini intento conducunt, adhibebit media. Facillimum eſt alius debiti denegatio, retentio, de qua in Reali Principum Jure L. 3. T. 2. §. 380. & Tit. 4. §. 426. Publica tamen debita & tributa, vel plane obſequium Principi debitum denegari a ſubdito in lite contra Principem victore non poterit, ne hac ratione publica ſalus detrimenti quicquam capiat. Conf. de pactis L. 1. T. 14. §. 392. Cumque omnis vis coactiva ſubditis contra Principem ſit illicita, hoc ſaltem intuitu admitti poterit, quod dicitur, liberalitati Principis tribuendum eſſe, ſi, quod debet, ſolvit, utut perfecte omnino debuerit. Alias vero ſi condemnatus ſponte id, in quod eſt condemnatus, præſtare non vult, locus fit executioni, quæ eſt actus, quo victus compellitur invitus, ad id, quod ſententia jubet, præſtandum.

Executio. quid?

§. CDVII.

§. CDVII.

Fit jure potestatis in subditos. Si litigantes superiorem haud agnoscunt, quod accidere potest, in casu, quo arbitris controversiarum decisio committitur, ipsi belli jure contra invitos id, quod laudo adjudicatum, recte persequuntur. Arbitris enim major potestas, quam quæ a partibus concessa, haud competit, adeoque regulariter nec executio aliter, quam si diserte eadem ipsis commissa. At qui inter subditos cognoscit judex suam, quam tulit, sententiam regulariter etiam jure potestatis in subditos competentis exequitur*. Hæc ubi cessat potestas, etiam exequendi facultas cessabit. Hinc executio extra judicis, qui sententiam tulit territorium, si forte rei bona ibidem sunt sita, solis precibus per literas requisitoriales impetranda. Hinc porro dominus directus licet in causis feudalibus cognoscat, si tamen diversus est territorii dominus, hic executionem in ipso feudo faciet, non dominus directus, utpote qui in alieno territorio jurisdictionem exercere nequit.

* Tunc quoque, ubi summus imperans subdito permittit facultatem propria autoritate invadendi bona debitoris, executio talis nomine & autoritate Principis fit.

§. CDVIII.

Ipse Summus Princeps, ubi se suumve fisci procuratorem, coram suis tribunalibus conveniri patitur, & executio contra fiscum suscipienda, si satisfaciendi media forsan desunt: sisti solet processus, victorque ad pacatiora remitti tempora, ipsique pariter contra suos creditores per moritoria consuli. Rara sunt exempla, ubi Summus Princeps ipsi suo creditori executionem peragere permittit, quale adduximus in Reali Principum jure L. 3. Tit. 2. §. 382. Ceterum ea quæ diximus egregie illustrat sequens Votum ad Imperatorem a Regimine Austriaco & Camera Aulica in causa heredum Baronis ab Unverzagt exaratum.

Gutachten in causa der Unverzagtischen Erben wieder den Cammer Procuratorem begehrten Ansatz.

Der Röm. Kays. auch zu Hungarn und Böheim Königl. Majest. unserm allergn. Herrn übergeben die Nieder-Oesterreichische Regierung

gierung hiemit allerunterthänigst beyliegend Weyland Hanß Christoffen Unverzagten Freyherrn hinterlassene Erben bey ihr Regierung contra den N. O. Cammer-Procuratorem eingereicht Sechst nothdringliches Bitten A. pro ex officio Verwilligung des Ansatz: in welchen sie referiren, was massen sie die wegen 25800. fl. so sie an statt Ihrer Kays. Maj. denen Greiffenbergischen Erben wieder alles Verhoffen bezahlen, und derentwegen über die wieder sie eusserst ausgeführte Execution ihr ererbtes Stamm-Guth Petronell, da sie nicht zugeben wolten, daß ihnen solches noch zu ihren mehrern Schaden vermittelst der gerichtlichen Execution und geringern Schatzung hinweg genommen werde, verkauffen müssen, um die Wieder-Erstattung deren contra ihren Cammer-Procuratorem als Vertretern geklagt, und über die erfolgte Verordnungen den Gebots-Brief erlangt, auch über dessen Intimation laut fernerer Verordnungen die Sachen dahin gebracht, daß ihme Cammer-Procutori die Vollziehung bey Bedrohung des Ansatz zum dritten mahl inner 3 Tagen anbefohlen worden, sey er hierüber auf ihr nochmahln nothdringentliches Bitten mit einem Anzeigen vom 30 Julii einkommen, mit Fürwenden, wie er aus ihrem ihme exequirten Einbringen vernommen, daß sie Regierung wieder Ihro Kays. Majest. unter seinem Nahmen in Schuld-Sachen nicht weniger als wieder andre gemeine Partheyen die Gerichtl. Execution fortlauffen zu lassen, gedacht wären: Er Cammer-Procurator aber erinnere sie Regierung, daß er in dieser Sache die erste Klag und ander Verordnung der Kayserl. Hof-Cammer eingereicht habe. Ob nun dieselbe diese Sachen gen Hof gelangen lassen oder sonst die Enthebung von Hof anbefohlen worden sey ihm nicht wissend, habe derentwegen auch weiter nichts empfangen, und weilen diese Execution keiner Handlung der Nothdurft, sondern nur die Contentirung bedürfte, welche er um willen J. K. M. ihme keine Aemter vertrauet, nicht vollziehen könne, auch die Bezahlung zu leisten, oder der Partheien Obligationes zu examiniren nicht anbefohlen, sondern der Cammer und Buchhalterey Officium wäre: als begehre er, die Unverzagtische Erben dorthin zu weisen, und wenn sie solche Schuld alda nicht erlangen können, Er seines theils ihnen auch dazu nicht verhelffen könne, vermeine also ihr Einbringen wiederum zu ihr Regierung Gerichts Handen zu erlegen, mit Begehren, sie auf J. K. M. oder gedachte Hof-Cammer zu weisen, welch sein Einbringen ihnen

nen mit fürzuhalten, immittelst still zu stehen berathschlaget worden. Darauf berichten sie Unverzagtische Erben, daß sie nichts wolle anfechten, es habe gleich der Cammer-Procurator ihre Klag und andre darauf erfolgte Verordnungen der Kays. Hof-Cammer eingereicht oder nicht, denn bey derselben hätten sie sich keiner Enthebung zu getrösten, weil J. K. M. vermög der Resolutionen die Schuldforderung allergnädigst für liquidiret erkennt, und der Hof-Cammer die Enthebung anbefohlen haben, von deren sie aber bis auf diese Stund einzigen Kreutzer nicht haben können; hingegen aber habe nichts geholffen, sie haben ein als den andern Weg die von ihrem Vorfahren J. K. M. und der ganzen Christenheit zu guten aufgenommene Schulden mit ihrem ererbten Stamm-Gut Petronell, welches ihnen allein noch übrig gewesen bezahlen und solches verkauffen müssen. Und da sie auch schon vorhin die Enthebung bey der Kays. Hof-Cammer noch in tempore als in ihren Vatern und sie die Creditores mit der Execution gesetzt, gesucht, so hätten sie doch nichts erlangen, noch weniger ihr Suppliciren und Einbringen mehr haben können: Wie denn gleichfals sie Regierung noch bereit vor einem Jahre ihre Einbringen J. K. M. nach Hof überreicht, die denn solche auf die Hof-Cammer remittirt, von deren sie aber biß dato einigen Bescheid nicht bekommen mögen, noch sich auch ihre Einbringen mehr finden wollen.

Bey solcher Beschaffenheit, da ihnen der Weg zur Justiz gesperret sey, und sie erst mit Sollicitiren bey der Hof-Cammer das ihrige einbringen solten, sie sich zu ewigen Zeiten keiner Bezahlung nicht zu getrösten hätten, sondern sich des ihrigen gewißlich verzeihen müsten.

Und weilen J. K. M. sich selbst der Justiz unterworffen auch sowohl active als passive gegen den Partheien zu recht stehen, wie denn der Cammer-Procurator wo er Ihr. Maj. partes active vertrette, wieder die Partheien die Execution führen thue: so verhoffen auch sie, daß ihnen in dieser billigen und lautern Schuld-Sache die Execution nicht gesperret werde. Daß sie aber wieder J. K. M. unter seinen Cammer-Procuratoris Nahmen klagen, beschehe nicht darum, daß er für sein Person die Bezahlung leisten solle, sondern sie werden wieder ihn, weil er des Landsfürstl. Fisci Vertreter seye zu klagen, eusserst gedrungen, wissen auch kein anders

Mittel,

Mittel, weil von der Kayſ. Hof-Cammer die Enthebung nicht erfolgen wolle. Wie ſie deſſen, ſo ſie mit ihrer äuſſerſten Ruin für J. K. M. bezahlen müſſen wiederum habhaft werden können, als daß ihnen ſowohl wie gegen ihnen beſchehen, die Juſtiz ertheilet werde. Bitten demnach zum Sechſten mahl ihnen in Anſehung der Billigkeit ungehindert des Cammer-Procuratoris Einbringens über die hievor erfolgte äuſſerſte Bedrohung den gebethenen Anſatz ohne einigen weitern Anhang zu erwilligen.

Welches ihr Unverzagtiſchen Erben bewegliches Einbringen und petitum zwar Sie Regierung denen Rechten und Billigkeit nicht ungemeß befinden, auch ihrer Pflicht und Inſtruction nach die fernere Execution billig ertheilen ſolten. Weil aber J. K. M. ſich auf beyliegend ihr Regierung eben in dieſer Materia noch im Monat Julio übergebenes Gutachten hiebey B. den 14. Aug. hernach ut C. allergnädigſt dahin reſolviret, daß ſie Regierung biß zu Einlangung des von der Kayſ. Hof-Cammer abgefoderten Gutachtens und Dero ferner erfolgten allergn. Reſolution mit der Execution einen Stillſtand halten ſolten, haben ſie Dero allergn. Befehl ein gehorſamſte Vollziehung leiſten wollen.

Und obwoln weniger nicht, daß ſie die Unverzagtiſche Erben durch den ſo langen Aufzug der Enthebung um ihr Haab und Gut kommen und ihnen die gebetene Execution wie wieder ſie beſchehen, billig zu ertheilen wäre: So haben doch Regierung hingegen dabey billig in Conſideration gezogen, da erſtgedachte Einſtellung nicht im Wege lege, und ſie Regierung unter den Nahmen des Cammer-Procuratoris wieder J. K. M. ſelbſten in dergleichen Schuld-Sachen einen Anſatz fertigen lieſſen, derſelbe etwa auf ein Kayſ. Amt oder Gefell exequirt werden möchte, und wäre nur um einmahl zu thun, damit der Weg eröfnet würde, ſich ſodann ſchon mehr befunden, die eben dieſe Mittel ergreiffen und hinfür nicht mehr ſo viel bey Hof und denen Cammern um ihre Contentirung ſollicitiren würden.

Dannenhero J. K. M. ſie Regierung obbemelt ihr der Unverzagtiſchen Erben eingereichtes Bitten mit allergehorſamſten Reſpect allerunterthä-

terthänigst fürzutragen für eine unumgängliche Nothdurft geachtet mit allergehorsamster Bitt J. K. M. geruhen sich bey so beschaffener Sachen hierüber allergnädigst resolviren, und sie Regierung zu bescheiden, wessen sie sich ferner zu verhalten haben, deren zu beharrl. Kays. und Landsfürstl. Hulden und Gnaden Regierung sich allerunterthän. befehlend.

Kayserl. Resolution.

Ad Cameram Aulicam, die solle diese Sachen in Berathschlagung ziehen und durch was Mittel die Unverzagtische Erben zu contentiren, oder in etwas zu stillen seyn möchten ihr Gutachten in nächster Ordinanz fürbringen.

Gutachten der Kayserl. Hof-Cammer.

Der Röm. Kays. auch zu Hungarn und Boheim Königl. Majest. Unsern allergn. Herrn von Deroselben Hof-Cammer in aller Unterthänigkeit zu übergeben mit gehorsamster Erinnerung Sie Hof-Cammer könne auf gegenwärtiges Jhro zu decretirtes der N. O. Regierung berichtliches Anzeigen und gebetene Verbescheidung ein anders Gutachten allerunterth. nicht eröfnen, als was albereit vorhero in dem von denen Unverzagtischen Erben selbsten an J. K. M. allergehorsamst gestellten Einbringen und Bitten hiebey sub Num. 1. angedeutet worden. Wie sie denn nachmahln keineswegs um die in gemeldter Beylag deducirter erheblicher bedencken Willen, denen Supplicanten die Execution wieder Dero Cammer-Procuratoren zu ertheilen, weniger einigen Ansatz auf Jhr Maj. Amt eines führen zu lassen, rathsam zu seyn befindet, sondern wolte der unvorgreifl. allergehorsamsten Meinung seyn, weil derley prætendenten führende Klagen nicht in einer geringen Anzahl, die sich doch alle um gegenwärtige Zeit und Lauff willen insgemein gutwillig gedulten müssen. J. K. M. geruheten diesfals eine General Resolution ergehen zu lassen daß alle gleiche Supplicanten ad pacatiora tempora zu weisen, ihnen aber auch gegen ihren ungestümen Creditoren gleiche Verschonung ertheilet werden solle, dessen denn auch die N. O. Canzley zu erinnern, und von Hof aus an dieselbe die weitere Nothdurft auszufertigen seyn

würde

würde. Jedoch alles zu J. K. M. allergn. Gefallen anheim geſtellt, Dero beharrl. Kayſerl. Gnaden und Landsfürſtl. milden Hulden ſich die Hof-Cammer in allerunterthänigſten Gehorſam empfehlend.

Fernere Kayſerliche Reſolution.

Wiederum auf die N. O. Regierung und wollen J. K. M. aus neben vermelten Urſachen die wieder den N. O. Cammer-Procuratoren führende Execution allerdings eingeſtellt, denen Herrn Supplicanten aber auch wieder ihre Creditoren Sechs Monath Termin verwilligt haben.

§. CDIX.

In Imperio Germanico ſententias in mediatos latas magiſtratus ordinarius ſeu territorii dominus exequitur, in immediatos die Crayß ausſchreibende Fürſten * (nomine tamen Imperatoris, qui ſine ſtatuum conſenſu executionem decernit) Vid. Rec. Imp. 1654. §. 160. Inſtrum. Pac. art. 16. §. 2. Capitul. Caroli VI. art. 12. & ſi intereſſati ſunt die Creyß-ausſchreibende Fürſten, eines oder mehr benachbarte Creyſſe, hisque nolentibus in Imperatoris eſt arbitrio, cui demandare executionem velit. Ord. Cam. part. 3. tit. 49. §. 7. Nimirum latis in Camera Imperiali ſententiis inſeritur clauſula de docendo intra præfixum tempus, paritionem eſſe factam, ſub pœna vel ordinaria decem marcarum auri puri, vel extraordinaria judicis arbitrio determinanda. Si reus intra hunc terminum, ſententiæ eſſe ſatisfactum, non denuntiat judici, elapſo termino actor implorat judicem, ut reum ob non factam paritionem in pœnam ſententia contentam declaret, & mandatum de exequendo ** an den Creyß ausſchreibenden Fürſten cum condemnatione in expenſarum & damnorum refuſionem concedat.

contra Germaniæ ſubditos mediatos a territorii domino, contra immediatos von den Creyß ausſchreibenden Fürſten.

* Differunt Directores circuli die Creyß ausſchreibende Fürſten a Ducibus circuli, ſeu præfectis militiæ circularis, Creyß-Obriſten Vid. Inſtr. Pac. art. 16. §. 2. Directores Ducibus demandare ſolent executionem.

 ** Differt

** Differt mandatum de exequendo ab executorialibus, seu præcepto executivo. Executorialia dantur ad reum. Mandatum de exequendo vero ad circulum vel judicem ordinarium.

§. CDX.

An & executio sententiarum judicii Aulici.

Quod in executione sententiarum Cameralium præteriri die ausschreibende Fürsten non possint, clara citati Recessus docent verba. At num idem obtineat circa sententias in judicio Aulico latas, acriter sæpius inter Imperatorem & status disceptatum. Imperator pro lubitu, cui velit, id negotii se demandare posse, seque nullis hoc in passu legibus adstrictum, status econtra ea, quæ de judicio Camerali hoc in passu sunt disposita etiam de judicio Aulico esse accipienda prætendunt, & tum in causa Donawerdensi, ubi utut Donawerda Svevico circulo sit adscripta, tamen ab Imperatore Rudolpho II. 1607. executio Electori Bavaro erat mandata, tum aliis occasionibus acriter contradixerunt. In causa Donawerdensi Imperatoris jura tuebatur Relatio Donawerdensis, cujus autor creditur *Guil. Jocherus*. At circuli partes propugnabat, eumque tum demum præteriri posse, ubi director vel præfectus (e. c. in propria causa) minus est idoneus, defendebat Informatio juris & facti in causa Donawerdensi autore, ut creditur, *Sebastiano Fabro*. In causa Gustroviensi *Jacobus Bernhardus Mulzius* Imperatoris in Consilio Imperii Aulico Consiliarius jura Cæsarea anonymus sequentibus scriptis deducere allaboravit 1) in dissertatione de Officio Directorum & Ducum Circularium in executione sententiarum 1697. ubi inter alia ad R. J. Augustan. 1555. § 65. provocatur, quodque scriptum Germanice quoque extat in *Anton Fabri* Staats-Cantzley Tom. 3. p 81. 2) in Examine scripti de jure exequendi sententias directoribus circulorum competente 3) in zwey Schreiben eines Freundes an einen Freund in der Mecklenb. Güstroischen Successions-Sache 4) in der Untersuchung der so genannten gründlichen Behauptung des Reichs und der Creyssen Gerechtigkeit die Vollziehung der Urthel betreffend 1699. 4. At opposuerunt se ipsi *Henr. Coccejus* in scripto anonymo de jure exequendi sententias Imperiales Directoribus circulorum competente 1698. 4 edito pariterque Germanice translato, & *Christ. Thomasius* in thesibus Juris publici oppositis dissertationi anonymi de officio Directorum & Ducum Circularium in executione sententiarum, nec non Au-

tor

tor der gründlichen Behauptung des Reichs und der Creyssen-Gerechtigkeit die Vollziehung der Urthel betreffend. Addatur dissertatio de jure exequendi in Imperio, quam sub præsidio *Michaelis Graßi* habuit *Jo. Jacob Moser* Tubing. 1720.

§. CDXI.

Tempus *, quo sententia lata executioni mandari debet, a legislatoribus diversimode præfinitur. Ubi ante decendium sententia in rem judicatam haud transit, nec prius eam executioni posse mandari, manifestum. Sed ulteriorem quoque moram condemnato concedere, æquum videtur, ne nimium præcipitato auferatur tempus & occasio conquirendi media ad paritionem necessaria. Jure Romano in actione reali condemnato res statim aufertur manu militari L. 68. Dig. de rei vind. §. 2. Inst. de Off. Jud. quod & ad res commodatas, depositas, utut personali actione petitas, extenditur arg. L. 31. Dig. de re judic. Alias in actione personali quadrimestre spatium solutioni rei judicatæ indulgetur L. 2. & 3. C. de usur. rei jud. L. 7. Dig. de re jud. cap. 15. X. de sent. & re jud. Jure Saxonico tempus judicati indistincte est 14. dierum a præcepto executivo, quod judex ad victoris petitionem, postea quam sententia in rem judicatam transiit, condemnato insinuari curat Land-R. L. 1. art. 70. L. 2. art. 5. Ord. Proc. Recogn. tit. 39. In Camera Imperiali vero tempus judicati ordinarium est sex septimanarum, trium dierum teste *Gailio* de pac. publ. Lib. 2. c. 17. num. 25. Sed solennes sunt de lenta in Camera executione querelæ, & victori, cui angustiores sunt facultates, post omnes impensas processus, justitiæ causæ & sententiæ solum triste remanere solatium, fatetur *Ludolf.* de Jur. Cameral. p. 54. *quando?*

* Ob peculiarem causarum quarundam favorem ipsi processus ab executione inchoantur, sine prævia partis adversæ citatione, quorsum spectant casus, quibus in Camera Imp. mandata sine clausula decernuntur.

§. CDXII.

Modus, quo executio peragitur hic est. Si aliquid faciendum, vel *quomodo?*

non faciendum sub pœna certa in sententia imperatum, in casu non secutæ paritionis pœna illa exigitur. Sin res quædam præstari vel restitui est præcepta, nec sponte illa tradita, mobilis aufertur, & victori traditur, ex immobili autem condemnatus exmittitur, & victor immittitur, vel saltem, si actionis indoles ita postulat, victori administratio conceditur, aut si hic rationum reddendarum onus reformidat, ad ipsius petitum sequester constituitur. Si denique debiti solutio injuncta, nec eadem post liquidum constitutum intra tempus præfinitum peragitur, executio primum fit in mobilia, hisque non sufficientibus, in immobilia, tandemque in jura & nomina debitoris activa L. 15. §. 2. Dig. de re jud. Cambio hoc peculiare est, quod executio statim fit in personam. Alias enim semper prius fit in bona, & demum in subsidium in personam Land-R. L. 2. art. 39.

§. CDXIII.

Exmissio Quibusdam in locis ut in Saxonia creditoris arbitrio relinquitur, quam in bonorum speciem executionem fieri velit, huncque in finem a condemnato juratam indicationem eine eydliche Anzeige potest exigere. Bona mobilia statim sub hasta publice venduntur. In immobilia seorsim * suscipitur executio realis, sive in specie sic dicta, immissio, & subhastatio. Conf. *Jo. Godofr. Kraus* Tr. de Processu judiciario L. 1. c. 6. Sect. 4. §. 13. sqq. *Executio realis* fit auferendo, actosque inserendo, vel in judicio asservando nonnihil ex re illa e. c. ex ædibus festucam excisam, einen aus der Thür oder Balcken ausgeschnittenen Span, ex horto ramum abscissum, einen abgehauenen Zweig oder ausgerissene Blume, ex vinea vitem effossam, einen ausgehebten Weinstock, ex agro vel prato glebam einen ausgestochenen Rasen, quo facto creditor *PIGNUS* judiciale in iis bonis consequitur L. 2. C. qui pot. in pign. L. fin. C. de execut. rei jud. L. 15. §. 2. Dig. de re jud. Ficte vel repræsentative hæc executio fit, dum debitor judicialiter, sive in scriptis declarat, se velle executionem ut realiter factam agnoscere.

* At præstare videtur, si juxta juris Romani placita executio, exmissio debitoris & immissio victoris uno actu perficiuntur L. 15. §. 2. Dig. de red. jud.

§. CDXIV.

§. CDXIV.

Realem hanc ſive in ſpecie ſic dictam executionem excipit *immiſſio*, *Immiſſio* per quam creditor in poſſeſſionem rei, in quam executio erat facta, immittitur, adhibito nonnunquam actu ſolenni ac ſymbolico e. c. extinguendo & accendendo iterum ignem in foco, aperiendo conclave, clavemque vel ſellam, aut ſi in agrum ſit immiſſio glebam, ſi in vineam vitem &c. creditori tradendo, libros cenſuales vel proventuum ſpecificationem creditori exhibendo. Ficte iterum hæc immiſſio facta cenſetur, ſi debitor judicialiter declarat, ſe immiſſionem ut actualiter factam agnoſcere, aut vi privata illam impedit L. 13. Dig. de reb. aut. jud. poſſidend. Tribuit hæc immiſſio *POSSESSIONEM ET JUS FRUCTUS* percipiendi L. 2. C. de acquir. & retin. poſſeſs. cum onere tamen rationum reddendar. & culpam levem præſtandi conjunctum L. 17. 20. C. de neg. geſt. quod onus per ſequeſtri petitionem & publica autoritate factam conſtitutionem declinatur.

§. CDXV.

Quodſi ex fructibus creditori ſatisfieri nequit, ſequitur *ſubhaſtatio* publica, ad quam promovendam conſignatio pertinentiarum pariter rerumque ad inventarium ſpectantium, & ſi de feudo ſubhaſtando agitur, bonorum allodialium der Erb-Stücke, quæ cohærent, ac onerum & jurium, quæ per ſubhaſtationem non extinguuntur, qualia ſunt ſervitutes & reſervata die Auszüg: præmittitur, & ſi res majoris momenti videtur, taxatio, harumque per programma ſubhaſtationis (Subhaſtations-Patent) publicatio, ubi ſimul terminus licitationis præfigitur, in quo plurimum licitans rem conſequitur, niſi primus licitans durante ſubhaſtatione ad idem ſe offerat L. 7. Dig. de in diem addict. L. 4. §. fin. eod. quod tamen beneficium in Saxonia Electorali per Ord. Proc. Recogn. Tit. 39. §. 16. ſublatum. Subhaſtatione peracta a judice ad licitatoris inſtantiam præfigitur terminus *adjudicationis*, quo pretium ſolvendum, & ad quem debitor etiam tanquam venditor citandus arg. L. 4. C. de diſtract. pign. creditores non item arg. Nov. 18. c. 5. Per adjudicationem ipſum demum acquiritur *DOMINIUM* vel ſaltem (ſi nimirum res debitoris non eſt propria ſed aliena) uſucapiendi conditio §. ult. Inſt. de off. jud. L. 17. Dig. de uſuc. *Subhaſtatio*

dummodo pretium ſolutum aut fides de eodem habita L. 5. §. 1. Dig. de jur. fiſc. §. 41. Inſt. de rer. diviſ.

§. CDXVI.

Executio in nomina activa

In nomina debitoris activa, ausſtehende Schulden, executio ita peragitur, ut debitoris debitori, & quidem, ſi alterius judicis jurisdictioni ſubeſt, mediante judicis competentis requiſitione, petita a creditore executio inſinuetur, eidemque interdicatur, ne creditori quicquam vel ſortis vel uſurarum ſolvat, ſed debitum adveniente termino ſolutionis apud judicem, a quo executio decernitur, data ab eodem apocha cui liberationis effectus tribuitur, deponat. Ad debita tamen cambialia deponenda debitoris debitor adigi aliter nequit, quam reſtitutis literis cambialibus, aut annotata in iis ſolutione.

§. CDXVII.

Impedimenta executionis

Differunt, imo impediunt executionem exceptiones peremtoriæ in continenti liquidæ, ante ſententiam non oppoſitæ. (Antea enim oppoſitæ, & in ſententia præteritæ, tanquam inadmiſſibiles rejiciuntur) it. interventio in continenti liquida. Nam ſi altioris indaginis, aut interveniens litem diu jam agitatum noverit, non admittitur. Pariter ſi creditorum concurſus ſuboritur, executio tam diu differenda; donec appareat, non adeſſe, qui fortius jus docere valeat. Renuntiatio rei judicatæ executionem plane tollit. Tacite autem rei judicatæ renuntiatur novatione, ſi obligatio ex re judicata orta in aliam transfunditur, a qua proinde victori ſedulo cavendum it. præſcriptione. Res quippe judicata per 30. annos neglecta vim amittit.

§. CDXVIII.

Pactum remiſſorium majoris partis

Quo minus in totum fiat executio efficit *pactum remiſſorium majoris partis* in concurſu creditorum, ceſſio bonorum, & competentiæ beneficium. Ubi in creditorum concurſu major pars chirographariorum pactum remisſorium cum debitore iniit (æſtimatur vero major pars pro debiti cumulo, non pro perſonarum numero L. 8. Dig. de pact.) reliqui etiam tantundem

pro

pro rata remittere tenentur. Fundamentum hujus rei arcendum ex L. 7. §. 17. 18. 19. & L. 10. Dig. de pact. nec non L. 8. C. qui bonis ced. poss. & extensiva* earum interpretatione, cui forte originem dedit glossa *Accursii* ad cit. §. 19. L. 7. Dig. de pact. Praxi & observantia ** ubi hæc interpretatio est firmata, merito eidem insistitur. Conf. de pactis L. 1. T. 14. §. 396. At ubi illa doceri nequit, cum durum sit, pacto inter alios inito reliquis invitis jus suum auferre, & nihilosecius miserandæ debitoris conditioni contra inhumanam nimis duri creditoris exactionem subvenire æquum videatur, prudenter pactum remissorium ad eos solos, qui illud inierunt, restringitur, & contra reliquos creditores debitori, citra suam culpam bonis lapso, per literas moratorias consuletur. Conf. *Jo. Georg Werenberg* diss. qua pactum remissorium majoris partis chirographariorum in Concursu Creditorum non esse juris Romani evincere cupit. Hal. 1729. Certe cum omnis hæc pacti remissorii vis, in quantum ad alios non consentientes, porrigitur ex civili instituto descendat, Principi obærato frustra inde sperabitur levamen.

* Loquuntur enim citatæ leges partim de casu, quo *heres* adire hereditatem aliter non vult, quam si certa debitorum pars remittatur, quod extendi non protinus debet ad pactum remissorium *cum ipso debitore* a majore parte initum, partim de casu, quo creditores dissentiunt super eo an debitori bonis cedendum, an induciæ indulgendæ, quod utrumque iterum differt a pacto remissorio. Hoc enim non præcise omnium bonorum cessionem involvit.

** In terris Saxonicis & Brandeburgicis talis observantia publicis legibus probata viget.

§. CDXIX.

Beneficium cessionis

Per flebile ac miserabile *cessionis beneficium* debitor, citra suam culpam bonis lapsus, si bona sua se creditoribus deserere profitetur, bonorumque copiam ejurat i. e. si jurat, se in bonis non habere *, a carcere solo liberatur, adeo ut executio saltem in bona ipsius, non vero in personam fieri possit. Neque vero debitor per cessionem bonorum a debito penitus

 libera-

liberatur, ſed conveniri ad meliorem fortunam reverſus deſuper iterum poteſt, quo tamen caſu competentiæ beneficio gaudet Conf. Tit. Cod. qui bonis cedere poſſ. & Tit. Dig. de Ceſſione bonor. Nov. 135. Nec exceptio ceſſionis bonorum fidejuſſori prodeſt §. ult. Inſt. de Replicationib. Nec ipſi debitori principali in debitis cambialibus, quia ibi principaliter in perſonam executio fieri debet. Ad quæſtionem, num inter Principes uſum præbeat ceſſionis beneficium? breviter reſpondeo, eodem illos plane non indigere. Supponit enim debitorem, qui manibus creditoris adjudicari, aut compedibus vinctus ob æs alienum teneri poteſt *, **, & cui contra hanc ſeveritatem dicto beneficio ſuccurrendum. At cum ejusmodi ſeveritas a Principum illuſtriumque perſonarum dignitate ſit aliena, nec opus erit, ut contra eandem dicto ceſſionis beneficio remedium quærant.

* Quod ſalva exiſtimatione fieri poteſt. At decoctores bonis cedendo corporis ſupplicium quidem evitant, non autem infamiam.

** Quorſum ſpectat Land-R. L. 3. art. 39. Weichbild art. 27. Denn der Schuldner dem Gläubiger an die Hand gewieſen wird, daß er die Schuld loß arbeite oder loßſitze.

§. CDXX.

Competentiæ beneficium

Pinguius eſt, & cumulari cum bonorum ceſſione poteſt *competentiæ beneficium*, ſive privilegium perſonale, vi cujus contra debitores certos executio in ſolidum fieri nequit, ſed ipſis neceſſaria vitæ ſubſidia ſunt relinquenda. Naturali jure eo ipſo dum ſubſidiaria proximos ſuos alendi obligatio cuivis incumbat, competentiæ beneficium locum habere videtur, quoties executio ſuſcipienda contra eum, qui creditoris eſt proximus, cum ſatius longe ſit, neceſſaria vitæ ſubſidia ſtatim relinquere, quam, iis prius aſſumtis, fruſtatim eadem reddere. Hinc beneficium hoc naturaliter competit parentibus & liberis, utut emancipatis, fratribus, item conjugibus, in quibus & alia ratio a communione bonorum petita accedit. Quod & jura civilia probant de parentibus L. 7. §. 1. Dig. de obſeq. parent. præſtand. de liberis L. 18. & 30. Dig. de re judic. L. 18. Dig. ſolut. matrim. de conjugibus L. 14. & 20. Dig. ſolut. matrim. ex qua ſimul diſcitur, ne

renun-

renuntiationem quidem, injuratam * ſcil. huic beneficio obeſſe. ** Quoad fratres licet jure civili ſubſidiaria alendi neceſſitas ceſſet, competentiæ tamen beneficium ipſis tribuitur arg. L. 63. Dig. pro ſocio.

* Aliis, injurata quoque hujus beneficii renuntiatio obeſt. Tacite autem eidem haud renuntiaſſe cenſetur, qui *integra* debita ſe ſoluturum promiſit.

** Putativis conjugibus competentiæ beneficium haud competere, quia ea, quæ ex privilegio ſunt, ad putativa matrimonia haud pertinent, poſt *Fachinæum*, *Hilligerum*, *Brunnemannum*, *Lauterbachium*, docet *Hertius* de Matrim. putativ. §. 37. At enim vero cum hoc beneficium non ex ſolo Principis privilegio, ſed ipſo naturali jure, ipſaque matrimonii indole fluat, haud abs re putativis etiam conjugibus illud vindicabitur.

§. CDXXI.

jure civili extenſum

Imo ulterius civilia jura hoc competentiæ beneficium extendunt, illudque præterea tribuunt ſocero L. 21. 22. Dig. de re judic. L. 15. 17. Dig. ſolut. matrim. donatori L. 12. Dig. de donat. (cui naturali jure illud vindicari vix poterit, quia imperfecta eſt gratitudinis lex) patrono, qui ſervum manumiſit §. 38. Inſt. de Actionib. L. 17. & 49. Dig. de re jud. domino feudi cui illud ex natura pacti feudalis merito vindicatur 2. feud. 55. ei, qui bonis ceſſit, intuitu debiti ante ceſſionem contracti, ſi proſperior poſtea ipſi fortuna obtigerit L. 4. 6. Dig. de ceſſ. bonor. §. ult. Inſt. de Act. denique & militibus L. 6. & 18. Dig. de re jud. Ut vero competentiæ beneficio locus fiat, civiles leges requirunt, ut debitor citra culpam caſu deſierit eſſe ſolvendo, & cautionem de reſiduo, ſi ad pingniorem pervenerit ſortem, ſolvendo præſtet L. 1. §. 7. C. de rei uxor. act. quæ tamen promiſſoria ſufficit L. 3. C. de Verb. & rer. ſignif. In tantum etiam leges civiles competentiæ beneficium reſtringunt, ut, quod actu jam a debitore ſolutum, ſub hujus beneficii obtentu repeti indebiti condictione nequeat L. 9. Dig. de condict. indeb. Plane fidejuſſorem competentiæ bene-

neſi-

neficium, quod principali debitori prodest, non juvare, tum naturalis ratio, tum lex civilis præcipit L. 63. Dig. pro socio L. 28. Dig. de re judic.

§. CDXXII.

Nobilibus vindicatur

Nobilibus illustribusque personis num, & quatenus competentiæ beneficium prosit, hic inprimis dispiciendum. Equidem si illa simul qualitas in nobili debitore concurrit, ob quam ignobilis competentiæ beneficio gauderet, si e. c. est parens, maritus, donator, miles &c. nulla plane apparet ratio, cur denegari eidem hoc beneficium debeat. At num cessante omni tali qualitate ob solam dignitatem competat? proponitur. Affirmativa magno suavique concentu propugnatur a Doctoribus, *Jasone*, *Tiraquello*, *Linnæo*, *Wesenbecio*, *Richtero*, *Carpzovio*, *Mevio*, *Struvio*, *Stryckio*, *Bergero* speciatimque *Jo. Balthas. Wernhero* in diss. de beneficio competentiæ generatim, speciatimque Nobilibus concesso Viteb. 1709. ubi & hanc in rem præjudicia varia occurrunt, tum Facultatis Vitebergensis de 1686. in causa contra Valent. Melch. von Hausen it. in causa der Fugmannischen Erben contra Arnstedt, tum supremi Appellationum Senatus Dresdensis de 1700.* Fateor tamen, rationes, hanc in rem afferri solitas, non omnino mihi satisfacere.

* Idem tamen Senatus liberis nobilium, vivo patre, hoc beneficium denegavit 1708.

§. CDXXIII.

non quasi militum privilegia ipsis applicanda

Provocatur scil. ad privilegium militibus concessum, vi cujus eatenus saltem, quatenus facere possunt, solvere coguntur per dicta §. 421. At cum militum appellatione nobiles sæpissime tum civili tum Canonico tum feudali jure veniant, militum quoque jus speciatimque competentiæ beneficium ipsis esse tribuendum, contenditur. At enim vero non patitur privilegiorum indoles, quæ restrictivam interpretationem requirit, ejusmodi extensionem, præsertim cum restrictiva ipsius L. 18. Dig. de re judic. verba: qui sub armata militia *stipendia* meruit, mentem legislatoris tam late haud patere, satis superque innuant.

§. CDXXIV.

§. CDXXIV.

Interim non deesse reor aliam, eamque validam satis ac fortem rationem, qua nobilibus illustribusque personis competentiæ beneficium merito vindicatur. Hunc quippe in finem conceditur nobilitas, ut eadem donati præ reliquis dignitate emineant. Hunc qui finem intendit summus imperans media quoque ad eum necessaria concedere censetur. At cum per solam indigentiam, quodque casu quis solvendo esse desiit, nobilitas haud amittatur, ea per ipsam nobilitatem concessam imperantis declaratur intentio, ut nobili tali, si forte debitis obruatur, tantum tamen relinquatur, quantum ad tuendam nobilitatis dignitatem ipsi est necessarium, si nimirum aliunde media ad tuendum nobilitatis splendorem necessaria sibi comparare nequit. Unde Colonello ad hoc competentiæ beneficium provocanti, quoniam actu officio fungebatur, ferendo nobilitatis splendori haud impari, illud merito negabatur. Porro cum adductum pro vindicando nobilibus competentiæ beneficio fundamentum in præsumta summi imperantis voluntate positum sit, per contrariam utique ejus declarationem auferri illud pariter nobilibus poterit, prout de Nobilibus Marchiæ Brandeburgicæ observat *Stryck* ad Lauterbach Tit. quod cum eo qui in alien. potest. p. 421.

sed ob imperantis voluntatem tacite declaratam

§. CDXXV.

Ipsis Principibus, cum ne hi a ludentis fortunæ procellis penitus sint immunes, sed ipsorum e terris, ditionibus, imo regnis ad summam egestatem deturbatorum exempla omnis ævi historia sistat, miserum sane competentiæ beneficium haud quidem invidebitur. At præcavetur domanialibus Reipublicæ bonis annuisque reditibus sustinendæ imperantis dignitati destinatis, quo minus eodem recurrendi nascatur occasio. Pristinis Germanis inaudita exempla Principum, qui succubuere alieni æris onere & creditorum concursu, ut vel bonis cedendum, vel asylum requirendum in beneficio competentiæ, qui ferreis literis se muniverunt, ad quas expalluerit eorundem encaustum, tantæ olim fidei, amplitudinis & dignitatis: sed nostram ætatem talia portenta ferre, querela est Domini *de Ludewig* de donationib. p. 125.

An Principibus beneficium competentiæ applicandum?

§. CDXXVI.

§. CDXXVI.

an civitatibus?

Mysticis personis & civitatibus Doctores pariter competentiæ beneficium passim vindicant, speciatimque *Manzius* in patrocinio debitorum part. 3. qu. 4. n. 137. *Carpzov.* in asylo debitorum cap. 1. §. 48. *Mevius* in norma æquitatis, sive discussione levaminum inopiæ debitorum cap. 4. Sect. 7. n. 37. quos contra disputat & civitatibus illud denegat *Caspar Henr. Horn.* in dissertatione peculiari de beneficio competentiæ civitatibus non competente Viteb. 1706. Affirmantium rationes huc potissimum redeunt: Publicam salutem supremam esse debere legem, hanc vero detrimentum capere, si bona, magistratuum salariis, aliisque publicis sumtibus destinata, creditorum solutioni impenderentur, eoque ipso civitas dissolveretur, & quemadmodum debitor, qui solvendo non est, vita tamen non luit miseriam, sic nec universitatem, cujus in dissipatione mors est, ad eam per debitorum molem esse adigendam, sed tantum ipsi relinquendum, quantum ad continendam corporis compagem necessario requiritur, quo facto ipsi creditorum cohorti ex futura administratione commodum accedere.

§. CDXXVII.

Neg.

At, qui negativam tuentur, regerunt: civitatis causam publicam haud esse, sed civitatem pro privato haberi, si ipsi res cum creditore extraneo, ubi vero creditor ipse est civis, iniquum esse hunc unum ferre, quod cuncta civitatis membra potius dividere inter se pro rata deberent, neque ex debitorum solutione protinus sequi civitatis dissolutionem, alia suppetere media, vendenda esse bona civitatis communia, hisque deficientibus cives conferre debere in commune necessaria, quod si nolunt, eoque efficiunt, ut civitas pereat, sibi imputent, nec Princeps superior suo tunc deerit officio, novum tali civitati, se ipsam dissolventi, magistratum constituendo. Commodo autem quod creditoribus ex futura administratione promittitur, supersedere poterunt, si ipsis ex bonis civitati ablatis satisfactio obtigit. Quæ rationes omnino evincunt, cuncta prius communia civitatis bona creditoribus in solutum esse danda, quæque in posterum publicæ rei necessaria videbuntur a singulis membris per tributa imperata exigenda. Quæ vero cives postea de novo in commune conferunt

a pris-

a priſcis debitoribus, quibus abdicata cuncta communia civitatis bona haud ſuffecerunt, prætendi aliter non poterunt, quam ſi ſinguli cives pro civitate ſe obligaverint, quo caſu non modo in commune jam dum collata creditoribus cedunt, ſed & ipſis ex aſſe a ſingulis illis, qui intercelſerunt, ſatisfaciendum.

TITULUS XV.

DE

Proceſſu Criminali.

* *
*

Criminaliter contra ſubditos ſolos agitur. Contra illuſtres ſubditos ut inquiſitio inſtituatur, aut plane ad capturam deveniatur, graviora longe, quam in quibusvis aliis, requiruntur indicia. Neque illuſtres torturæ ſubjici ſolent, ac ſi Principis juſſu extra ordinem eidem ſubjiciuntur, modus eiusdem non ad communem torturæ doctrinam exigitur. Urphedam ab illuſtribus quoque præſtitam deprehendimus, parum tamen magnifice de eius uſu ſentimus.

§. CDXXVIII.

Criminaliter quatenus contra illustres agitur.

Damni delicto dati reparatio a summo etiam Principe juste petitur, quia illum pariter naturale de nemine lædendo præceptum tangit, criminaliter vero ad pœnam proprie dictam sustinendam, illustris persona tunc demum potest conveniri, si alius imperio & jurisdictioni subest, quia omne puniendi jus a superiori quadam potestate debet proficisci. Quando ab accusatore quodam criminis pœna expetitur, tunc talis processus criminalis vocatur *accusatorius*, quando vero ipse judex in criminis admissi veritatem & auctorem ad eundem puniendum inquirit, *inquisitorius* audit. Modus, quo in utroque proceditur pro locorum & temporum diversitate variat.

§. CDXXIX.

Processus accusatorius

In accusatorio processu ordinarius procedendi modus observandus arg. L. ult. C. de accus. & Ord. Crim. art. 89. per solennem libellum, sive oretenus, sive in scriptis prolatum, litis contestationem, probationem & reprobationem. Libellus tempus & circumstantias delicti ad illud facilius elidendum contineat L. 3. Dig. de accus. Non tamen petitum speciale requiritur, sed sufficit generalis pœnæ petitio, nec reprobatio accusato præcluditur, etiamsi terminus eidem præfinitus jam elapsus, quod ob singularem defensionis favorem ita obtinet. Quæ circa responsionem & probationem in inquisitorio processu observantur e. c. quod ficta contumacis confessio ad pœnam capitalem haud sufficiat, it. quod probatio luce meridiana clarior requiratur, nec juramentum suppletorium admittatur, multo magis in processu accusatorio tanquam solenniore obtinent.

§. CDXXX.

an Procuratorem admittit?

Liberi parentes accusare haud sinuntur, nisi in perduellionis crimine Nov. 115. c. 3. Jam olim filius Q. Vibii Sereni patrem in Senatu accusasse ob insidias Tiberio structas legitur apud *Tacitum* Annal. L. 4. c. 28. Procurator ad crimen judicii publici (ex quo sequi solet pœna usque ad relegationem L. 1. Dig. an per alium causæ appellationum reddi possunt) persequendum multoque magis ad defendendum frustra intervenire dicitur L. 13. §. 1. Dig. de publ. jud. At per Ord. Crim. art. 12. ibi: Der

Anklä-

Ankläger oder sein Gewalthaber pro accusatore procurator admittitur, quidquod pro accusato etiam admitti solet, si ad pœnam corporis afflictivam perveniri nequit. Quod nec aliter se habet in personis mysticis & universitatibus delinquentibus, pro quibus Syndicus defensionem peragit, si de mulcta aut privilegii amissione agitur. Sin capitaliter, singuli ipsi respondere tenentur.

§. CDXXXI.

an cautionem requirit?

Olim quoque quisquis erat, qui criminis accusationem intendebat, custodiæ similitudinem (habita tamen dignitatis æstimatione) patiebatur, & calumniantem ad vindictam poscebat similitudo supplicii L. 17. C. de accusationib. Hodiernis tamen moribus hanc talionis pœnam cessare, vel inde colligas, quod in processu banni fiscalis, qui in probatione defecit, hanc supplicii similitudinem effugiat. Cautionem tamen fidejussoriam pro expensis & damnis restituendis accusator præstare jubetur Ord. Crim. art. 13. 14. a qua ne Principes quidem atque illustres personæ sunt immunes, adeo ut eadem deficiente custodiæ mancipari jubeantur, hoc saltem adhibito temperamento, ut, si accusatus inferioris sit conditionis, alium ipsi æqualem custodiæ sistere sufficiat. Juvabit ipsa citati art. 14. apposuisse verba: So auch die Anklag von wegen Fürsten, geistlicher Personen, oder Gemeinen, sonst hoher Personen gegen den die geringer Standes sind geschicht: in solchen Fall mögen sich andre Personen ungefährl. nicht geringer Achtung, denn der Beklagte, an ihr statt neben den Beklagten gefängl. legen oder verwahren lassen. Sed haud abs re dubitatur, num ejusmodi casus inde a condita Constitutione criminali exstiterit unquam, ut proinde exemplum hujus legislationis in praxin deductæ merito desideretur.

§. CDXXXII.

ob varia incommoda rarus

Imo ob onera tum cavendi pro reconventione & expensis, tum probandi delictum, indeque metuendum periculum restituendarum expensarum universim rarius hodie adhibetur processus accusatorius, præsertim cum post introductum processum inquisitorium per solam denuntiationem commodius, facilius, & sine sumtibus, quippe quos judex tunc ex officio fert, finis per accusationem intentus obtineri possit, adeo ut accusatorius processus in solis fere accusationibus fiscalibus videatur superstes, ubi fisci advocatus

catus seu procurator vices accusatoris subit, a cautione tamen pro reconventione & expensis est immunis.

§. CDXXXIII.

Processus inquisitorii origo & indoles

Inquisitorius processus est, quo judex competens (qui qualis sit, dixi Tit. 2. §. 49. & Tit. 5. §. 133.) ex officio in delictum inquirit. Ejus originem *Thomasius* peculiari dissertatione de origine processus inquisitorii ex solo jure Canonico & traditis Cleri repetit. Conf. cap. 24. X. de accus. Occurrunt tamen jam dum ejus vestigia in L. 13. Dig. de Offic. præsid. L. 7. C. de accus. Imo in genere si res consideretur, vix ulla bene constituta Respublica eodem caret, & proinde ejus origo ipsis Rebuspublicis videtur coæva. Est autem hic processus subsidiarius, & tunc demum adhibetur, si alius, qui processus onera & sumtus ferre velit, accusator non adest, utpote quo vel prorsus, vel in probando deficiente, id sibi demum incumbere judex intelligit. Quodsi enim negligentem tunc se præbet, jurisdictionis amissione veluti propter abusum coercetur.

§. CDXXXIV.

Inquisitio generalis

Dispescitur inquisitio in generalem & specialem. In generali delicti veritas ejusque autor probabiliter indagatur, in speciali de eodem convincendo, ejusque defensione ponderanda agitur. Ubi desinat generalis, & incipiat specialis inquisitio, ex legis vel consuetudinis determinatione pendet. Nostris moribus interrogatio & responsio summaria adhuc generali inquisitioni accensetur, & demum cum responsione ad articulos specialis inquisitio incipit. Imo quod responsio in speciali inquisitione præcise ad quæstiones articulis inclusas fieri debeat, non tam ex ipsius negotii indole, quam lege & consuetudine speciali ea tamen optima maximeque laudabili descendit.

§. CDXXXV.

Corpus delicti

Explorata criminis patrati veritas corpus delicti vocari consuevit, cujus aliqualis certitudo ad effectum instituendæ inquisitionis specialis requiritur, major ut purgatorio vel plane torturæ locus fiat, plenissima * ad irrogandum capitale supplicium. In delictis facti permanentis e. c. homicidio,

cidio, furto, incendio a crimine falsæ monetæ certitudo sensibus externis percepta requiritur e.c. cadaveris sectio, & inspectio, ædium effractio, inventio rei ablatæ, incendii vestigia, aut inventio accensæ & admotæ materiæ combustibilis, inventio falsæ monetæ. In criminibus facti transeuntis, ut magia, injuria verbali, delictis carnis, conjecturæ probabiles ad delicti corpus investigandum sufficiunt. In adulterio & incestu utriusque confessio requiritur. An in crimine usurariæ pravitatis adsit corpus delicti, si usurarius immodicas usuras sibi quidem stipulatus est, eas autem non percepit, non convenit inter Doctores. Affirmativæ favet, quod etiam stipulatio talis prohibita Ord. Pol. 1548. tit. 7. §. 7. At cum leges pœnales strictam requirant interpretationem, benigniori negativæ sententiæ haud forsan male subscribitur. Conf. *Wernher* Enunc. 322.

* Ad fustigationem ob solam rei confessionem sine corpore delicti potest veniri.

§. CDXXXVI.

Speciali inquisitioni ut locus fiat, præter corpus delicti requiritur, tum ut indiciis sufficientibus gravatus sit is, contra quem inquisitio instituenda, tum ut tanta sit delicti atrocitas, cujus pœna ad minimum sit relegatio, ne scil. inquisitio, utpote quæ existimationem gravat, ipsa pœna sit durior. Judex qui neglectis his requisitis ad specialem inquisitionem progreditur, injuriarum tenetur. Quare ut caute satis incedat, a Collegio juridico informationem petit, num indicia, quæ adsunt, ad inquisitionem specialem sint sufficientia. Pro talibus reputantur deprehensio rei in crimine flagrante, rei furtivæ inventio, denuntiatio viri honesti, depositio jurata utut unius saltem testis idonei, fama non incerta, fuga intempestiva, i. e. arrepta vel meditata antequam justus adfuerit carceris metus, (tunc enim extra carcerem respondere præstat,) confessio utut extrajudicialis *, item transactio super crimine. Correi inculpationi quantum tribuendum ex circumstantiis judicandum. Levis hominis inculpatio honestum ad inquisitionem non aliter, quam si sub tortura facta, gravat. Ubi solutæ ex adulterio commisso fustigatio metuenda, ipsius inculpatio ad inquisitionem sufficiens creditur. Moribundi inculpatio non nocet, ejus tamen exculpa-

Specialis inquisitio quando locum habet?

culpatio multum prodest L. 3. §. 1. Dig. ad SCt. Sylan. Quo majori denique dignitate suspectus pollet, tanto graviora & manifestiora requiruntur indicia, ut inquisitioni contra ipsum locus fiat, adeo ut indicia, quæ homini levi ac plebejo torturæ subjiciendo sufficiunt, vix ac ne vix sufficiant ad exigendam ab illustri responsionem ad articulos inquisitionales. Sæpe numero indicia, quæ singula inquisitioni locum haud facerent, collective sumta eidem sufficiunt. Talia in Assassinio Viennæ a Marchione d'Aronges in Comite de Halweil commisso, de quo de pœnis T. 7. §. 318. concurrebant. Marchio cum Comite erat profectus. Haud redierat Comes cum Marchione. Cadaver ipsius in sylva erat repertum una cum instrumentis, quibus paulisper erat defossum. Auriga quidam testabatur, se aliquot abhinc diebus instrumenta illa Marchioni, in via sibi obvio, vendidisse. Marchio circa tempus assassinii commissi cum homine suspecto in caupona vicina erat visus &c.

* In alio autem judicio e. c. civili fassus & condemnatus, in criminali ideo plane non gravatus censetur, & vice versa. Nam potius litis vitandæ causa quis se condemnari passus creditur.

§. CDXXXVII.

Articuli inquisitionales.

Quodsi igitur ad specialem inquisitionem perveniri potest, concipiendi ante omnia sunt articuli inquisitionales, qui ex indiciis, quæ suppetunt, prævia testium depositione & summaria inquisiti responsione desumuntur, quique singuli unicam saltem unius capitis circumstantiam continere debent, quoniam alias fiunt captiosi, & inquisitus, ad unicam forte circumstantiam affirmative vel negative respondens, ad totum articulum ita respondisse videri posset. Ad hos articulos ut respondeat gravatus, allaborandum ut ipsius fiat copia.

§. CDXXXVIII.

Captura inquisiti.

In hominibus inferioris conditionis simulac criminis atrocioris indicia adsunt, proceditur ad capturam, ne fuga judicium eludant, cujus suspicio cum in nobiles illustresque personas non tam facile cadat, illi saltem citantur,

tantur, quod in Poloniæ Regno lege fundamentali adeo extenditur, ut ne Rex quidem in crimine læsæ Majestatis contra nobilem a captivitate processum inchoare possit. Vid. *Starovolsci* Polonia p. 77. In Anglia suspecti quidem custodiæ possunt mandari, præstita tamen cautione fidejussoria iterum dimitti necessario debent. Captum aufugientem in alterius territorium persequi extemplo quidem licet, non autem post intervallum inde extrahere, Conf. Tit. 2. §. 49. Carceri traditus custodiæ, non pœnæ aut supplicii causa in eodem detinetur, nec proinde affligendus, aut ipsi ea, quæ habet innoxia, vi eripienda, multo minus aliorum aditus ad defensionem intercludendam, aut vitæ necessaria deneganda, sed opera saltem danda, ne elabendi occasionem, testes subornatos, aut alias falsas probationes, aut notitiam indiciorum emergentium nanciscatur, quem in finem persona judicialis assistere solet, quoties ab aliis invisitur.

§. CDXXXIX.

Literæ arrestatoriæ & Edictalis citatio.

Absens ac in fuga constitutus si de crimine, quod pœnam corporis afflictivam meretur, est suspectus primo literis arrestatoriis patentibus, quibus magistratus vicini de eodem, si in ipsorum jurisdictione deprehendatur, sistendo rogantur, insectatur, iisque frustra adhibitis, quoniam vicini eum sistere vel nequeunt vel nolunt vid Tit. 7. §. 198. articulis ad acta relatis sub pœna confessi & convicti edictaliter citatur per præconem, aut edictum in vicinis territoriis affixum, quo facto, si nihilo secius emanet, confessus & convictus declaratur, quæ ficta confessio, si postea delinquentis fit copia, pœnæ ordinariæ quidem locum haud facit, magis tamen eum gravat. Conf. §. 445.

§. CDXL.

Salvus conductus generalis

Petunt nonnunquam citati absentes salvum conductum, ein sicher Geleit, ut scil. libere citra carceris metum ad judicium venire, ab eoque recedere ipsis liceat, qui, si aliter rei copia fieri nequit, nunquam ei negabitur. Dispesci ille solet in generalem & specialem. Generalis ein gemein sicher Geleit vocatur, quando judex reo sine cautione interposita concedit facultatem tuto sine carceris metu veniendi in die juridica, quæ tres

dies

dies complectitur, termini scil. eumque præcedentem & consequentem, nimirum ad veniendum & recedendum. Extra illas dies quo minus capiatur reus, salvus conductus generalis haud obest. Atque talem salvi conductus generalis securitatem in Saxonia omnes citationes tacite continent, & quasi in dorso ferunt per Decis. Elect. Nov. 86. Add. *Carpzov.* Prax. Crim. part. 3. qu. 112. n. 16. Extra Saxoniam simili spe se lactare reo haud consulerem.

§. CDXLI.

Specialis. Specialis salvus conductus ein frey sicher Geleit vocatur, quando reo, præstita cautione fidejussoria vel pignoratitia, (qua deficiente juratoriam quoque *Mevius* admittit, *Carpzovius* & *Brunnemannus* non item) a judice (utut inferiore saltem jurisdictione pollente) sub publico judicii sigillo datur facultas per universum litis tempus secure versandi. Concesso hoc salvo conductu, si reus emanet, vel innocens haud deprehenditur, nec tamen judicio sistitur, cautio fisco cedit, si inquisitorio, aut accusatori, si accusatorio processu proceditur. Desinit salvus conductus, simulac aliquid, quod corpus affligit, pronuntiatur, so bald was peinliches erkannt*, unde tali sententiæ inseritur clausula, und ist inquisit zur gefängl. Hafft zu bringen, und das gegebene frey sichere Geleit aufzuheben. Quo facto si reus judicio sistitur, desinit cautio, & si postea ex carcere aufugit, fidejussor non tenetur.

* In thesi hæc ab omnibus conceduntur. Et nihilominus haud pauci JCti pariter ac Theologi nescio quam fractæ publicæ fidei notam Sigismundo Imperatori & Concilio Constantiensi inurere conantur, quasi salvum conductum Johanni Husso ad Concilium tendenti concessum fregerint. Sane juxta principia allata, atque ab omnibus agnita, cessare debuit salvus conductus, simulac Hussus judicatus est hereseos capitalis reus. Quod judicium num rite se habuerit penes Imperatorem haud stetit, cum ad forum Theologicum spectet. Inutilis plane foret omnis processus inquisitorius, post concessum salvum conductum institutus, si salvus conductus post compertum & probatum rei delictum perdurare deberet. Is saltem salvi conductus est finis, ne præcipitanter

ter & ante auditam inquisiti defensionem vis injusta ei inferatur.

§. CDXLII.

Antequam inquisiti ad articulos respondent, laborare pro avertenda inquisitione, hocque nomine defensionem petere solent, quæ honoratioribus præsertim non denegatur. Quo casu, num ad illam peragendam reo ejusve defensori actorum copia sit facienda, dissentiunt inter se Doctores. Sane si facultas acta inspiciendi conceditur, reus nullo negotio quousque gravatus sit, numque confessione melius, an negatione sibi consulturus sit, intelliget, ut vel hoc solo nomine, & ne rei inficiatio instruatur, neganda actorum copia videatur *. Interim cum inquisitio famam oneret, pro eaque integra servanda defensio intercludi haud debeat, consultum erit, non quidem ipsi reo, sed defensori ipsius peculiari jurejurando, ne quicquam eorum, quæ ex actis comperit, inquisito aperiat, obstricto actorum copiam facere, qui postmodum quæ pro defendendo reo momenta congessit, ipsi quidem reo haud communicata, judici offerat. *Defensio pro avertenda inquisitione.*

* Ratio *Brunnemanni* de inquisitionis processu, c. 8. membr. 1. n. 75. p. 63. quod responsio inquisiti sit instar litis contestationis, a qua judicium incipit, sicut ergo in civili judicio exceptiones nonnisi lite contestata audiendæ, ita nec reum, qui defensionem prætendit, & propterea copiam indiciorum petit, esse audiendum, sed prius ad articulos respondere, & litem contestari debere, hæc inquam ratio non satis stringit. Manifesta satis differentia inter litis contestationem in judicio civili, & responsionem ad articulos in criminali cernitur eo, quod hæc famæ nocet, illa non item.

§. CDXLIII.

Reus, a quo responsio ad articulos exigitur, super singulis clare & distincte interrogandus, nec tamen juramento ad veritatem dicendam obstringendus, conf. Tit. 7. §. 206. Tit. 11. §. 326. ne perjuriis ansa præbea- *Responsio ad articulos.*

 tur,

tur, aut per impunitatem promissam ad confitendum alliciendus a judice, qui aggratiandi facultate haud pollet vid. §. 445. Quamvis autem judex jus habeat interrogandi inquisitum super crimine, hunc tamen ideo ad confitendum non praecise, sed tunc demum teneri, si ad poenam quae corpus haud affligit agitur, patet ex dictis de poenis T. 2. §. 229.* Si forte inquisitus surdus est, supra cerebrum, vel per os apertum interrogatur L. 10. C. qui testam. facer. poss. & quae forte aliae sunt artes, quas Physici suppeditant. Mutus per scripturam respondebit. Mutus & surdus simul, si per signa interrogationem forte percipit, & per signa itidem confitetur, ob deficientem sufficientem confessionis certitudinem, hac sua confessione poenae ordinariae locum haud facit. Admittendus quoque erit in muti & surdi examine defensor ipsius, qui alias procul abesse jubetur. Plane si respondere detrectat inquisitus, in levioribus criminibus ad imitationem processus civilis jure communi negative, Saxonico autem affirmative lis contestata habetur. vid. Tit. 7. §. 207. at in atrocioribus & capitalibus delictis tunc indistincte negative lis contestata censetur, atque ad criminis probationem veniendum.

§. CDXLIV.

Probatio delicti. Repetenda & applicanda huc sunt, quae supra de variis probationum generibus attulimus Tit. 8. sqq. Id saltem h. l. monendum, quod criminales causae, quia civilibus longe sunt graviores, certiores & manifestiores requirant probationes, imo luce meridiana clariores L. ult. C. de probat. Certissima est, quae in sensus incurrit, quorsum spectat deprehensio rei in crimine flagrante, quam una cum clamore tam anxie ideo requirebant quondam ad delinquentem convincendum Germani, adeo ut citra clamorem, etiamsi occisor caput occisi ferret, indicium sufficiens haud reputaretur, si vera sunt, quae tradit *Thomasius* de Occas. Constit. Crim. §. 22. lit. m.

§. CDXLV.

per propriam confessionem. Propria inquisiti confessio sine aliis adminiculis, e. c. corpore delicti, ad poenam ordinariam infligendam haud sufficit, sed extraordinariae locum facit. Simile esto de ficta* contumacis confessione judicium. Unde

de infamia contumaci irrogari nequit. *Carpzov.* Prax. Crim. part. 2. qu. 94. n. 89. nec bannum. Capit. Carol. VI. art. 20. n. 9. junct. Ord. Cam. part. 3. tit. 43.* sqq. nec in causa criminali e. c. fractæ pacis, sigilla in contumaciam pro recognitis habentur *Gail* de pace publ. L. 1. c. 15. n. 13. sqq. Confessio elicita per impunitatem promissam a judice, qui eam promittere non potuit, nulla, doloque extorta judicatur. Per instrumenta in crimine hereseos, perduellionis &c. plenam probationem fieri posse, jam dum monui Tit. 10. §. 303. cujus rei ratio in eo est sita, quod cum tali instrumento ocularis criminis patrati demonstratio peragitur.

* Sed num lege poterit edici, ut ficta inquisiti confessio pœnæ ordinariæ eique capitali locum faciat e. c. ut meretrices sine obstetricibus parientes, utut partum naturaliter mortuum interserant, tamen pro confessis infanticidis habeantur, & capitali supplicio afficiantur. Memini talem legem, executioni quoque mandatam. Sed dura videtur. Capitale supplicium sua gravitate probationes luce meridiana clariores requirit, qualem certe ficta confessio haud præbet.

§. CDXLVI.

Frequentissima delictorum per testes instituitur probatio. Ipsorum depositio in processu inquisitorio in rotulum peculiarem haud redigitur, quia ipsi testes ibi acta instruunt, dum prævio jurejurando examinantur, conf. Tit. 9. §. 269. & super articulis, in quibus ipsorum depositio a rei confessione discrepat, cum eodem confrontantur. Quid quantumve singulis testibus tribuendum sit, pro diversa eorum qualitate judex æstimat, inprimis quantum necessitudine juncti se invicem testimonio suo vel gravare vel exculpare valeant. Correi inculpatio sine aliis adminiculis ne quidem ad specialem inquisitionem gravat Ord. Crim. art. 31. *Coccej.* de Socio Criminis th. 41. *per testes*

§. CDXLVII.

Probatione peracta reo ejusque defensori acta communicantur, ut, si velit, defensionem exhibeat, qua, præmissa facti narratione, indicia gravantia *Defensio & Sententia.*

vantia commemorantur, & refutantur, & quandoque simul articuli defensionales offeruntur, ut super iisdem testes nominati examinentur, ipsorumque depositio in rotulum redigatur. Quo facto desuper fertur sententia, quæ juxta Ord. Crim. art. 7. a Collegio Juridico expetenda. Ad actorum tamen irrotulationem inquisitus citari vel admitti non solet. Ex actis si inquisitus confessus vel convictus apparet, condemnatur, sin prorsus innocens deprehenditur absolvitur, quæ utraque sententia est definitiva. Si vero inquisitus indiciis oneratus, nec tamen hactenus convictus, fertur interlocutoria, medium veritatis eruendæ præscribens, quale est tortura & juramentum purgatorium. Suppletorio in criminalibus locus haud relinquitur, quia ibi ad condemnationem probationes luce meridiana clariores requiruntur.

§. CDXLVIII.

Tortura illustribus non irrogatur.

Tortura inquisito plebejo dictatur, si crimen semiplene probatum. Illustres autem delinquentes torturæ regulariter haud subjiciuntur, cujus rei ratio in eo est sita, quod leges pœnales & criminales in dubio solis plebejis præscriptæ censentur vid. de pœnis Tit. 2. §. 251. & L. 8. 11. & 16. de quæstionib. ubi capitale judici dicitur, torquere eum, quem torquere non debebat. Unde & in A. B. c. 24. §. 9. 12. in crimine Majestatis commisso non domini ipsi, sed servi (hujus scil. criminis conscii) in caput domini torquendi statuuntur *. Quodsi vero extra ordinem, diserto summi imperantis jussu, tortura illustri delinquenti irrogatur, modum & normam ex communi ejus doctrina haud accipiet, sed quia id omne extraordinarium & irregulare est, a sola quoque imperantis determinatione pendebit. ** Nota sunt, quæ pro tortura, utpote innocentes haud raro præ cruciatibus eorumve metu ad confitendum cogente, prorsus e Christianorum foris tollenda nonnulli afferunt, quæque alii in contrarium regerunt pro eadem potius exasperanda, crescente in dies delinquentium, ordinariis torturæ gradibus perferendis exercitatorum, malitia.

* Antiquum & memorabile Cubicularii Regii quæstionum tormentis subjecti exemplum legitur in *Vulsonii* Theatr. honor. & Nobilit. Tom. 2. p. 292. Gontranus Rex Burgundiæ in Saltibus Vogesi montis venationi indulgens vestigia bubali occisi vidit,

vidit, & saltuum præfecto iratus, torturæ eum subjecit, ut ab eo extorqueret, quinam hujus sceleris esset autor. Ille Chaudunum e Cubiculariis Regiis nominavit, qui captus & Cataulunum adductus, cum in tortura constanter negaret factum, uterque duellum poscit, quod etiam Rex concessit. Adde Exemplum de delictis §. 90. adductum. De Romano Diogene Orientis Imperatore scribit *Zonaras* T. 3. Annal. Fuit & genere illustri ortus & rebus gestis clarus. Cujus pater cum Romani Argyri neptem ex fratre haberet, regni affectati convictus seipsum præcipitavit, ne *quæstionibus adhibitis* conscios prodere cogeretur.

** 1. Modus hactenus usitatus hic est, ut præmittatur territio, eaque vel nuda seu *verbalis*, dum carnifex apprehendere delinquentem tantum simulat, die blosse Vorstellung des Scharffrichters mit seinen Instrumenten, als solte und wolte er ihn angreiffen, doch noch zur Zeit unangegriffen, vel *realis*, quando carnifex eum denudare, ad scalam ducere, instrumenta ostendere, pollicesque forcipicibus comprimere jubetur, daß er ihn mag ausziehen, entblössen, zur Leiter führen, die zur Peinlichkeit gehörige Instrumente vorzeigen, auch die Daumen-Stöcke anlegen, und damit zuschrauben, doch daß weiter nichts vorgenommen werde Hæc ubi frustra citra secutam confessionem adhibita, ipsa dicatur tortura, cujus tres numerantur gradus, *primus* mit den Banden zuschnüren, auch bey befundener Hartnäckigkeit die Bande von oben herunter zu gebrauchen i. e. manuum arctissima ad ossa usque ad funibus adstrictio, tum sursum von unten hinauf, tum etiam, si graviora adsunt indicia deorsum von oben herunter. *Secundus* gradus innuitur verbis mit der Schärffe ziemlicher weise anzugreiffen, & consistit in membrorum inquisiti scalæ appensi expansione. *Tertius* simpliciter die Schärffe vocatur, quando præter expansionem alia adhibentur tormenta, lumina candentia ex sulphure confecta, pinei, cuneoli & quæ sunt alia. Insensibilis si in tortura reus deprehenditur, crinium abscissio, vel alia media licita a carnifice Medicove proposita adhibentur.

2. Sententia qua tortura dictatur, delinquenti quidem publicatur cum annexis rationibus decidendi, (ita tamen ut gradus & qualitas torturæ occultetur) ipsique defensio pro avertanda tortura (imo & declinando purgatorio) conceditur. Si tamen periculum in mora e.c. si advena ex loco contagioso sarcinam, quam occultavit, quæque boni publici causa comburenda est, indicare detrectat, sine defensione, imo & posthabita appellatione potest torqueri.

3. In ipso torturæ actu primus torquetur maxime suspectus, & si omnes æque suspecti, debilior & dimidior e. c. fœmina.

4. In Interrogatoriis incidenter etiam super aliis criminibus, quorum est suspectus, utut indiciis sufficientibus eorum intuitu haud gravatus interrogatur. Cavendum autem a correorum, qui nondum sunt gravati, suggestione aut nominatione.

5. Confessionis sub tormentis editæ nulla habetur ratio. Sed simulac ad confitendum se offert, tormenta remittuntur, & tum demum facta ipsius confessio (Uhrgicht, peinl. Bekänntniß vocant) consignatur, & intra triduum extra locum torturæ, in loco judicii torto, vel saltem carnificis præsentia territo ad ratificationem iterum prælegitur, ubi si factam inter tormenta confessionem revocat, denuo torquetur, & si rursus ratificare detrectat, tertia vice torquetur, & tunc summus torturæ gradus potest perfici, adeo ut priusquam omnes gradus sint peracti, tormenta haud remittantur, etiamsi reus ad confitendum se offerat, ut nimirum a revocanda confessione deterreatur, si artes has ad torturam vitandam sibi non prodesse videt. Si nihilo secius in loco ratificationis factam prius confessionem revocat, pœna extraordinaria dimittitur.

6. Ceterum ad torturam requiritur 1) ut de corpore delicti constet. Tortura enim non adhibetur ad liquidandum factum sed personam 2) ut persona indiciis sufficientibus sit gravata, sine quibus expressa per torturam confessio est nulla, & plane non

gravat,

gravat arg. L. 2. 3. 4. C. si ex fals. instrum. 3) ut aliter probari delictum nequeat. Est enim tortura medium veritatis eruendæ subsidiarium, quod cessare debet, quoties alia probatio suppetit. Probatum si plene est crimen confessio rei plane non est necessaria, nec proinde ad eam eliciendam tortura adhibenda. Ord. Crim. art. 69. nec obstat art. 16. qui de crimine nondum satis probato loquitur, e. c. in quo reus ab unico saltem teste, utut publica persona deprehensus. Potest tamen reus jam confessus & condemnatus ad correos manifestandos torqueri.

§. CDXLIX.

Purgatorium inquisito dictatur, si ad torturam veniri nequit, quod in plebejis accidit, quoties semiplena criminis imputati probatio haud adest, vel crimen ita comparatum, ut pœna relegatione gravior irrogari nequeat, tunc enim, ne medium veritatis eruendæ ipsa pœna gravius existat, torturæ loco purgatorium dictatur. At cum illustres personæ per modo dicta torturæ regulariter plane non subjiciantur, deficiente plena delicti imputati probatione indistincte purgatorium dictatur. Imo deficiente probatione plena in capitalibus causis Principem legislatorem consultius agere, si deliquentem simpliciter, purgatorio prorsus omisso, absolvi præcipiat, monuimus Tit. XI. §. 326. 327. simul tamen purgatorii etiam inter illustres usum ostendimus. *Sed purgatorium.*

§. CDL.

Impensarum in sententiis criminalibus ratio ita habetur, ut inquisitus sumtus in defensionem & alimenta, defensions * und Atzungs-Kosten semper ferre teneatur, reliquos autem tunc demum, si culpa sua inquisitioni causam præbuit, e c. si criminis fuit convictus, vel saltem, illiciti quid culpæ ipsi merito dari, ex actis apparet. Si vero innocentiam suam, utut per quæstionum tormenta aut purgatorium præstitum deduxit, ab his merito liberatur. Durum omnino videtur, quod in Saxonia per mandatum de 1717. inquisitus, qui purgatorio præstito ab inquisitione penitus absolvitur, nihilo secius omnes inquisitionis sumtus ferre jubetur. *Impensæ a quo ferendæ?*

* Quor-

* Quorsum & pertinent sumtus judiciales pro examine testium, in articulis inquisitionalibus nominatorum, item pro interrogatoriis exhibitis, nec non dimidia pars des Urthel-Geldes und Bothen-Lohns.

§. CDLI.

Defensio pro declinanda vel mitiganda pœna. Contra latam sententiam inquisito vel pro declinanda penitus, vel pro mitiganda saltem pœna, defensio iterum iterumque conceditur, etiam in criminibus notoriis. Ipse DEUS Sodomorum mala, quorum clamor ad cœlum usque pervenerat, omnia sciens, prius nec credere, nec judicare voluit, quam ipse ea cum fidelibus testibus diligenter investigans, quæ audierat, opere veraciter cognosceret, hominibus exemplum daturus, ne præcipites in judicandis negotiis essent Genes. XVIII. 20. Add. Can. 20. caus. 1. qu. 1. Defensionis momenta si idonea satis haud deprehenduntur, *Executio* sententia lata executioni mandatur, etiamsi confiteri detrectet Ord. Crim. art. 67. 69. vel factam antea & ratificatam confessionem in executionis actu revocet, ni talia afferat, quæ defensionis idoneæ speciem præ se ferre, & ulteriori discussione digna videantur. Contingit nonnunquam, ut judex potestate quidem inquirendi in delictum, & capitalem quoque desuper sententiam ferendi gaudeat, ipsam tamen ejus executionem alii permittere teneatur, quo casu huic sola communicatur sententia, ipsa autem integra acta ut communicentur, frustra postulatur. Imo si talia emergant, quæ executionem differre, novamque delinquenti defensionem indulgere præcipiunt, ad priorem judicem causa erit remittenda.

§. CDLII.

Urpheda Si pœna, executioni mandanda, capitalis haud est, vel inquisitus, qui sub quæstionum tormentis innocentiam suam deduxit, dimittendus, ab eo prius exigitur Urpheda seu juramentum de pœna aut tortura illata non vindicanda, sich an niemand wegen erlittener Hafft und Marter oder Straffe weder selbst noch durch andere zu rächen. Solent summi imperantes ab iis quoque, quos naturali defensionis seu belli jure hactenus captivitate detentos dimittunt, simile de captivitate haud vindicanda jusjurandum sumere. Waldemarus II. Daniæ Rex ab Henrico Comite Sverinensi, cum cujus

jus uxore familiariter nimis consueverat, una cum filio 1223. captus, utut obsidibus datis, ac lytro 45000 marcarum argenti promisso, prius non dimittebatur, quam jurejurando de captivitate haud vindicanda præstito. Et Joannes Horwartus Bannus Croatiæ Mariam Hungariæ Reginam, quam captivam detinebat, atque sponsus ipsius Sigismundus Bohemus liberare intendebat, prius haud dimisit, quam prævio jurejurando, quo omni vindictæ renuntiaret.

§. CDLIII.

De moralitate, obligatione, & effectu horum juramentorum hæc mihi hæret sententia. Justa si fuit præcedens captivitas, justum supplicium, injusta erit etiam citra jusjurandum, quæ desuper intenditur vindicta. Accedens igitur juramentum saltem firmamentum erit obligationis, quæ jamdum adest, quodque in hominum diffidentia, & erronea, de obligatione citra jusjurandum non satis firma, opinione fundamentum habere jam dum monuimus de pactis L. I. T. 8. §. 265. Sin injusta fuit captivitas præcedens aliave vis illata, accedens quoque jurata vindictæ renuntiatio, tanquam vi injusta extorta erit nulla, nullamque producit obligationem, adeo ut ne relaxatione quidem indigeat. Conf. de pactis Princ. L. I. T. 8. §. 310.

exigua ejus utilitas.

§. CDLIV.

Unde patescit, quid sentiendum sit de quæstione, an per Urphedam sola privata vindicta, an & judicialis per actionem coram superiore instituendam abdicetur. Etiamsi juste vis illata sit, rationem tamen coram superiore instituta desuper actione reddere is, qui eam intulit vel ideo detrectare nequit, quod superiorem agnoscit. Quodsi igitur per sumtam Urphedam ab hac actione se liberare quis intenderet, injurius foret in superiorem, cujus jurisdictionem & cognoscendi facultatem eo ipso intervertere conatur. Quare ea Urphedam exigentis mens saltem videtur, ne privata vindicta exerceatur. Plane si injuste vis illata est, etiam extorta per illam vindictæ renuntiatio ipso jure erit nulla. Quamvis igitur subdito ob subjectionis nexum privata vindicta sit illicita, liberum tamen erit, legitimis mediis & actionibus sibi contra vim injuriam illatam consulere,

an querelam ad Superiorem excludit?

etiamsi forte jurato renuntiarit aller Behülff geistl. und weltl. Rechten zu gebrauchen, sich auch von gethaner Urphede von niemand absolviren zu lassen. Id singulare occurrit in Ord. Crim. art. 164. quod etiam ab impuberibus, qui 14. annis sunt minores, Urpheda sumi jubeatur, quod tamen nonnullis in locis ut in Saxonia non observatur. Vid. *Carpzov*, Prax. Crim. qu. 143. n. 24. 39.

§. CDLV.

Conclusio Quem in causis criminalibus servari procedendi modum hactenus ostendimus, sua quidem non frustrandus est laude, pendet tamen omnis a summi Principis arbitrio, qui dummodo essentialia, puta accusationem, responsionem, confessionem vel probationem servat, de reliquis pro lubitu præcipiet. In supplicio, quod Christina Sueciæ Regina de Marchione Monaldeschi in Gallia sumsit, quodque meminimus in Jure personarum illustr. L. 3. T. 12. §. 3. celerrime omnia aliquot horarum spatio, neque sic tamen male, aut injuste sunt peracta. Advocabatur Marchio. Interrogabatur de secretis a se evulgatis. Neganti propria ostendebatur scriptura. Confessionem differre diutius haud valenti, sed gratiam Reginæ imploranti eadem negabatur. Brevissimum in se descendendi, pœnitendi, & peccatorum absolutionem a sacerdote, qui aderat, recipiendi tempus concedebatur. Tandemque Reginæ sententia a quibusdam ipsius ministris, Marchionem gladiorum ictibus confodiendo, executioni dabatur. Celerrimum talem procedendi modum prout tunc suadere videbatur metus de propalandis secretis & arcanis Regiis; ita aliæ alia itidem occasione efflagitare poterunt circumstantiæ. At universim si res consideretur, parum consulta sunt judicia præcipitata, præsertim in causis arduis, ubi non de glande legenda, aut papaverum capitibus agitur, sed hominis vita, & quo pretiosius nihil habet orbis, sanguine illustri.

S. D. G.

(o)

INDEX

INDEX RERUM.

Numerus indicat paginam hujus Tomi.

Accusatorius processus quomodo instituendus? 354. an procuratorem admittat? ibid. an cautionem requirat? 355. ob varia incommoda rarus. ibid.

Acta inquisitionalia an defensori pro avertenda inquisitione exhibenda? 361.

Actio quidnam sit? 6. 158. quomodo differat a prætensionibus? 158. est vel civilis vel criminalis. 159. civilis est vel realis, ibid. vel petitorium vel possessorium intendit, 160. vel personalis, 161. vel ex causa debiti vel indebiti descendit. 162. pœnalis vel criminalis vel mixta. 164.

Actio ad exhibendum ad personales ex delicto referenda. 162.

Actor quisnam sit? 7.

Actor, Actorium quid sit? 155.

Actuarius quisnam sit? 242.

Adhæsio appellationis quomodo locum habeat? 311.

Adjudicatio tribuit dominium. 345.

Agere, ad agendum nemo cogitur. 151. excepto processu diffamatorio 152. qui agere impediuntur & prohibentur. ibid. & sq.

Allodia Imperii an cognitioni consilii imperii aulici privative subsint? 82.

Amicabilis compositio inter litigantes suadenda. 184.

Annales quatenus probant? 264. sq.

Anstands-Brieffe quid sint? 194. conf. *Moratorium.*

Apanagiati regulariter non sunt subditi principis regentis. 39.

Appellare quando liceat? 304. an à nulla sententia possit? 306. an ab interlocutoria? ibid. an ab executione? ibid. an in criminalibus? ibid.

Appellationi in causis ad Austregarum forum pertinentibus non est renunciandum. 72. 78. locus non datur in causis criminalibus. 82. nec ad pon-

pontificem admittenda. 85. sq. 300. sed ab imperatoribus improbata, 300. sq. quid sit in genere? 298. quid appellatio ad vallum Josaphat. 299. ejus exempla. ibid. & sq. à Statibus imperii ad Imperatorem quando locum habet? 302. à mandatariis jurisdictionis ad mandantem non admittitur. 304. ab arbitri laudo perperam ita vocatur. ib. fatalia ejusdem sunt eam interponendi, 306. sq. apostolos petendi, 307. sq. appellationemque introducendi, 308. æque ac justificandi. 309. an illa nova admittat. 310. an eidem renunciari possit? 312. à cæsare male informato ad melius informandum vid. sub voce *Provocationis*. an restitutionem in integrum excludat? 334.

Aqua olim probandi modum præbuit. 281.

Arbiter quisnam sit? 7. exemplis illustratur. 8. sq. constituitur compromisso. 9. an cogendus? ibid. esse debet neutrarum partium. ibid. nec judex in propria causa. 10. quales erant Romani ab Aricinis & Ardeatibus electi. ibid. potest esse fœmina, 11. subditus, ibid. etiam plures, 12. qui si dissentiant, ib. quid agendum? 13. differt à mediatore ib. an delegare possit, 14. an etiam reconventionem & possessorium suscipere teneatur. ibid. quisnam modus coram eo procedendi? ibid. arbiter principis quo differat ab arbitro subditorum. 16. num in arbitros compromittere liceat, 17. vasallis, 18. imperii principibus, 19. arbiter quo differat ab arbitratore. 20.

Arbitrator quo differat ab arbitro. 20.

Archivum quid sit? 251. cujusnam sit auctoritatis ratione instrumentorum ibi repertorum. 250. sq.

Arragonici regni successio per arbitros stabilita. 8.

Arrestatoriæ litteræ persequuntur fugitivos delinquentes. 359.

Articuli inquisitionales quænam sint? 358.

Articuli probatoriales & elisivi quomodo formandi? 215.

Attentatum quid sit? 309. quomodo removendum. 312.

Augustus male ab augendo derivatur & interpretatur. 249.

Aula Cæsarea quoad jurisdictionum conflictum repræsentatur. 117. sqq. exemplisque illustratur. 121. sqq.

Austregæ an ad judices arbitrarios referendi? 8. 19. in causis ecclesiasticis & matrimonialibus locum haud habent. 57. nec in criminalibus 66. sed tantum in civilibus. 68. triplicis sunt generis. 69. sq. conventionales, 70. testamenta-

rii 73. ac legales. 74. conff. plura ſub voce: *Legalis.* an jurisdictionem qualemque habeant. 78. ab iis ad ſumma appellatur imperii tribunalia. ib. plerumque illis renunciatur. 79.

Brabantini Duces privilegium de non evocando nimium extenderunt. 116.

Beneficium ceſſionis quid operetur. 347.

Beneficium competentiæ quibus competat? 348. quomodo jure civili extenditur? 349. nobilibus vindicatur. 350. non quaſi militum privilegia ipſis ſint applicanda. ibid. ſed ob imperantis voluntatem tacite declaratam. 351. an principibus applicandum? ibid. an civitatibus? 352.

Beneficium egregiarum perſonarum in teſtimonio exhibendo quo conſiſtat? 234.

Calumniæ Juramentum inter principes ceſſat. 193.

Captura inquiſiti quando locum habet. 358.

Ceſſionis beneficium quod operetur. 347.

Chronica quatenus probant. 264. ſq.

Citatio rei neceſſaria eſt. 176. quænam habeat requiſita? 177. per quem fieri debeat. 179. quando facienda. 180. vel generalis eſt vel ſpecialis. 181. vel in ſubſidium juris facta. ibid. cujusnam ſit effectus? 182.

Citatio teſtium quomodo peragenda? 227. ſq. præſertim laicorum in cauſa clerici. 228. quod illuſtri illuſtratur exemplo. 229. ſqq.

Civiles cauſæ ſtatuum imperii ad Auſtregas ſpectant. 68.

Civitas an beneficio competentiæ gaudeat? 352.

Civitates imperiales forum Auſtregarum ſimpliciter non habent. 74.

Cœna ſacra olim probandi modum exhibuit. 283.

Comes Palatinus judex imperatoris minime eſt. 45. ejusque judicium primitus mere voluntarium fuit. ibid. & ſq. nec neceſſarium factum per Auream Bullam. 46. ſed repudiatum ab imperatoribus. ibid. & ſq. id quod exemplis illuſtratur. 48. an in criminalibus forte poſſit eſſe judex. ibid. an in diſcordiis ſuper electione regis? 49. an in cauſis feudalibus? ibid. an in iis cauſis ubi imperator eſt actor? 50. an in cauſis Auguſtæ & regis Romani? 51.

Comitia proprie jurisdictionem in imperatorem non habent. 44. ad ea recurſus quando admittendus. vid. ſub voce: *Recurſus.* ad ea indicenda electorum conſenſus non requiritur. 249.

Comparere actor per procuratorem poteſt 153. rectius tamen jubentur litigantes in perſona comparere. ibid. illuſtres autem prudentius per mandatarios negotia ſua peragunt. 154.

Competentiæ beneficium quibus competat? vid. ſub voce *Beneficii.*

Compoſitio amicabilis inter litigantes quomodo tentanda? 184.

Compromiſſarius judex idem eſt, qui arbiter. 7. cujus exempla commemorantur. 8. ſq.

Concilia affectant jurisdictionem in imperatorem. 43.

Concluſio in cauſa. 284.

Concurſus judiciorum difficillimas parit controverſias. 127. cujus exemplo ſit aula cæſarea. ibid. & ſqq.

Concurſus creditorum quem procedendi modum admittat, 205.

Condictio quid ſit? 161. ſq. unde dicta? 163.

Conductus ſalvus. vid. ſub voce: *Salvi.*

Confeſſio adverſarii ſpontanea eſt maniſeſtiſſima probatio. 217. propria in delictis ad pœnam ordinariam haud ſufficit. 362.

Conflictus judiciorum difficillimas cauſat controverſias. 117. quod exemplo aulæ cæſareæ illuſtratur. ibid. & ſqq.

Conjux in conjugis cauſa teſtis eſſe *non* poteſt. 223.

Conſcientiæ defenſio moribus introducta 273. quomodo peragenda? ibid.

Conſiſtorium imperiale moraliter impoſſibile habendum. 57. ſq.

Continentia cauſæ jurisdictionem fundat. 103. ſi cauſæ indoles alias id patitur. ibid.

Contractus forum in principe locum non habet. 38. 41.

Contumacia litigantium coërcenda. 183.

Conventionales auſtregæ quinam ſint? 70. conſtituuntur pacto imperatoris conſenſum requirente. 71. ſalva appellationis inſtantia. 72. cui univerſim renuntiari nequit. ibid. quandoquidem etiam locum habent in cauſis criminalibus & feudalibus. 76.

Copia vidimata in quantum fides illi habenda. 254.

Corpus delicti ad inquiſitionem neceſſarium. 356.

Criminales cauſæ ſtatuum imperii Imperatorem judicem agnoſcunt. 62. nec ſtatuum conſenſum deſiderant. 63. niſi præſcriptionum cauſæ. 64. ad Auſtregas non pertinent. 66. exceptis quibusdam. 76. nec appellationem admittunt. 82.

Criminaliter quatenus contra illuſtres agendum? 354.

Cumulatio cauſarum quomodo in uno libello admittenda? 172.

Debita

Debita publica ab usurpatore exacta denuo exigi nequeunt. 90.

Declaratio sententiæ quando locum habet. 296.

Deductio probationum has sequitur. 283. quænam ejusdem requisita. 284.

Defensio pro avertenda inquisitione concedi solet ante inquisitionem. 361. quomodo concipienda. 363. sq. ut & pro declinanda aut mitiganda pœna. 368.

Defensionales articuli quænam sint. 277.

Delicti forum in principe locum non habet. 40. 64.

Denunciatio litis quid sit? 204.

Diffessio documenti jurata quomodo fieri debeat. 261.

Diffitendi vel recognoscendi alternativa est obligatio. 258. utraque declinanda in documentis irrecognoscibilibus 259.

Dilatio ab usurpatore concessa prodest impetratori. 90. quid sit? 182. quomodo concedenda. 207.

Diplomata principum saltem intuitu subditorum pro instrumentis publicis habenda. 246. si super actibus, quæ ex principis pendent potestate exarata. ibid. non autem quatenus proprium principis interesse respiciunt, 247. aut rerum antiquarum fidem facere debent, ibid. & sq. aut exploratam rei veritatem labefactant, 248. vel errores admittunt, ibid. nec falsis conclusionibus prosunt, 250. nec incidenter saltem assertis. ibid. absque consueta ministri subscriptione quatenus suspecta? 255.

Doctores quatenus in probatione admittendi. 267.

Documentum quid sit? 242. publicum a quonam conficiendum? ib. errores non tollit. 254. nec minus falsis conclusionibus prodest. 250. nec locus Archivi juvat. ibid. sqq. sed subscriptio & sigillum respiciendum. 252. privatum recognitum plene probat. 260.

Domicilii forum in principe locum non habet. 38.

Duella probandi genus olim præbuerunt. 280.

Duplica. 200.

Ecclesiasticæ causæ statuum imperii judicem nullum admittunt. 52. sqq. conf. plura sub voce *Germaniæ*. quid justum inter diversæ religionis conjuges? 59. pastorem tamen depositum à Camera restitutum habemus. 97.

Edictalis citatio locum habet in delinquente latente. 359.

Editio documentorum quomodo peragenda? 256. quando reo injungenda? 257.

Egregiæ

Egregia persona quænam habenda. 234.

Eligendi fori privilegium competit quibusdam imperii ſtatibus. 83.

Examen teſtium quomodo peragendum? 237. ſuper dubia depoſitione reiterandum. 239.

Exceptio fori incompetentis. 191.
- - guarandæ. ibid.
- - laudationis. 204.
- - loci non tuti. 191.
- - moratoria. 194.
- - nominationis. 204.
- - ſatisdationis inter illuſtres ceſſat. 192.
- - ſuſpecti judicis. 191.

Exceptiones quomodo a reo opponendæ. 185. dilatoriæ ante litis conteſtationem, 189. peremtoriæ poſt eam opponuntur. 190. quo differant a reconventione. 201.

Executio ſententiæ Auſtregalis cui competat? 77. quid ſit in genere? 335. fit jure poteſtatis in ſubditos. 336. quomodo contra ſuperiorem tentanda. ibid. & ſqq. in Germania contra mediatos à territorii domino contra immediatos von den Creiß ausſchreibenden Fürſten peragitur. 341. an etiam in ſententiis a judicio Aulico latis. 342. quando facienda? 343. & quomodo? ibid. & ſq. in ſpecie in nomina activa. 346. quibus modis impeditur. ibid. quomodo ſe habet in criminalibus. 368.

Exmiſſio quomodo peragenda. 344.

Exoneratio conſcientiæ moribus introducta. 273. quomodo peragenda. ibid.

Fatalia appellationis quid utilitatis habeant. 306.

Feudales cauſæ ad Auſtregas non pertinent. 67. exceptis quibusdam 76. olim imperatores libere ad comitia detulerunt. 67. quid hodierna praxis ferat. ibid & ſq.

Fictio quo differat a præſumtione. 211.

Fœmina poteſt eſſe arbiter. 11. quod exemplis corroboratur, ibid. ut & teſtis. 220.

Forum originis in principe locum non habet. 36. nec domicilii. 38. nec delicti & deprehenſionis. 40. 64. nec contractus. ibid. & 41.

Fürſtenrecht quo conſiſtat in imperio Germanico. 63. ſq.

Funebrales ſermones quatenus probent? 266.

Germaniæ Principes an in arbitrum compromittere poſſint 19. an ipſis repreſſaliæ ſint conceſſæ. 28. ſtatus catholici pontificis proteſtantes vero nullius forum in eccleſiaſticis agnoſcunt. 52. ſqq & 55. ut & in matrimonialibus. 53. licet aliquando imperatorem habuerint judicem. 54. quod exemplis con-

contrariis comprobatum redditur. 55. sqq. sed in arbitros compromittere solent. 58. quid vero agendum altera parte ad compromittendum contumace 59. quid justum inter diversæ religionis conjuges. 60. in causis publici regiminis subditos tum in summis tribunalibus convenire tum sibi ipsis jus dicere possunt. 61. in criminalibus imperatoris judicio subsunt. 62.
Gevierte Grafen in Rec. Imp. ex incuria innotuerunt. 249.
Guarentigionatum instrumentum quid? 256.

Hanseaticæ civitates erronee imperio subesse habentur in Rec. Imp. 249.
Historici quatenus probant? 265.

JCti quatenus in probatione admittendi. 267.
Ignis olim probandi modus. 280.
Illustres per mandatarios prudentius negotia sua peragunt. 154. injurati passim valide testantur. 236.
Immissio quomodo peragenda? 345.
Impensæ inquisitionis à quo ferendæ. 367.
Imperans pro lubitu causas à judice inferiore avocat. 114. nisi privilegium de non evocando obstet. ibid. quod tacite nunc in totum nunc pro parte conceditur. ib. & sq.
